E7.

Hs. 843

It Henne buckel viij lb [illegible]
dt. It Clas buckel dorfmey iij lb v ß [illegible]
dt. It Pet buckel viij lb dt iiij lb [illegible]
dt. It Hennel buckel [illegible] lb v ß [illegible]
It Die [illegible] v ß
dt. It Clesel [illegible] xx ß [illegible]
dt. It Contz [illegible] x ß dt [illegible] hande dt
dt. It Contzel zimmer [illegible] xxv ß dt vj ß
dt. It Stalel xv ß dt [illegible] iiij d
dt. It Contzel rep ij lb dt xiij ß
dt. It [illegible] rep xv ß
dt. It Hans Stemel x ß
dt. It Clesel Ebling j lb v ß dt vj ß [illegible]
dt. It Henne Schreiner xxx ß
dt. It Pet kolbe xv ß
dt. It [illegible] dorfmey j lb dt vj ß
dt. It [illegible] iiij lb x ß
dt. It Hengel [illegible] xxx ß [illegible] dt
dt. It Ulrich der [illegible]
dt. It Hans [illegible] iiij lb [illegible]
dt. It Contzel [illegible] v lb v ß dt ij [illegible]
dt. It Hennel Wetzel iiij lb [illegible] dt xiij ß iiij d
dt. It Madir [illegible] dorfmey [illegible] dt ij ß d vj d
dt. It Else haltzig v lb dt vj ß d
dt. It Hengel [illegible]
dt. It Clesel Horbt ij lb v ß dt [illegible]
dt. It Hennel Horbt xij lb [illegible] dt iij [illegible]
dt. It Contz Henbel [illegible] iij lb v ß dt x ß d
dt. It Hasemar dorfmey x ß
dt. It [illegible] iij lb [illegible] dt xviij ß vj d

Hic comunicant omnes a feria 2ª quatuor temporum usque ad festum penthecostes

et iste liber fuit accomodatus dno lodewico habach
et ut putat tandem ex toto assignatus est

liber Capituli ecclesie Sancti Marci in butzbach.

Liber Bibl. Acad. Giss. XV. 84

Feria quarta iiii^or temporum in adventu domini ewangelium //

In illo tempore Missus est gabriel angelus a deo in civitatem Et cetera //

In mense autem sexto / a mense scilicet ... tum. Martium debemus intelligere cuius vicesimo quinto die dominus conceptus est / id est viii kalendarum aprilium in equinoctio vernali. Hoc enim die quidam equinoctium computant. Natus est autem vicesimo quinto die mensis decembris. Hoc est viii kalendas ianuarii solsticio videlicet hiemali secundum quosdam et passus est eo ipso die quo et conceptus est. Beatus vero Johannes vicesimo quinto die septembris mensis id est viii kalendas octobris conceptus est. Natus est autem vicesimo quinto die mensis Junii. Hoc est viii kalendas Julii quo die dicunt esse solsticium estivale. Ergo dominus in incremento lucis et decremento noctis et conceptus et natus est. Beatus vero Johannes econtra / et conceptus et natus est in augmento scilicet noctis et decremento lucis. Et apte satis / quia Christus est lux vera / que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum / et ipse dicit videlicet / ego sum lux mundi. Et cetera / Beatus vero Johannes in decremento lucis nascitur / quia hic fuit et non fuit lux sed lucerna / quod demonstravit diminutio capitis Johannis in carcere / et exaltatio Christi in cruce. Johannes enim qui putabatur Christus agnitus est homo. Christus vero exaltatus in cruce agnitus est verus deus / iuxta illud psalmi / exaltare super celos deus / et reliqua / Hoc etiam suis verbis demonstrat Johannes dicens / Illum oportet crescere me autem minui / Missus est gabriel angelus a deo in civitatem / cui nomen est Nazareth / unde nazarenus / ad virginem desponsatam viro // Sepe angeli in veteri testamento et in novo leguntur hominibus apparuisse. ut abraham tres viri / et loth duo / et cum moyse sepe etiam legimus angelum fuisse locutum / sed raro designantur eorum vocabula / Hic videlicet tantummodo / et in tobia / atque in daniele. quando dixit angelus / nemo est adiutor meus et cetera et / gabriel fac intelligere istum aliter istam visionem exprimuntur eorum nomina / Verum quid sit propter misterium nominis agitur / quia et ipsa nomina / dum ad nos mittuntur. ex officio sumunt / ut ipso etiam nomine quid ministraturi veniant insinuent / sicut Raphahel qui interpretatur medicina dei. propter oculos tobie quos aperuit. et uxorem filii quam a demonio liberavit. et sicut iste gabriel qui dicitur fortitudo dei. quia fortissimum deum qui debellaturus erat aereas potestates. de quo scriptum est. dominus fortis. dominus potens in prelio. nunciare veniebat. Et michahel. qui antichristum interfecturus est. interpretatur quis ut deus. Aliter autem nisi mittantur carent nominibus. quia iugiter scientem omnia contemplantur. nichil quod est in creaturis. quod eos latere possit // Cui nomen erat Joseph. de domo david // Hoc quod dicit de domo david. non tantum ad joseph pertinet. sed et ad beatam mariam. Legis namque erat preceptum. ut de sua quisque tribu ac familia duceret uxorem. quod in joseph et

ix

beata maria est obseruatum ex duabus una sunt tribu orti. Ergo. ex stirpe david. ueraciter ortus est dominus ex incorrupta eius genitrice. uera de stirpe david originem duxit.

90 Cur autem dominus de desponsata virgine nasci voluit. plures existunt cause. Ex quibus una est. ut matris generacio. per ioseph texeretur. Non enim est consuetudo sacre scripture. ut per feminas texat genealogiam. Vel ut femineus sexus qui est fragilis. habet maritale solacium. fugiens in egyptum. sive rediens. Et ut haberet ecia custodem integerrime virginitatis sue. ne velut adultera lapidaretur secundum legis preceptum. Vel sicut ignacius martir dicit ut partus illius diabolum lateret. Dum putat eum ex ioseph semine natum. Si enim ueraciter cognouisset filium dei esse / nequaquam iudeis persuasisset ut eum crucifigerent / Et nomen virginis maria / Maria interpretatur domina et stella maris. Domina. quia dominum tocius creature genuit. qui dicit post suam resurreccionem. Data est michi omnis potestas in celo et in terra. Stella ecia maris. quia inter turbulentos status huius seculi effudit nobis veram lucem. que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. et maiorem se genuit / id est verum solem. sicut maior est sol aliqua stella. De quo dicit deus pater. vobis timentibus nomen meum. orietur sol iusticie / Et ingressus angelus ad eam dixit.

Sola erat in domo. sicut virginum est consuetudo. Non discurrebat per plateas. sed oracionibus et castitati operam dabat / Ave gracia plena / Gracia plena fuit que ipse castitate. qua prima omnium feminarum deo vovit / filium dei generare meruit. qui est vera gracia. quia gratis mundo est datus. Unde paulus. Gracia dei pro omnibus gustavit mortem. Ave id est sine ve. Nam prima mulier dicta est eva. quod potest dici ve. Que ecia calamitas interpretatur. Sed hec secunda feminarum. Secundam ideo dico. quia sicut per primam mors. ita per hanc vita intravit in mundum. Bene sine ve dicitur quia gaudium magnum protulit mundo. Dominus tecum / quasi diceret. iam filius dei in ventre tuo est. Benedicta tu in mulieribus. Non solum mulieres inter benedictas benedicta sicut fuit sara rebecca anna noemi ruth hester / sed inter omnes mulieres speciali benediccione benedicta. Ut diceret. Benedictior omnibus mulieribus. i. inter omnes et super omnes mulieres benedicta / Que cum audisset turbata est in sermone eius. cogitabat. qualis esset ista salutacio. Turbata est propter insolitam angeli visionem. et salutacionem. Et ait angelus ei. ne timeas maria. Aufert + timorem. Ut liberius que dicturus erat audiret et familiarius vocat cam nomine ipso // Invenisti enim graciam apud deum. cum vovisti virginitatem // Ecce concipies et paries filium. Concipies virgo et nulla erit inter carnis cupido. Erit inter fecunditas prolis. sine estu non pacieris libidinis // Et vocabis nomen eius Ihesum .i. salvatorem mundi // Hic erit magnus / Magnus fuit deus. quia ita fuit homo. ut esset eciam deus. Unde filius altissimi vocabitur .i. filius dei naturalis. non adoptivus. Magnus eciam fuit. quia per illum fecit deus omnia iuxta illud. omnia in sapiencia fecisti. Hic erit magnus iuxta illud. magnus dominus et laudabilis nimis. Et filius altissimi vocabitur. Videant hunc locum heretici qui negant eum esse filium dei. neque ante mariam fuisse credunt. Ex tempore enim concepcionis ea potestas fuit in assumpto homine. propter unitatem persone. que semper mansit in verbo. quam et dei filius eternaliter habuit / quia sicut homo ex carne et anima constans. unus homo dicitur. ita verbum dei patris ex carne. anima et divinitate consistens unus dicitur filius dei et filius hominis. Unde et eadem virgo beata maria / dei genitrix dicitur. Et dabit illi dominus deus sedem david patris eius / ~~quando~~ Dedit ei dominus sedem david patris eius. quando eum de genere david incarnari disposuit. Quam sicut david suo tempore dignitatem regiam habens imperavit iudeis cuius filius est dominus secundum carnem iuxta apostolum dicentem / Memor esto dominum ~~deum~~ Ihesum resurrexisse a mortuis. ex semine david / et cetera. ita et ille regnat in iudeis / Hoc est in confitentibus. Hoc enim demonstrabant hebreorum pueri clamantes. benedictus qui venit in nomine domini. rex israel. / Et secundum marcum. benedictum quod venit regnum patris nostri david. Et regnabit in domo iacob in eternum. id est in fidelibus. qui supplantant vicia. Et regni eius non erit finis. Accepit dominus regnum non solum in iudeis. secundum illud. Ego autem constitutus sum rex ab eo super syon montem sanctum eius predicans preceptum eius. sed eciam in gentibus. Unde et a patre ei dicitur. Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam. et possessionem tuam terminos terre. Qui .i. omnes sancti tam ex iudeis quam ex gentibus. ut regnare cum christo possint. viciorum supplantatores assidui existunt. Et regni eius non erit finis. quia omnes in quibus regnat. ad eternam hereditatem introducet. ubi sine fine in conspectu eius manentes. cum eo regnabunt / Dixit maria ad angelum. Quomodo fiet istud. quoniam virum non cognosco. .i. quomodo poterit evenire. ut ego que semel deo castitatem meam devovi. concipiam pariamque filium. non quasi incredula verbis angeli sicut zacharias. Hoc dixit. sed quomodo fieri debeat requirit. legerat enim in propheta. ecce virgo concipiet et pariet filium et cetera. Sed quo ordine fieri deberet propheta non dixit. quia angelo reservavit dicendum. quod videlicet virgo conciperet. non de semine viri. sed opere spiritus sancti. Et respondit angelus. Spiritus sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi. Virtutem altissimi. ipsum appellat spiritum sanctum. Unde et in sequentibus dicitur discipulis. Dominus loquitur de eodem spiritu sancto. Mitto promissum patris in vos. et cetera usque induamini virtute ex alto. Virtutem utique appellat promissum. Hoc est spiritum sanctum. Virtus itaque altissimi. hoc est spiritus sanctus cum veniet super te. obumbrabit. id est umbram faciet tibi. ne estum paciaris libidinis. sed sine voluptate carnis. filium dei generare possis. Dicit enim boecius in libro de trinitate. et alii doctores. quia adveniens spiritus sanctus ab omni cogitatione cordis et corporis tam expurgavit. et deinde sine concupiscencie estu concepit. et sine dolore atque peccato peperit. et virgo permansit. Sic. Sole fervente sicut beatus beda dicit. solemus inter nos et illum aliquod interponere corpus. quo fervor solis temperatur. absque lesione et ustione eius. Hoc modo utamur solacio ut claritate luminis illius perfruamur. et tamen calorem nimium non peruramur. Quomodo ut beata maria plenitudinem verbi dei qui est verus sol. ferre quia homo erat posset. Habuit quoddam obstaculum hominis assumpti a verbo. ne esset impotens suscipere tanti luminis claritatem. Virtus ergo altissimi obumbravit illam. quia verbum dei in utero illius suscepit hominem. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum. vocabitur filius dei. Ille homo assumptus a verbo. sanctus conceptus est et natus. quia contra ordinem reliquorum hominum. sine semine viri procreatus est. Nos autem si efficimur sancti tempore baptismatis. tamen cum peccatis concipimur et nascimur. Dicente David. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. et in peccatis peperit me mater mea. Sed postea eius dono qui sine peccato conceptus est. quemque etiam propter inseparabilem persone unitatem. verbi et hominis inseparabiliter. filius dei est naturalis et filius hominis. purificamur per aquam regeneracionis et spiritum sanctificacionis. Et ecce elizabeth cognata tua. Ante legem indifferenter tribus miscebantur in coniugio. deinde fieri potuit. ut ab eo tempore maneret ista cognacio inter iuda et levi. vel etiam quia legitur quod postea accepit aaron levita helyzabeth uxorem. helisime filiam aminadab. sororem naasson. de tribu iuda. Ur hic ex eadem tribu iuda duxit mariam. sororem moysi et aaron. de tribu levi. Ioiada etiam pontifex. duxit elizabeth filiam ioram regis iude.. Potest etiam fieri. ut recenciori tempore maneret ista coniunctio inter regiam tribum et sacerdotalem. quapropter dicitur elizabeth cognata beate marie. Diuinitus procuratum est. ut christus ab utraque tribu carnis originem duceret. quia rex et sacerdos uerus erat uenturus. Et ipsa concepit filium in senectute sua. Non dat signum quasi incredule. sed potenciam diuine maiestatis insinuat. quod non est impossibile. hoc apud deum. ut uirgo sine semine uiri filium dei pareret. cum etiam uetula annosaque contra naturam in senectute paritura sit. Et hic mensis est sextus illi. ex quo concepit que uocatur sterilis. quia non est impossibile apud deum omne uerbum. scilicet quod dictum est a me tibi. Dixit autem maria ad angelum. Ecce ancilla domini. fiat michi secundum uerbum tuum. scilicet ut concipiam. et ut implean(tur) que dicta sunt michi a te. ut ipse uidelicet sanctus adueniens dignam me celestibus misteriis reddat. et filius dei in meo utero habitu humane substancie induat. Satis admiranda humilitas mater eligitur. et ancilla se uocat. Impleuit illud quanto magnus es humilia te in omnibus. Et impletum est illud. omnis qui se humiliat exaltabitur. Quia uero hec leccio humilitatem sancte dei genitricis pandit. necesse est ut nos pro modulo nostro imitemur eam. et famulos nos esse christi in cunctis nostris operibus recolamus. cuius semper mandatis omnia membra corporis nostri subdamus. ad cuius uoluntatem implendam. aciem mentis infigamus ut ad premia peruenienda que nobis promissa sunt digni consistere mereamur.

Feria sexta iiiior temporum in aduentu domini euangelium

Exurgens maria abiit in montana cum festinacione in ciuitatem iuda et intrauit in domum zacharie et salutauit elizabeth. et reliqua.

Postquam fidem adhibuit angelo natiuitatem filii dei sibi euangelizanti. ad cuius uocem concepit. surgens de galilea et ciuitate nazareth abiit in iudeam. et ciuitatem ierusalem aut forte illi uicinam. Neque ullam moram fecit. sed angelo a se recedente surrexit et abiit in montana. Dans nobis exemplum in proximorum obsequiis deuote nos debere currere. Bene igitur in montana conscendit. ut doceret quia quando audimus uerbum dei et mente recondendo concipimus non in imis uiciorum iacere. sed ad alta quoque uirtutum debemus festinantes conscendere. iuxta illud. ibunt de uirtute in uirtutem. habentes fidem et confessionem. atque operacionem. Tribus quoque mensibus ibi maneamus. i. donec tribus uirtu tibus corroboremur. fide. spe et caritate. et tunc in domum nostram i. in celestem urbem poterimus ingredi. Quantum uero ad litteram attinet. non ideo ascendit in montana ut probaret uerum esse quod audierat ab angelo. quasi dubia de oraculo aut incerta de exemplo. sed ut congratularetur cognate. aut quasi iuuencula ministraret uetule. Virgo etenim quanto castior. tanto debet esse humilior. Et factum est ut audiuit salutacionem marie elizabeth. Prius elizabeth uocem audiuit. sed iohannes prior spiritu sancto repletur. Unde debemus intelligere quia postquam iohannes exultauit mater repleta est spiritu sancto. Nec solum spiritu sancto repleta est uerum etiam prophetauit de tribus temporibus. De presenti cum dixit. unde hoc michi ut ueniat mater domini mei ad me. De preterito cum dixit beata que credidit. De futuro cum adiunxit. quoniam perficientur ea que dicta sunt tibi a domino. Exultauit infans in utero eius. Ideo exultauit. quia agnoscebat eum in utero conceptum. cuius erat ipse precursor in mundo futurus et quem nec dum poterat uocibus. quibusdam preunciabat corporis gestibus. atque ita impletum est illud. spiritu sancto replebitur adhuc. Postquam prior repletus est iohannes spiritu sancto repleta est et elizabeth. Et exclamauit uoce magna. et dixit. Benedicta tu inter mulieres. Que et si non eadem uerba salutacionis. tamen eundem salutantis angeli sensum ponit qui dixerat benedicta tu in mulieribus. Unde apte monstratur. quia eodem spiritu edocta est. quo beata maria repleta. Et benedictus fructus uentris tui. i. de hoc fructu i. domino ihesu christo. loquitur dominus ad dauid. De fructu uentris tui ponam super sedem meam. Et iterum. Dominus dabit benignitatem. et terra nostra dabit fructum suum. Dominus benignitatem dedit. quando filium suum pro nostra salute incarnari constituit. Terra dedit fructum suum quando uirgo maria eundem nobis genuit saluatorem. Et ysaias dicit. Erit germen domini in magnificencia et gloria. et fructus terre sublimis. Germen domini i. patris filius. tunc in magnificencia fuit et gloria quando sua presencia mundum illuminans miraculis claruit. Sublimis quando morte prostrata uictor ad celos ascendit. et super omnes ordines angelorum prelatus est. Et unde hoc michi. ut ueniat mater domini mei ad me. Iam enim ut diximus a spiritu sancto edocta est cuius tetigisse dicitur est et sciebat eodem spiritu reuelante dominum in utero illius conceptum. et ideo bene iam beatam mariam matrem appellat. Et beata que credidisti. In quibusdam codicibus habetur beata que credidit. Quod utrumque potest constare. Et ait maria. Magnificat anima mea dominum. Numquid erat ei reticendum a dei laudibus que in se tanta cognoscebat misteria completa. Et ideo mirabiles prosilivit in laudes ut diceret. Magnificat anima mea dominum Et reliqua. Nam in hoc carmine beneficia sibi a deo data commemorat, deinde explicat de se dicens. Beata me dicent omnes generationes, explicat de adventu filii dei inquiens, Suscepit israhel puerum suum. Narrat etiam magnalia dei que fecit in genere humano ab exordio seculi usque in finem. Ac si diceret tanta sunt beneficia dei patris erga me, ut lingua nequeam enarrare, quomodo sola hanc gratiam promerui, ut gignerem ex me filium eius creatorem meum. Quanti est verus homo, ita etiam verus deus. Sed tamen sic dignas laudes ei referre pro tantis beneficiis michi collatis nequeo, tamen quod unum quod sentio, quod intelligo illi fideliter deputo a quo accepi. Illumque magnum facio predicando, quem non possum operando. Tunc quippe magnificare eum dicimur, cum magnificentiam eius predicamus. Ceterum deus non habet quo laude alicuius crescat. Et exultavit spiritus meus in deo salutari meo, id est in domino ihesu qui est salus generis humani. Talis est et illud in psalmo. Anima mea exultabit in domino, et cetera. Quasi diceret, in filio et deo meo exultabo, quia ita est filius meus ut etiam sit deus meus. Salutare enim dei patris filius est, quia per ipsum decrevit salvare mundum. Unde et ihesus vocatur, eo quod salvum faciat populum suum a peccatis eorum. Quia respexit humilitatem ancille sue. Reddit causam quare magnificat dominum et quare exultat, quia videlicet humilis fuit, et dei filium genuit. Et que mater eligitur, ancilla se vocat. Respexit deus humilitatem beate marie, qui reprobavit superbiam eve, que plus audivit diabolum per serpentem sibi loquentem quam deum. Et sic per evam que inpretat ne sue calamitatis, mors intravit in orbem terrarum, ita per beatam mariam vita data est orbi terrarum. Ecce enim ex hoc, subaudis quia humilis fui et filium dei genui, beatam me dicent omnes generationes, sive ex iudeis sive ex gentibus. Ab oriente enim in occidente, ab aquilone et meridie, et ubicumque credentes sunt, beatificant usque hodie beatam mariam. Unde et lucas in sequentibus narrat quod loquente christo ad turbas, extollens vocem quedam mulier de turba dixit. Beatus venter qui te portavit, et cetera, usque suo isti. Quia fecit michi magna qui potens est. Ac si diceret: Ideo magnificat anima mea dominum, ut ideo beatam me dicant omnes generaciones, quia fecit michi magna, scilicet mirabilia et opera admiranda atque a seculis inaudita, quia ex me voluit incarnari filium suum, et qui erat ante omnia secula a deo patre genitus, in fine temporis voluit fieri filius meus. Qui potens est. Dei filius essencialiter est potens, qui potencialiter omnia visibilia et invisibilia operatus cum patre et spiritu sancto. Dicuntur et homines potentes, sed dono ipsius, quia ab ipso acceperunt ut sint potentes. Et sanctum nomen eius. In greco habetur Agieon, quod nomen melius videtur sonare. Agyon enim dicitur extra terram. Nomen enim dei sublime predicatur quia longe est distractum ab omni creatura, id est transcendit omnem creaturam, quam presidendo sustinet, sustinendo presidet, circundando implet, implendo circundat. Et non solum ipse, sed eciam electi illius per mentis contemplacionem extra terram fiunt dicentes cum apostolo: Nostra conversacio in celis est. Et misericordia eius in progenies et progenies timentibus eum. A specialitate transit ad generalitatem. Prius quippe commemorat dona sibi specialiter collata, deinde misericordiam quam impendit omni humano generi. Misericordia siquidem eius in progenies et progenies fuit, id est in omnes generaciones, tam iudeorum quam gencium presencium scilicet et futurorum timentibus eum misericordia eius presto fuit, quia in omni gente qui timet eum et operatur iusticiam acceptus est illi. Fecit potenciam in brachio suo. Brachium dei patris filius est, in quo fecit potenciam, id est potencialiter fecit mundum, in quo omnia comprehenduntur que per illum creavit. Istud est brachium de quo propheta ait: Et brachium domini cui revelatum est? Sermo igitur dei patris et voluntas brachium illius appellatur, quia sicut quilibet homo brachio operatur, ita deus pater voluntate et sermone cuncta fecit. Unde dicit beatus Augustinus: Quia nos si solo sermone et voluntate possemus operari aliquid sine opere, sermo noster et voluntas brachium nostrum dici posset. Dispersit superbos mente cordis sui, scilicet in progenies et progenies. Superbos mente deiecit de dignitate et gloria, sicut diabolum, qui superbiendo dixerat: Sedebo in monte testamenti et similis ero altissimo, cui et dicitur: Quomodo cecidisti? Deiectus enim est quia in huius orbis exilio diem iudicii cum tormento expectat. Adam quoque superbus extitit inobediens contempnendo verbum domini, unde et privatus est amenitate paradisi. Mente autem dicuntur superbi, id est spiritu. Unum enim idemque est/ Unde paulus/ renouamini inquit spiritu mentis vestre/ Deposuit potentes de sede/ subaudis de sede regni/ et fastu superbie/ Non quia vere sunt potentes/ sed quia ipsis ita videtur/ Hoc enim contigit nabochodonosor. qui per septem annos ab hominibus eiectus est et balthasar nepoti illius/ qui ea nocte occisus est/ quia superbia ductus/ in vasis domini potauit/ Saulum quoque aliosque quamplures/ paulum quoque/ qui potenter persequebatur fideles/ Et exaltauit humiles sicut eundem nabochodonosor postquam se humiliauit/ Dauid quoque humilem sublimauit in regnum Paulum etiam postquam dixit/ Domine quid me vis facere/ Sic fecit et facit cottidie in omnibus generationes/ quosdam humiliando/ et quosdam exaltando/ Esurientes impleuit bonis/ et diuites dimisit inanes/ Esurientes fuerunt gentiles/ quia non habebant panem id est verbum dei/ De quibus dicitur per ysaiam/ Egeni et pauperes querunt aquas et non sunt/ Et paruuli pecierunt panem/ quia repleti sunt predicantibus apostolis/ Diuites intelliguntur qui diuicias legis habebant/ sed dimissi sunt vacui quia a bonis operibus fuerunt alieni/ De quibus dicit Dabit impios pro sepultura et diuites pro morte sua/ Vel aliter esurientes sunt sancti/ qui in presenti seculo magis ac magis esuriunt iusticiam/ De quibus dicitur beati qui esuriunt et siciunt iusticiam/ quoniam ipsi saturabuntur/ Et illud implebitur/ saciabor/ cum manifestabitur gloria tua/ Diuites autem istius seculi/ qui terrenas diuicias concupiscunt/ dimittuntur vacui/ quia nomen diuitum tantum est/ Suscepit israhel puerum suum/ memoratus misericordie sue/ Israhel hic non carnalis intelligitur sed omnis cetus fidelium mente deum videncium/ qui puer est id est humilis innocens/ sicut dominus precepit/ Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbe/ Et paulus ait/ Malicia paruuli estote/ Suscepit ergo brachium domini israhel puerum suum/ quando verbum caro factum est/ Tunc suscepit israhel id est omnem cetum suorum/ veluti medicus infirmum ad curandum eum/ et veluti rex fortis infirmam plebem ad defendendam eam ab hostibus/ Et hoc non meritis fecit/ sed recordatus est misericordie sue/ quam exhibuit generi humano/ Sic autem suscepit israhel spiritualem/ et sic recordatus est misericordie sue/ Sicut locutus est ad patres nostros id est sicut promisit abrahe et semini eius dicens/ In semine tuo benedicentur omnes gentes terre/ Semen autem habrahe non carnale intelligitur solummodo sed spirituale/ R cum fidem abrahe habent filii abrahe sunt / sicut dicit apostolus Si autem vos christi ergo abrahe semen estis / Promissio ergo dei abrahe et semini eius facta est in scala id est ysaac et iacob ac ceteris quoque fidelibus / qui de stirpe illius descenderunt secundum carnem et qui fidem eius habuerunt habent et habebunt / Et hoc in secula, quia nunquam deerit fidelis qui sint semen abrahe per fidem / Unde christus Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi / Quapropter / nos qui fidem habemus sicut patres qui nos precesserunt / studeamus evangelica monita frequenti meditatione revolvere / atque una cum exemplis beate dei genitricis semper animo retinere / et promissa nobis a domino repromissa mercede tamdiu certare / donec optatum perveniamus ad regnum / Si appetitus nos delectat transitoriarum reducamus ad memoriam / quia divites a domino dimittuntur inanes / Si afflictio instantis temporis mentem conturbat nostre fragilitatis / recogitemus quia dominus humiles exaltat / et deus superbis resistit / humilibus autem dat gratiam / Eveniet autem largitore donorum celestium tribuente / ut si actus et dicta sancte dei genitricis assiduis precibus recensuerimus / perseverent in bonis observantia castitatis / et virtutis operationis / Unde et saluberrimus in ecclesia mos inolevit / ut hymnus ipsius cottidie ad vesperas ab omnibus fidelibus scientia divinorum eloquiorum habentibus canatur / quatinus ex hoc animus illorum sit ad misteria dominice incarnationis recolenda frequentior / et exemplis genitricis illius in virtutum soliditate firmior / Quod quare hoc ad vesperas et non in aliis horis in die deo sacratis fieri complacuit / non est pretereundum / Innuitur namque per hoc mens que se diversis cogitationibus per diem distendit ac fatigavit / ut ingruente quietis tempore in unitatem sui se colligit / et quidquid superfluum ac nocivum diurna fatigatione contraxit / totum hoc demum nocturnis precibus cum lacrimis mundare studeat / Ad hec omnia perficienda / adiuvet ipse desiderium nostrum / qui pro nobis incarnari constituit filium suum // Amen //

In vigilia nativitatis domini. Evangelium // Secundum matheum

Cum esset desponsata mater ihesu maria ioseph antequam convenirent / inventa est in utero habens de spiritu sancto / Et reliqua /

In exordio huius lectionis questio animum pulsat / scilicet quare dominus de desponsata virgine voluit nasci et non de simplici / id est de ea que nondum habebat sponsum / Sed hoc divine dispensationi placuit fieri quadruplicem ob causam / Prima causa extitit quare de simplici sed desponsata nasci voluit / ut videlicet per originem ioseph id est per genealogiam eius / genealogia marie monstraret / quia consuetudo est sacre scripture genealogiam virorum texere non mulierum / Sicut facit beatus matheus / incipiens ab abraham et perveniens usque ad ioseph virum marie de qua natus est dominus / Sed queritur quare genealogiam marie per genealogiam ioseph voluit demostrare / Ad quod dicendum / quod eadem genealogia sicut superius diximus ducta sicut pertinuit ad ioseph / ita quoque pertinuit ad beatam mariam / quia de una tribu erant id est de tribu david / et propinqui erant / et secundum legem cogebatur eam ducere uxorem / Secunda causa fuit quare voluit dominus de desponsata virgine nasci / ut fugiens in egyptum beata maria / haberet solacium viri qui eam duceret et gubernaret more viri / quia femineus sexus fragilis est / Tercia causa est ne lapidaretur a iudeis ut adultera / quia si concepisset sine sponso / et pareret / putassent iudei quod ex adulterio fuisset / et ob hoc lapidarent eam ut adulteram / Quartam causam addidit ignacius martir / videlicet ut partus eius celaretur diabolo / dum eum putaret de semine ioseph natum et non de spiritu sancto conceptum et procreatum / Cum esset desponsata / Sponsio enim dicitur promissio / Cum esset desponsata beata maria id est promissa a patre beato ioseph ut daretur illi uxor Maria ioseph / Maria siquidem interpretatur domina sive stella maris / Domina ideo dicitur quia dominum tocius creature genuit christum / certe et ipsa est domina universi orbis / Dicit enim beatus augustinus in hoc loco / quia dominum dominancium et regem regum protulit filium / Stella maris ideo interpretatur quia per mare intelligitur mundus / et per eius conceptum et partum id est per dominum nostrum ihesum christum illuminatus est mundus lumine cognicionis dei / Joseph enim interpretatur auctus vel ampliatus / Et bene / quia per hoc quod sponsus beate marie effectus est augmentum religionis / virtutis et sanctitatis accepit / ut esset pater domini adoptivus / Antequam convenirent Verbum conveniendi duobus modis possumus intelligere / Antequam convenirent id est antequam coirent / ut masculus et femina / Nam postea non convenerunt id est non coierunt / quia sequitur / et non cognoscebat eam / Vel quod melius est antequam convenirent id est antequam nupciarum solemnia rite celebrarent / ut illa que erat sponsa fieret uxor / inventa est in utero habens de spiritu sancto A quo est inventa / a nullo alio nisi a beato ioseph / Qui ubi vidit eius uterum tumescentem / curiositate ductus / diligenter inquisivit / Illa respondit / De spiritu sancto concepi / Habens de spiritu sancto / Non aliunde accipiens / sed intrinsecus habens / Joseph autem vir eius cum esset iustus / Consuetudo est sacre scripture / ut viri aliquando appellentur sponsi / et sponsi mariti / et sponse uxores appellentur / et iterum uxores sponse / Quod sponsi appellentur uiri ecce hic habetur / quia beatus ioseph cum esset sponsus / appellatus est hic ab ewangelista maritus / Quod sponse appellentur uxores / habes in deutronomio / dicente domino ad moysen / Si inuenerit uir puellam desponsatam in agro / et concubuerit cum ea / morietur uir ille / quia humiliauit uxorem proximi sui / Quod econtrario appellentur uiri sponsi / et uxores sponse / habes in iohel propheta / Egrediatur sponsus i. maritus de cubili suo et sponsa de thalamo suo / tempore uidelicet afflictionis et ieiuniorum / quia tempore ieiunii non est sinendum scorto / Frustra ergo assumitur penitencia in uoce / nisi ab opere cingali qui estatur / Cum esset iustus / Iusti erat cum iuste iuste omnia non disponeret / Et nollet eam traducere / Traducere est infamare uel criminari siue publicare / Poterat utique dicere uicinis suis certe hec mea sponsa constuprata est / Sed nolebat eam traducere / hoc est crimen adulterii illi imponere / Quare quia legerat ysaiam prophetam dicentem / ecce uirgo concipiet et pariet filium / et uocabitur nomen eius emanuhel . i. nobiscum deus / et in psalmis dicentem deum patrem ad dauid / De fructu lumbi tui ponam super sedem tuam / Quod legerat in prophetis / non diffidebat posse impleri in sua sponsa / scilicet ut uirgo conciperet sine semine uiri / et pareret deum / Ideo nolebat eam infamare / sed uoluit occulte dimittere eam / Quomodo occulte / uidelicet ut non eam duceret uxorem / sed permitteret manere sponsam ut erat / neque etiam accusaret / propter quam causam eam dimittebat / Dicamus aliter / Johannes crisostomus dicit / quod consuetudo fuit ueterum iudeorum / ut pueri et puelle qui passu temporis uenturi erant ad copulam nupciarum / simul nutrirentur in una domo uidelicet in domo patris et matris pueri / Aut in domo patris aut matris puelle / Ex hac consuetudine forsitan fuerunt beatus ioseph et beata maria simul in una domo nutriti / Unde et modo dicitur uoluit occulte dimittere eam / i. a domo sua expellere uel a se separare / ut non habitarent simul / Hec autem eo cogitante / id est dum cogitaret qualiter eam dimitteret / Ecce angelus domini apparuit ei / Ipsum angelum gabrihelem possumus intelligere / qui annunciauerat beate marie dicens / ecce concipies et paries filium et uocabis nomen eius ihesum / id est / Ipse apparuit beato ioseph in somnis / Et quare in somnis / et non in uigilati

Nam pastoribus vigilantibus apparuit / Unde et legitur quia erant vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum / quibus et dixit / ecce ego euangelizo vobis gaudium magnum et cetera / Ad quod respondendum est / quod illi pastores agrestes erant id est in agris morabantur / Et quia imperiti erant et indocti / ideo manifestiori revelacione indigebant / quam beatus Joseph / qui iustus erat / et scienciam legis ac prophetarum habebat / in quibus didicerat angelos sepe patribus apparuisse in sompnis / Patriarchis videlicet et prophetis / Idcirco non tam manifesta indigebat revelacione / quam pastores / qui agrestem vitam ducebant Spiritualiter illa apparicio angelica per sompnum mistice nobis insinuat / quia qui dormiunt seculo / id est a curis mundanis sunt remoti / et vigilant deo in bonis operibus / illi merentur presenciam angelorum sibi adesse id est ad sui custodiam / Possunt utique illi tales cum ecclesia dicere / in canticis canticorum / Ego dormio id est a curis mundanis quiesco / et cor meum vigilat / in oracione videlicet / sive in omni voluntate dei implenda / Joseph fili dauid / Blando affectu alloquitur angelus beatum Joseph dicens / Joseph fili dauid noli timere id est noli dubitare non est uxor tua constuprata / Quare appellauit eum filium dauid et non filium abraham / ysaac et iacob / quia licet dauid pastor ouium fuisset ut iacob tamen maioris dignitatis fuit quam iacob ysaac et abraham quia deo dispensante rex fuit et propheta / Jacob licet patriarcha fuisset tamen non fuit rex / Ut ergo dominus de regali progenie oriretur descendisse sic revera est / Ideo appellauit eum filium dauid / Ceci eciam sedentes secus viam clamabant dicentes Jhesu fili dauid miserere mei / Et pueri hebreorum venienti domino iherosolimam occurrentes cum floribus et ramis palmarum clamabant dicentes / osanna filio dauid / Joseph fili dauid / noli timere accipere mariam coniugem tuam / Hic appellatur beata maria coniux et uxor / que adhuc sponsa consistebat / more scripturarum sicut sepius diximus / Noli timere accipere mariam sponsam tuam / Postmodum sicut sequencia euangelii huius narrant surgens a sompno sicut preceperat ei angelus conuocans scilicet amicos suos celebrauit conuiuium nupciarum / et beatam accepit mariam in uxorem / Attamen non cognouit eam / Et non sine causa nomina illorum specialiter angelus expressit dicens / Joseph fili dauid noli timere accipere mariam coniugem tuam / Nominibus appellauit eos / Familiare est / aliquem hominem amicum proprio nomine appellare / Ut ergo angelus utriusque nomen / id est beati ioseph et beate marie demonstrat scriptum esse in celo // Ideo nomina eorum nuncupavit eos in terra / Quod enim in ea natum est / de spiritu sancto est / id est / non concepit ex viro sed quod in utero habet / sed ministerio virtute spiritus sancti concepit filium dei / Hoc modo deus pater misit verbum suum in uterum virginis / Ipse filius assumpsit ibi carnem et animam / in unitate persone / Spiritus sanctus formavit illud corpus in utero virginali ex sanguine virginis / sine semine viri / Et tamen credendum / quod tota trinitas operata sit illud corpus / Pater siquidem et filius / et spiritus sanctus / quia quorum est inseparabilis substancia deitatis / eorum est et inseparabilis operacio / Et si dominus conceptus dicitur de spiritu sancto / quare non dicitur filius spiritus sancti / quia non omne quod de aliquo nascitur / eius filius appellatur / Verbi gratia / Nos omnes qui consistimus in ecclesia / per fidem renati sumus ex aqua et spiritu sancto / et tamen non dicimur filii aque / sed filii dei / Dicamus aliter / nascitur ex capite capillus / sed ideo non dicitur filius capitis / Nascuntur etiam ungues de manibus / sed tamen non dicuntur filii manuum / Sic et filius dei licet opere et ministerio spiritus sancti conceptus credatur in utero virginali / tamen non ideo dicitur filius spiritus sancti sed filius dei patris / a quo ante omnia secula genitus est / ne duos patres videretur / Pariet autem filium id est virgo. Quia deus nasciturus erat in mundum / dignum fuit ut de virgine nasceretur / Et quia virgo paritura erat / dignum erat ut deum pareret / Et vocabis nomen eius ihesum / Hoc si diceret angelus O ioseph coniunx tua pariet filium / et habebis inde privilegium / Talem honorem inde habebis / quasi tu illum genuisses / quia illa pariet / et tu impones illi nomen / Ad nomen ihesum / Ihesus proprium nomen est hominis assumpti a verbo dei / Ihesus hebraice latine interpretatur salvator sive salutaris / Huius nominis ethimologiam exposuit angelus cum subiunxit / Ipse enim salvum faciet populum suum / Quis est populus dei / Qui veraciter in eum credit / Omnis enim sive iudeus sive gentilis / si veraciter credit in dominum et fidem quam habet bonis operibus exornat / populus eius dicitur et ipsum salvat non a peccatis suis sed etiam ab omni adversitate huius seculi ac futuri //

Ewangelium secundum lucam quod legitur in prima missa nativitatis domini

In illo tempore / Exiit edictum a cesare augusto / ut describeretur universus orbis / Et reliqua

Exiit edictum id est preceptum et mandatum a penetrali loco et conclavi imperatoris / id est publicatum et noticia aliorum / Imperatores enim cum consiliarijs suis in penetralibus suis tractabant de statu rei publice romane / et postea producebant ad publicum / Cesar et augustus / nomina dignitatum sunt apud romanos sicut apud egypcios pharao et ptolomeus / apud babilonios nabuchodonosor / apud grecos antiochus / Cesares ergo dicti sunt reges romanorum / a primogenito iulio / qui dictus est cesar / vel a ceso ventre matris / vel a cesarie capitis cum qua natus est / vel sicut quidam volunt / a cesa id est elefante quem pater eius occidit / qui lingua punica cesa vocatur

Augustus autem primus dictus est octauianus imperator / qui hic intelligitur / et dictus est augustus eo quod auxerit pre ceteris imperatoribus regibusque rem publicam / a quo et dicitur exiisse edictum / ut describeretur vniuersus orbis / Cum enim vniuersas gentes suo habuisset imperio subiugatas preter arminios et gothos / monarchiamque totius orbis teneret / eius quadragesimo secundo natus est dominus /

Circa eius natiuitatem duodecim annos / tanta pax / tantaque tranquillitas data est mundo / ut non solum bella hostilia / sed etiam ciuilia quiescerent / impletumque est illud ysaie vaticinium de aduentu xpi / Erit in nouissimis diebus preparatus mons domus domini in vertice moncium / et cetera / [illegible] vsque ad id quod sequitur / conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces / Non leuabit gens contra gentem gladium / nec exercebuntur ultra ad prelium / sub sicut hactenus fecerant / Cum ergo pacem haberet memoratus augustus ab vniuersis gentibus posuit edictum ut describeretur vniuersus orbis sub tributo ita ut per vnum quinquennium redderet omnis denarium aureum / per aliud argenteum / ac per tercium ereum / Hec descripcio prima facta est a preside syrie cyrino / Prima dicitur esse facta descripcio / quia licet partim quedam regiones et regna fuerint ante descripta sub tributo ista tamen prima totum orbem occupauit / Cyrinus autem cuius mencio hic agitur / fuit vir nobilis ingenio atque prudencie / qui per omnes gradus magistratuum peruenit ad consulatum de quo recte dicitur Hec descripcio prima facta / quia ipse consilium dedit augusto / quatenus vniuersum orbem redigeret sub tributo / Cuius rei causa / ipse princeps huius negocij meruit fieri / atque ad presidiatum syrie peruenire / Diuinitus autem perpetratum est ut dominus tempore pacis nasceretur / qui nos veniebat pacificare et reconciliari deo patri / Sicut enim elegit matrem virginem ante omnia secula de qua nasceretur in fine temporum, ut demonstraret se amatorem esse castitatis atque virginitatis, vosque sibi placere qui castitati student insinuaret. Ita etiam elegit tempus pacis quo nasceretur, eos quoque demonstravit se diligere qui pacis amatores existunt et caritatis virtutis servant. Voluit etiam nasci quando describebatur universus orbis ut ostenderet nomina electorum suorum esse scribenda in eterna beatitudine, sicut ipse postea dixit apostolis: Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in celis. Quod etiam census tunc exigebatur non vacat a mysterio. Octavianus enim imperator, si dici fas est, significat ipsum Dominum, qui est rex regum et dominus dominancium, qui dicit post resurrectionem suam apostolis: Data est michi omnis potestas in celo et in terra. Et psalmista de illo ad Deum patrem: Deus iudicium tuum regi da, id est Christo. Cyrinus autem preses ordo est predicatorum atque rectorum ecclesie qui exigunt censum fidei bonorum operum a fidelibus eius. Census ille quem persolvebant denarius erat qui habebat decem nummos, continens nomen regis et ymaginem eius. Nos ergo tunc denarium regi nostro solvimus, quando decalogum legis implemus, qui continet in se decem precepta legis, quorum tria pertinent ad dilectionem Dei, reliqua ad dilectionem proximi. Habemus et nomen regis, quia a Christo christiani dicimur. Sed videndum ut digne hoc nomine censeamur. Videndum est etiam ut ymaginem eius custodiamus in nobis, ut sancti simus, sicut ipse dicit: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Homo enim ad imaginem Dei factus est in anima, ut quod in genesi habetur. Unde et psalmista dicit: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem, precepto imperiali. De singulis locis ad que demigraverant, omnes revertebantur ad locum nativitatis, ut ubi profitentes tribum et familiam suam, describerentur sub tributo in ordine parentum suorum. Cuius rei causa ascendit ~~ad~~ et Joseph a Galilea provincia de civitate Nazareth in Iudeam civitatem David, que vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur de cuius familia erat, cum Maria desponsata sibi uxore pregnante. Quod dicit desponsatam vocat et uxorem pregnantem, utrumque verum est. Ante enim quam salutata esset ab angelo desponsata est a Joseph. Postquam vero salutata et impregnata est, ante quam nupcie celebrate essent, voluit eam Joseph dimittere, cernens eius uterum tumentem, sicut Matheus eius plenissime narrat / scilicet nocte angelus domini apparuit ei in sompnis dicens / Joseph fili dauid noli timere / accipere mariam coniugem tuam / Et exurgens accepit mariam coniugem suam / id est / celebrauit cum ea nupcias / factaque est ei uxor licet non cognosceret eam / Non vacat a mysterio quare dominus in nazareth voluit concipi / et in bethlehem nasci / Nam quantum ad litteram pertinet / ideo hoc actum est / ut utraque ciuitas / de aduentu illius insignis redderetur / Vel eciam ne facile inueniretur ab herode / si haberet diurna continuaque mansione in bethlehem / nasci sub dubia mansione / Nunc ideo voluit concipi in nazareth / et in bethlee nasci / ut impleretur illud / quoniam nazarenus vocabitur / Et illud Tu bethlehem terra iuda non eris minima et cetera / Seu eciam ut ostenderet se florem esse mundicie omniumque virtutum / quod interpretatur nazareth / panem quoque celestem / Nam bethlehem trinomia extitit / primum dicta est luza / deinde ephrata / ac deinceps ex eo tempore quo iacob veniens a mesopotamia pauit circa ea pecora sua vocata est bethlee / hoc est domus panis propter ubertatem pascue / siue quia per spiritum sanctum agnouit illum panem ibi quandoque nasciturum / qui dixit / ego sum panis viuus qui de celo descendi / Et non solum illud congruit spirituali intellectui / quod in bethlee est natus / scilicet quod in ciuitate dauid / Ipse enim manu fortis / qui diabolum strauit / Ipse desiderabilis quia speciosus est pre filiis hominum / ipse pastor ipse rex / Moraliter autem intelligitur cotidie concipi christus in nazareth / hoc est in cordibus eorum qui instruuntur ad fidem / et nasci in bethlee / quando quod antea crediderunt / iam incipiunt confiteri / Ad fontem baptismatis accedentes / et efficiuntur domus panis / id est / christi iuxta quod apostolus dicit / Habitare christum per fidem in cordibus vestris / et templum dei sanctum est quod estis vos / Allegorice vero / ioseph qui ascendit a galilea in ciuitatem dauid que vocatur bethlee / ordinem predicatorum designat / qui cottidie ascendit a volutabro viciorum / in confessione vere fidei / et laudis ad patriam celestem / ubi est panis viuus refectio videlicet spiritualis / et ubi indesinenter laudes canuntur ab electis / iuxta illud / beati qui habitant in domo tua domine / in secula seculorum laudabunt te / Nec eciam abire constat / quod dominus sub seruitute census / voluit contineri / sed et matri qui postea reddidit pro se et pro petro tributum / Hoc autem / ideo ut nobis e seruitute liberaret / daretque exemplum humilitatis. ut si ille qui deus est / non distulit dedignando tributum reddere / multomagis nos qui puri homines sumus / non debemus contempnere / sed subditi simus regibus et principibus seculi / reddentes illis que illorum sunt / sicut alibi precepit dicens / Reddite ergo que sunt cesaris cesari / et cetera. Et petrus / subiecti estote omni humane creature propter deum / Paulus quoque / reddite omnibus debita / Redditque causam quare hoc precepit / Non est enim potestas nisi a deo / Factum est autem cum essent ibi / hoc est in bethlehem impleti sunt dies scilicet nouem / mensium ut pareret / et peperit filium suum primogenitum / Gaudet heluidius / dum audit / quia peperit filium suum primogenitum / Non enim intelligens proprietatem verbi errat / dicens non posse dici primogenitum / nisi qui habet fratres subsequentes / et somniat fratres esse domini de beata maria natos post ipsum / illos qui in euangelio fratres eius nuncupantur / Simonem videlicet / iacobum iudam / et ioseph / filios matertere eius quod omnino longe a ueritate est / Omnis enim unigenitus qui non habet fratres potest dici primogenitus eo quod primus aperiat vuluam matris / Non autem omnis primogenitus potest dici unigenitus / qui habere potest post se fratres / Redemptor autem noster spiritualiter respondit / et unigenitus est et primogenitus / tam secundum diuinitatem quam secundum humanitatem / Secundum diuinitatem unigenitus est / iuxta quod iohannes dicit / vidimus gloriam eius / gloriam quasi vnigeniti a patre / quia in natura diuinitatis non habet alios fratres / Primogenitus etiam fuit secundum diuinitatem quia ante omnem creaturam genitus a deo patre / sicut per salomonem dicit / Ego sapientia ex ore altissimi prodiui / primogenita ante omnem creaturam / Secundum humanitatem quoque unigenitus est / quia beata virgo ignara fuit maritalis amplexus / neque genuit nisi ipsum solum / Est autem per hoc primogenitus quia ipsum primum genuit beatissima virgo / Est etiam primogenitus in multis fratribus / sicut apostolus dicit / quia habet multos fratres adoptiuos / de quibus iohannes loquitur / Quotquot crediderunt in eum / dedit eis potestatem filios dei fieri / Quos filios dei facit / fratres sibi constituit licet adoptiuos / Et pannis eum inuoluit / et reclinauit in presepio / quia non erat eis locus in diuersorio /

Redemptor noster non solum homo pro nobis fieri dignatus est cum deus esset / sed etiam de pauperibus parentibus nasci voluit / qui non habebant possibilitatem inuoluendi eum in purpura aut in sericis / vel auro textis vestimentis sed in pannis deſpectiſſimus et uiliſſimus / Quo loco qd ~~dauid~~ aliud dicendū eſt niſi medullitus ex corde exclamādo / quid retribuā dño p omnibus que retribuit michi / Pauper enī fieri dignatus eſt / ut nos ſua paupertate ditaret / Pannis inuolutus eſt / ut nobis ueſtem īmortalitatis et incorruptiōis redderet quā i ada pdidim⁹ / Manus et pedes iſti⁹ ſtrinxit funiculus in cunis / ut nos habeam⁹ expertas pparatasqȝ manus ad bonū opandū / et pedes directos in uia mandatoꝝ dei

Notandū aut / quia quod dicit reclinauit eum in pſepio / quia non erat ei locus in diuerſorio. Dat intelligi / quia in itinere natus et in hoſpicio alieno / Diuerſoriū dicit a diuertendo .i. declinando / Et beata maria / aſpīm quante tempe / puerpa enixa reclinauit eū in pſepio / quia non erat ei locus ſecretus et aptus / neqȝ cubiculum i diuſorio, in qd diuerterat / ubi reclinaret puerū / Qd non caret a ſpūale intelligencia / Idcirco namqȝ in itinere naſci noluit, ut demonſtraret ſe eſſe uiam ꝑ quā puenit ad patrem / ſicut ipe dicit / Nemo uenit ad patrem niſi p me / quia ego ſum uia, et ueritas / et uita / Et paſtores erant in regione eadē / hoc eſt in regione bethlemitica uigilantes / et cuſtodientes uigilias noctis ſup gregem ſuū / Natus dñs / glām ſui natiuitatis paſtoribus dignatus eſt primum manifeſtare / ut ſe deſignaret uerū paſtorem eſſe / de quo olim per pphām deus pater pmiſerat / Suſcitabo eis paſtorem unū / ſuū meū dauid / qui paſcat eos in iudicio et iuſticia / Et ipe in euangelio / Ego ſum inquit paſtor bonus / Ad ezechielem qȝ / Ecce ego uiſitabo oues meas et ego accubare eas faciā / ſic uiſitat paſtor gregem ſuū / Oues eius ſunt fideles de quibus loquit / Oues mee uocē meam audiunt / Ipe uigilat ſupra gregem ſuū / quia no dormit neqȝ dormitabit qui cuſtodit iſrahel / et ipe cuſtodit electos ſuos in pſperis et aduſis /

Allegorice aut / paſtores illi qui uigilabant nocte ſup gregē ſuum / ordine pdicatorū deſignant / Paſtores .ſcȝ. eccłie / qui paſcere debent gregem ſibi commiſſū pabulo uerbi dei / ſicut ūm illoꝝ dicitur / Paſce oues meas uel paſce agnos meos / Qui bn uigilauit cuſtodiendo gregem dni in pſperis / et aduerſis / ne diſſipetur a beſtiis uel latronibus / a demonibus ſcȝ. et hereticis merebunt uiſione angeloꝝ frui / et claritate ſuperna illuſtrari / ſicut illi paſtores

De quibus subditur / Ecce angelus domini stetit iuxta eos / et claritas dei circumfulsit illos .i. undique circuit illos // Bene angelus dominice natiuitatis nuncius stans apparuit / quia illum nunciabat / qui ereas potestates debellare ueniebat / De quarum principe ipse dicit / Nunc princeps huius mundi eicietur foras / Stare enim pugnantis est / Sepe etiam legimus angelos sanctis patribus in ueteri testamento apparuisse / nullum tamen in claritate uisum esse // In natiuitate autem domini iure in claritate apparuit / quia illum nunciabat qui est lux uera / illuminans omnem hominem / uenientem in hunc mundum / et qui postmodum de se dixit / Ego sum lux mundi / Et timuerunt timore magno / quia numquam huiusmodi uisionem angelorum uiderant / quod proprium est humane fragilitati / ut maiora se uidens pertimescat / Et dixit illis angelus Nolite timere / Hoc quoque proprium est bonorum angelorum, ut pauenti semper consolaciones adhibeant / sicut e contra malignorum spirituum aduersitatis proprium retinet .i. ut timentibus maiorem adhuc terrorem incuciant / quatinus facilius decipi possint / Confortat autem pastores angelus pauidos ut animo quietiores fore attencius propositum possint uerba salutis / Ecce enim euangelizo uobis gaudium non paruum sed magnum / quod erit omni populo / Euangelizare est bonum nuncium predicare / et quod nuncium melius potest esse quam de natiuitate redemptoris / Unde angelus dicit se euangelizare magnum gaudium redempcionis mee / quod fuit omni populo / electorum non reproborum // Non Herodi qui turbatus est de eius natiuitate cum omnibus suis ministris / non anne / non cayphe / non scribis et phariseis qui illum morti tradiderunt / Quia natus est uobis hodie saluator in ciuitate dauid / Uobis inquit est natus .i. ad uestram salutem et utilitatem / ut uos saluet qui saluator est / Et nota quod in nocte ista annunciabat / et dicit hodie / Mos sacre scripture / ut tristia commemorans / noctis mencionem faciat / iuxta quod dominus dicit apostolis / Omnes uos scandalum pacientur in me in ista nocte .i. in ista tribulacione / Ubi uero leta aguntur / diei memoratur / sic in presenti loco dominus dicitur in die natus / in quo nil triste / nil turbulentum / nichil quoque obscuritatis fuit peccatorum / sed omnia clara et serenissima circa illum extiterunt / Qui est Christus dominus / Christus et dominus nomina dignitatum sunt / Christus enim dicitur unctus / quia ipse ex tempore concepcionis unctus est plenitudine spiritus sancti pre participibus suis / Ipse est dominus totius creature / quia ab illo omnia sunt patrata / Et hoc uobis signum

i. pd aduij

Invenietis infantem pannis involutum, et positum in presepio. Iudei semper signa querunt, et quod illi desiderabant et fortassis querebant, hoc angelus exhibuit eis, dando scilicet signum et subito facta est cum angelo multitudo milicie celestis laudancium deum et dicencium. Milicia dicitur pugna, unde et milites pugnatores nominantur.

Exercitus autem angelorum milicia vocatur, quia sicut quilibet rex potentissimus habet milites suos qui cum eo pugnant in prelio, et qui dominantur pro subiectis suis custodiendis illos, ita deus omnipotens habet milites suos angelorum exercitus quos misit cum filio suo in mundum qui etiam custodiant electos illius, dominando contra aereas potestates, de quibus apostolus dicit: Non est nobis colluctacio adversus carnem et sanguinem, et cetera. De hiis ministris angelis dicit idem apostolus alibi: Nonne omnes administratorii spiritus in ministerium sunt missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.

Uno ergo angelo domini nativitatem evangelizante multitudo celestis subito in laudes omnipotentis dei prosiluit, quatinus darent nobis exemplum, quod quando misterium dominice nativitatis sive per nos legendo et intelligendo sive alio annunciante recolimus, in laudes dei patris prorumpere debeamus qui nobis unicum filium suum misit ad nos redimendos. Huius loci et temporis meminit micheas propheta dum dixit: Et tu turris gregis nebulosa, filie syon, ad te veniet, et veniet potestas prima, regnum filie syon. Dicit beatus Ieronimus quod est turris pastorum que vocatur ader, mille passibus distans ab orientali parte bethleem, habens in circuitu suo uberrima pascua, iuxta quam pastores custodientes noctu gregem suum meruerunt angelicam visionem sive in domini nativitate, sicut hic legitur.

Turris nebulosa vocatur propter ubertatem et fertilitatem pascue. Est enim humidus locus nebulam mane et vespere ex se generans.

Filie syon ad te venient, id est angelice potestates et cives superne ierusalem. Et veniat potestas prima sive summa, filius videlicet dei patris, qui est regnum filie syon sicut ipse dicit: Regnum dei intra vos est. Regnum enim electorum xpc est. Omnes quippe electi regnum illius sunt. Filia autem syon presens ecclesia, que est filia superne civitatis ierusalem de qua apostolus ait: Illa autem que sursum est ierusalem libera est, que est mater nostra.

In domini ergo nativitate, conceptione et temptatione, passione et resurreccione atque ascensione angeli ministri ~~erunt~~ fuerunt sive ut officium suum implerent sive eciam ut homines mortales et et magistros docerent, quod mean⁹ officio ipsi deseruiebant, uerus et amicus filius dei erat, quatinus et ipsi illorum exemplo caritati ei famulando deseruirent. Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bone uoluntatis. Gloria i. laus et iubilacio deo patri in celis est reddenda ab omni creatura, qui ad redempcionem humani generis incarnari constituit filium suum. Angelis enim proficit domini natiuitas, quia dum nos reparamur et in celum transferimur, illorum numerus reparatur, qui in cadente angelo diminutus fuerat. Et in terra pax i. concordia hominibus, non omnibus sed illis qui bone uoluntatis sunt. Bene ergo in domini natiuitate pax hominibus comendatur, quia sicut apostolus dicit, ipse est pax nostra, qui pergens ad passionem pacem comendauit apostolis dicens: Habete pacem inter uos, et pacem relinquo uobis. Resurgens etiam a mortuis pacem obtulit dicens: Pax uobis. Et quid per hoc uoluit designare nisi ut ostenderet nos per suam natiuitatem et passionem reconciliatos esse deo patri et sanctis angelis cum quibus antea discordes eramus. Adiuuet nos deus infirmitatem nostram, ut qui iam in spe reconciliati sumus, ad societatem supernorum ciuium pertingere mereamur, et in uisione sancte trinitatis laudes angelicas resonare, prestante deo.

i. vera

Ewangelium secundum Lucam quod legitur in secunda missa natiuitatis domini :—

Pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus usque bethleem et uideamus hoc uerbum quod factum est, quod dominus ostendit nobis. Et reliqua.

Hec lectio sancti euangelii ex superioribus pendet. Narrat siquidem sanctus euangelista paululum in precedentibus euangelii dictis angelum apparuisse pastoribus uigilantibus, quo euangelizante natiuitatem filii dei, subito facta est multitudo milicie celestis laudancium deum et dicencium: Gloria in altissimis deo, et in terra pax hominibus bone uoluntatis. Post que uerba statim subintulit inquiens: Et factum est ut ~~discesserunt~~ discesserunt angeli ab eis in celum unde uenerant, pastores loquebantur ad inuicem, hoc est ad semet ipsos et unus ad alterum: Transeamus usque bethleem et uideamus hoc uerbum quod factum est, quod dominus ostendit nobis. Persona pastorum quanto simplicior, tanto ualencior est ad credendum. Cum enim accepissent signum de domini natiuitate dicente sibi angelo: Inuenietis infantem pannis inuolutum et positum in presepio, loquentes ad inuicem non dixerunt: Transeamus usque bethleem et uideamus infantem pannis inuolutum, sed uideamus hoc verbum quod factum est / Que verba racionabilia sint plenaque mysterio ac fide firmissima splendencia / ipsud est enim verbum / De quo Johannes ait / in principio erat verbum / et cetera / Et psalmista / Verbo domini celi firmati sunt / Quod verbum bene dicatur factum / quia verbum caro factum est et habitavit in nobis et congrue dicunt / Videamus verbum quod factum est i. quod carne assumpsit / quod si factum non esset / nequaquam in natura deitatis videri potuisset / Unde dicit ad moysen / Non enim videbit me homo et vivet / Deum nemo vidit umquam / Dicitur autem factum non secundum divinitatem in qua non est factus sed genitus / sed secundum humanitatem in qua factus est / propter unitatem persone / Tale est et illud / quod Johannes in epistola sua dicit / Quod fuit ab inicio / quod audivimus et vidimus / et cetera / Ad hoc enim factum est / ut videri potuisset / Si enim factum non esset nequaquam ut dictum est videri potuisset / A quo ergo est factum / utique non solum a patre et spiritu sancto sed etiam a se ipso / Opere enim tocius trinitatis factus est ille homo / ideo quod ipsum verbum semetipsum fecit secundum humanitatem / nobisque se ipsum ostendit / Et hoc summopere attendendum / propter unitatem persone talia dici / Bene autem dicunt quantum ad litteram spectat / transeamus usque bethlee / quia sicut in superiori lectione dictum est / Illa turris iuxta quam visionem viderunt / mille passibus distat a bethlee / et venerunt festinantes / et invenerunt mariam et ioseph et infantem positum in presepio / Sic est agendum omnibus qui tendunt ad bethlee i. ad patriam celestem / Non eundo videlicet cum desidia et torpore viciorum / sed propere currendum / Nam isti pastores significant spirituales eos qui de errore infidelitatis ad patriam celestem / de diabolo ad deum tendere volunt / Qui venientes / invenerunt mariam / hoc est sanctam ecclesiam / et ioseph / ordinem scilicet predicatorum / Infantem quoque in presepio positum reperiunt / Iure ergo sacra scriptura per presepium intelligitur / quia sicut in presepia stabulantur animalia ibique pascuntur / ita omnes fideles pabulo verbi dei reficiuntur / iuxta quod in ewangelio habetur / Non in solo pane vivit homo / sed in omni verbo quod procedit de ore dei / De hac refectione dicit psalmista / Parasti in conspectu meo mensam / Hac etiam pascebat illa fidelis anima / que dicebat / Dominus pascit me et nichil michi deerit / in loco pascue ibi me collocavit / Dominus quoque de hac pascua dicebat dum diceret / Per me si quis introierit salvabitur / et ingredietur et egredietur et pascua inveniet / Videntes autem

cognoverunt de verbo quod dictum
est illis de puero hoc/ Itaque
accedunt ad sacram scripturam
cum aviditate et desiderio/ cog-
noscunt vera esse que dicta erant
illis a predicatoribus et nunciis
evangelii de Christo/ Et omnes qui
audierant/ salutacionem scilicet beate ma-
rie virginis/ Prophetiam quoque
elizabeth dicentis/ unde hoc
ut veniat mater domini mei ad me/
exultacionem quoque johannis in utero
matris/ et illud quod factum et
divulgatum est/ in circumcisione
johannis/ cum pater zacharias
dixit/ Tu puer propheta altissimi
vocaberis/ Ceteraque huiusmodi premi-
rati sunt/ et de hiis que dicta e-
rant ad ipsos a pastoribus/ de
visione scilicet angelorum/ et de hiis
que ipsi angeli dixerant/ Maria
autem conservabat omnia verba hec
conferens in corde suo/ Conferre
est/ hinc et hinc quedam per col-
lacionem vel comparacionem in
medium proferre/ Legerat beata
virgo illud ysaie/ ecce virgo
concipiet et pariet filium/ Au-
dierat ab angelo/ ecce concipi-
es in utero et paries filium/ Le-
gerat eciam illud michee/ et tu
turris gregis nebulosa/ filie
syon ad te veniet/ Et veniet
potestas prima regnum filie syon/
quod in superiori lectione expla-
natum est/ et videbat pasto-
res presentes/ qui ista nuncia-
bant completa/ Illud quoque ysaie
sub legerat/ cognovit bos posses-
sorem suum/ et asinus presepe domi-
ni sui/ et videbat in presepe filium dei
vagientem/ et ista omnia simul
concordancia conferebat in unum
in secreto cordis sui/ et considerabat
hec omnia esse impleta/ Ad hoc
autem conservabat ea in corde suo/
ut tempore congruo reseraret et
proderet illa fidelibus/ et hiis qui
erant ea scripturi/ Et reversi
sunt pastores scilicet ad curam custo-
diamque gregis sui/ glorificantes
et laudantes deum/ in omnibus
que audierant ab angelis et
beata maria/ et que viderat/ sic
dictum ad illos ab angelis/ In hoc
glorificabant deum/ quia ita
invenerunt dominum pannis involutum
et iacentem in presepio sicut dixerant
illis angeli/ et cognoverunt vera
esse que audierant/ quod natus
esset eis salvator/ Vel certe
ita glorificabant et laudabant
deum/ sicut dictum est ad illos ab
angelis/ non verbis sed exemplis/
Legimus superius quod uno angelo
evangelizante incarnacionis do-
minice sacramentum/ subito multitudo
milicie celestis consona voce in
laudem conditoris dei cepit/ ut et
sue ministracionis officium imple-
ret/ et pastores eadem agere
suo exemplo doceret/ nos quoque instr-
ueret/ quod quocienscumque vel legen-
do vel audiendo nativitatem nostri

redemptoris recolimus in laudes dei patris persolvere debeamus / qui nobis gratis misit unicum filium suum / Quo exemplo angelorum instructi pastores / videntes vera esse / que illis dicta fuerant / glorificaverunt dominum cum summa devocione // Non est ergo persona pastorum contempnenda neque officium eorum / quia sicut principes euangelii non elegit dominus ex philosophis rethoribus atque divitibus sive principibus / sed ex piscatoribus / ita eciam ad euangelizandum exordium sue nativitatis / non elegit rethores / sed pastores / qui nesciunt secretum dei proposito sermone / atque mendacio fucate locucionis / sed simpliciter cum veritate proferre / Nam et in veteri testamento legimus pene omnes prophetas et iustos ab ipso abel / pastores fuisse ovium / deoque placuisse / Quapropter eciam imitandi sunt isti pastores quam despiciendi / paritereque cum illis laudandus / et glorificandus est deus pater a nobis cum filio ac spiritu sancto / qui per unigeniti sui adventum nos in filiacionem suam vocavit / in qua valeamus regnare cum illo ipso adiuvante qui vivit et regnat cum deo patre in unitate spiritus sancti per omnia secula seculorum amen //

Ewangelium secundum Johannem quod legitur in summa missa nativitatis domini

In principio erat verbum / Et verbum erat apud deum / et deus erat verbum / Et reliqua

In figura quatuor animalium / quibus quatuor significati sunt euangeliste / merito beatus Johannes / aquile volanti comparatur / Quia sicut aquila cunctis avibus excelsius volat / et radijs solis aciem oculorum vicinius infigere ſ consuevit / quemadmodum exploratum est ab illis qui rerum naturas experiri curaverunt / ita beatus Johannes recubitu dominici pectoris honoratus / pre ceteris euangelistis / archana divinitatis christi uberius cognoscere ac nobis cognoscenda sublimius scribere meruit // Volatus enim tam excellencia verba ad divinitatem pertinencia / transcendit omnem mundum et omnes campos aeris / cunctosque ordines angelorum / se ipsum eciam mente transcendit / Et dum mentem in ipsam divinitatem intendit / quasi oculos in solem fixit / ipsamque profunditatem quam de fonte dominici pectoris hausit / nobis mirabiliter / ut potuit qui os suum in celum posuerat eructavit / Ceteri enim euangeliste / matheus videlicet / marcus / et lucas / quasi animalia per terram cum domino ambulantes / humanam nativitatem eius atque infanciam / et ea que secundum carnem gessit describunt / eumque ex tempore natum ostendunt // Beatus vero Johannes omnia terrena et humana transcendens / omnem eciam spiritualem et angelicam naturam transcendens et inverberatis oculis mentis divinam et ineffabilem eius generacionem qua est equalis patri describens dicit / In principio erat verbum / Ac si aliis verbis diceret / In patre erat filius / Illi describunt quomodo subito inter homines apparuerit dei filius homo / Iste declarat quomodo eternaliter maneat cum patre / dicens / Et verbum erat apud deum / id est filius apud patrem / Illi describunt filium dei verum esse hominem / iste verum esse affirmat deum / dicens / Et deus erat verbum / hoc est ipse filius erat deus / Illi describunt quomodo miracula fecerit in mundo / iste omnia per ipsum facta contestatur / dicens / Omnia per ipsum facta sunt / ergo alii euangeliste christum ex tempore natum affirmant / hic illud in principio / hoc est in patre semper fuisse testatur / dicens / In principio erat verbum /

Principium autem deus pater dicitur / quia ex illo omnia principium ut essent acceperunt / Nec movere nos debet / quod et principium filius vocatur / iuxta quod iudeis interrogantibus quis esset / in sequentibus loquitur / Principium / qui et loquor vobis / Sicut enim pater est principium / sic et filius est principium / non tamen duo principia pater et filius / sed unum principium / Equalibus nominibus utuntur / ut per hoc eorum unitas commendetur / Sed hoc distat inter utrumque principium / quod pater est principium / sed non de principio / Filius vero principium sed de principio / sicut deus de deo / lumen de lumine / In principio inquit erat verbum / id est in patre erat filius / non sicut habitator in domo / sed sicut consilium est in mente / ut quemadmodum consilium quod in mente gignitur / et mens que gignit unum est / ita pater generans / et filius genitus / unius et indivise substancie concordant /

Verbum autem patris / duobus modis filius dicitur / Primum / quia per ipsum innotescit pater / Sicut enim verbis nostris id agitur cum verbum dicimus / ut noster animus innotescat audienti / et quidquid secreti corde gerimus / per signa huiusmodi ad cognitionem alterius proferatur / sic illa sapiencia quam deus pater genuit / quia per illam innotescit dignis animis secretissimus pater / verbum eius convenientissime nominatur / Aliter eciam verbum patris dicitur / ut quia deus videri non potest / invisibilitas divinitatis eius per hoc nomen designetur / Et quale est istud verbum / Prorsus non est verbis nostris simile / que antequam formentur non sunt / postquam formata fuerint desistunt esse / sed est una quedam et incommutabilis substancia / que termino non concluditur / nec fine angustatur / christus videlicet dei virtus et dei sapiencia / Nam de ipso dictum est / cum de sapiencia diceretur / Sapiencia in se ipsa manens innovat omnia / Hoc erat in principio apud deum. Si prius principium ad patrem retulimus congruit ut sequens principium ad creacionis rerum tempora referamus et dominum ihesum christum in divina natura ante omnia que principium id est inicium acceperunt credamus extitisse. Denique ad comprobandam eius eternitatem verbum substantivum quod est erat non semel sed quater iteratum subnectitur. Omnia per ipsum facta sunt. Hoc iaculo manicheus confunditur qui christum factum id est creatum et non genitum a patre fuisse contendit. Sed si omnia id est visibilia et invisibilia per verbum id est per christum creata sunt et nichil creaturarum subsistencium sine ipso factum est patet profecto quia ipse creatura non est per quem omnis creatura facta est sed est cooperator patris quia in sapiencia sua que christus est deus pater omnia fecit. Omnia igitur que facta sunt id est celum et que in celo sunt terra et que in terra sunt mare et que in eo sunt cuncta cetera que pondus numerum et mensuram habere possunt per verbum id est per christum facta sunt. Sine ipso autem nichil factum est subaudi creaturarum que subsistunt. Malum enim peccatum est et idola per ipsum facta non sunt quia nichil sunt. Nulla enim natura sua subsistunt. Quod factum est in ipso vita erat. Sive viventes creatura ut est homo et animalia sive vita carentes ut sunt cuncta insensibilia quidquid factum est in disposicione sapiencie dei erat antequam fieret quomodo et qualiter et quando crearetur. Ideo quia ita distinguendum est. Quod factum est. Sic distingue et deinde infer. In ipso vita erat. Omne quod per ipsum factum est in ipso eciam vivit semper et vivit a deo ut si cuncta ad nichilum redigantur cuncta eciam in pristinum aut arte meliorem statum sapiencia conditoris reformari queant. Sicut verbi gracia ars vivit in artifice licet opus ab eo factum depereat carie aut vetustate. Et vita erat lux hominum. Ergo illa vita id est sapiencia dei per quam facta sunt omnia ipsa est lux non quorumcumque animalium sed hominum qui ad imaginem eius id est dei creati sapiencie possunt esse capaces. Quod aliis animalibus datum non est. Vita ergo erat lux hominum id est sapiencia dei qui est ipse deus illuminans corda hominum presencia sue cognicionis eorum videlicet qui merentur a deo illuminari. Et lux in tenebris lucet. Lux hominum christus est. Tenebre autem sunt stulti iniqui et peccatores tenebrosas habentes consciencias. Lux ergo in tenebris lucet id est christus lumine sue divinitatis lucet per corda malorum hominum qualia sunt interius. Et tenebre eam non comprehenderunt. Hoc est infideles homines et iniusti divine ma iestatis potentiam intelligere non potuerint. In exemplum ceci qui radiis solis undique circumfusus quamvis a sole illuminetur, claritatem tamen lucis illius ipse intueri non prevalet. Sic et Christus in tenebris lucet, quia corda hominum impiorum manifeste cognoscit, licet ipse ab eis ignoretur. Aliter: lux in tenebris luxit, id est Christus in populo iudeorum miraculis incarnacionis sue tempore coruscavit. Et tenebre eum non comprehenderunt, iudei scilicet proprie infidelitatis tenebris circumfusi. Sed cur dicimus tenebre, id est iudei, Christum non comprehenderunt, cum in hoc ipso evangelio legamus a ministris iudeorum comprehensum et ad pylatum fuisse perductum? Quia nimirum et si corpore comprehenderunt, divinitatem tamen illius comprehendere non potuerunt, quod hunc verum deum credere et intelligere noluerunt. Fuit homo missus a deo, et cetera. Quia precedenti sententia monstraverat a peccatoribus claritatem dei non posse comprehendi, hoc est deum intelligi, nunc subvectionis divine auxilium indicat, missum hominem dicens, per cuius predicationem lumen verum potuisset cognosci. Fuit inquit homo. Recte homo fuisse exprimitur, ne more quorundam heresum angelus estimetur. Missus a deo. Quomodo enim de deo vera diceret nisi a deo missus, id est premissus, fuisset. Cui nomen erat iohannes. Hoc nomine recte ille censetur qui graciam novi testamenti, id est Christum, suo testimonio primus mundo innotuit. Interpretatur enim iohannes dei gracia. Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine. Perhibuit iohannes testimonium de lumine, id est Christo, cum digito demonstrans eum diceret: Ecce agnus dei. Ut omnes crederent per illum. Non in illum sed per illum dicit, ut eum venientem eius ostenderet cui soli credulitas est adhibenda. Maledictus enim homo qui spem suam ponat in homine. Non erat ille lux, et cetera. Cur ergo sancti lux vocantur, dicente domino: Vos estis lux mundi, si iohannes non erat lux? Sed valde distat inter lucem que illuminat et que illuminatur. Ad comparacionem igitur illius qui dicit: Ego sum lux mundi, omnes sancti cum iohanne lux non sunt. Iohannes autem lucerna erat ardens et lucens. Ardens videlicet fide et dileccione, lucens verbo et opere. Erat lux vera, et cetera. Christus lux vera dicitur, quia sive naturali ingenio, ut gencium philosophos, sive spiritali sapiencia, ut homines dei, noticiam habentes, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat. Non quo omnes homines tali illuminentur, sed quia quicumque illuminari videntur, non nisi per hanc lucem illustrantur. In mundo erat, et cetera. Qui totus ubique est per presenciam divini tatis / eciam antequam homo fieret in mundo erat factor mundi / Et mundus eum non cognouit / Mundum hic non hanc uniuersalem machinam ut paulo superius / sed homines mundi amore deceptos / ac per hoc noticia dei priuatos appellat / Alioquin / hic mundus eum non cognouit / quem stella declarauit / cuius pedibus se mare substrauit / quo moriente terra tremuit / sol palluit / petre scisse sunt / monumenta aperta sunt / In propria uenit / i. in proprio populo iudeorum apparuit incarnatus / quem sibi de cunctis gentibus peculiariter elegit / In propria uenit et sui eum non receperunt / Qui eum non receperunt iudei i. increduli · sui propinqui / diuinitati illius ex maiori parte contrarii erant / Quomodo autem sui erant qui illum non recipiebant / uel quomodo sui erant / quibus ipse dominus alibi dicit uos ex patre diabolo estis / Et iterum uos ex deo non estis si sui erant / quomodo ex deo non erant sed sui erant per creationem quia a deo conditi fuerant / sui uero nequaquam erant / in eo quod peccando ab illo propria uoluntate recesserant / Sed non omnes iudei / in aduentu christi a salute remanserunt alieni / Alioqui frustra incarnatus esset si non aliquibus profuisset De quibus et sequitur / Quotquot autem / et cetera / Unicus filius dei ex patre natus est / sed solus remanere noluit / fratres sibi misericorditer asciuit gratia / non natura / quos coheredes paterni regni efficeret / Et uide quam magna uirtus fidei per quam efficimur filii dei / De quibus et sequitur / Qui non ex sanguinibus / et cetera / Et omnes fideles filii dei efficiantur / Non agit hoc carnalis ~~[illegible]~~ generacio quia non nascuntur ex sanguinibus / id est / ex polluta delectacione / Neque ex uoluntate carnis et cetera / i. ex copula maris et femine / Nam quod ait ex uoluntate carnis / carnem pro femina posuit / iuxta quod adam formatam euam de latere suo dixit hoc nunc os ex ossibus meis / et caro de carne mea Sed ex deo inquit nati sunt / Tunc quis ex deo nascitur cum per manum ministrantis sancti spiritus ad consorcium filiorum dei in baptismate renouatur / Et uerbum caro factum / Cum premisisset euangelista dicit / Quotquot receperunt eum i. quicunque crediderunt in eum dedit eis potestatem filios dei fieri / tamquam respondens aliquibus diceret / quomodo possunt homines moribundi et fragiles filii dei fieri / subnectit idem euangelista et dicit / Et uerbum caro factum est / Ac si diceret Si filius dei qui inuisibilis atque inmortalis apud patrem manebat particeps uoluit esse nostre mortalitatis nascendo de uirgine / sed quid mirum si fideles suos participes facit sue diuinitatis renascendo spiritu sancto / Ne quis ergo filium dei se effici posse diffideret / Deus homo fieri dignatus est / ut nos sue diuinitatis donaret esse parti

[illegible] cum una
quae deus creauerat
uoluit uiz ut
genus humanum deus
faceret et fecit sicut
ad hoc quod si
adam non peccasset
deus nihilominus [illegible]
[illegible] assumpsisset

·ticeps / Solet autem scriptura carnem pro toto homine ponere / ut illud / Descendit iacob in egyptum / in animabus septuaginta / e contra iterum carnem pro toto homine / Ut propheta ait / Videbit omnis caro salutare dei / Ita et quod hic dicitur / Verbum caro factum est / tale est ac si diceretur / deus homo factus est / carnem videlicet induendo et animam / ut sicut unusquisque homo ex carne constat et anima / ita unus christus a tempore incarnacionis ex divinitate carne et anima constat / Et habitavit in nobis i. visibil visibiliter inter homines conversatus est / Et vidimus gloriam eius / gloriam christi quam ante incarnacionem homines videre non poterant / post incarnacionem viderunt / aspicientes humanitatem miraculis refulgentem / et intelligentes divinitatem in homine latitantem / Maxime qui illi gloriam eius contemplati sunt / qui eum in monte transfiguratum / et celos ascendentem corporaliter videre meruerunt / Que perfecto omnia unigenito patris christo soli / non alii cuiquam hominum condigna fuerunt / Plenum gracia et veritate / Gracie siquidem plenus erat et est homo / christus ihesus / quia solus pre ceteris mortalibus hoc a patre munus accepit / ut ex quo in utero humanam suscepit naturam / mox plenitudinem divinitatis qua patri est equalis acciperet / Unde et eadem glosa semper virgo maria non solum hominis christi sed eciam dei genitrix rectissime appellatur / Veritatis quoque plenus fuit i. verbo divinitatis / quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter / Vera dm̄ carnem suscipiens / verus [illegible] deus apparuit / in altero nobis similis / in altero patri equalis / Cui unigenito filio sit laus et sempiterna graciarum accio in unitate spiritus sancti / per infinita seculorum secula amen

In principio erat verbum Et reliqua

Propheta divinus et psalmista eximius / pater domini / et servus domini david / considerans quam carus sit deo sanctarum animarum transitus in divina contemplacionem / olim ita premisit / Preciosa est in conspectu domini / mors sanctorum eius / Quod quamvis de omnibus generaliter qui pro deo / illo summo bono moriuntur / non inepte possit accipi / subtilius tamen aliquid theologia innuit investigandum / Quid est enim aliud dicere / preciosa est in conspectu domini mors sanctorum eius / nisi acceptissimus deo est purgatarum animarum transitus / a sensibilibus in intelligibilem divinitatis contemplacionem / Hac preciosa morte ille vertex apostolicus / beatus dico petrus obierat quando constantissime christum dei vivi professus est filium dicens

Tu es xpc filius dei vivi / Hanc etiam mortem collega eius paulus interierat / quando ad tercium celi secreta raptus / audivit archana verba que non licet homini loqui / Quique hanc sibi familiarem insinuat dicens / Cottidie morior per vestram gloriam fratres / Pari modo beatum johannem credendum est omnibus mortuum fuisse creaturis / quando omnia que non solum dici ac intelligi possunt / verum etiam que superant omnem intellectum transcendens theologie pennis exaltatus / totus quasi in deum se deificantem transfusus / novam hanc et priscis seculis inauditam exorsus est vocem dicens / In principio erat verbum / Quomodo enim aliter ascenderet in ~~[illegible]~~ deum nisi prius fieret deus / Nam sicut radius nostrorum oculorum non prius potest species rerum sensibilium sentire quam sese radiis solaribus inmisceat / ita beati johannis animus rerum spiritualium omnis intellectum superancium cognicionem nequaquam sufficit accipere nisi prius in comprehensibilem veritatis participacionem dignus fuisset habere / Unde merito in quadriga novi testamenti symbolo figuratur aquile / Sicut enim aquila ceteras solet aves volatu pervertere / et in reverberata aciem acutus radiis solis intendere / ita beatus johannes cunctos de deo philosophantes mirabili celeritate superans / purissime radios divinitatis hausit // Nec sane quemquam aliud / hoc tam proprium / ita singulare decebat privilegium / quam dilectissimum xpo virginem / Cui etiam in signum magne gracie concessum est / ut super diligentis se dominum pectus accumberet / in quo fons est sapiencie et sciencie / Hoc ipsum enim nomen quod est johannes / huius tam excellentis statusque ingentis meriti testimonium fert / Interpretatur enim gracia / sive in quo est gracia / vel cui donatum est / ita abdita summi boni penetrare misteria / et sic humanis intellectibus a sensibus intimare // Comparari enim si potest summo vertici apostolorum beato petro / qui domino sciscitanti quem se esse dicerent / Respondit / Tu es xpc filius dei vivi / Sed non temere dictum sit beatum petrum plus in typum fidei et actionis / quam sciencie et contemplacionis talia prosecutum fuisse / In petro siquidem fidei et actionis forma est / In johanne vero sciencie et contemplacionis typus effulget / Unde et iohannes in sacramento contemplacionis / super pectus domini recumbebat / Petrus vero in figura trepide actionis adhuc titubabat / Simul tamen ad monumentum domini currit / Quid enim per monumentum domini / nisi divina scriptura intelligitur / in qua divinitatis et humanitatis eius mysteria / densitate litterarum veluti quadam muniuntur petra / Sed iohannes precurrit petro / quia acrius et velocius penetrat intima divinorum apicum secreta virtus contemplacionis penitus purificate / quam imbecillitas actionis adhuc purificande / Primo tamen intrat petrus. deinde iohannes / ac sic ambo currunt ambo intrant / Quia enim scriptum est / nisi credideritis non intelligetis / necessario precedit fides in monumentum sacre scripture / deinde sequens ingreditur intellectus / cui fide preparatur accessus / Verbum hoc dicentes / non preferimus petro iohannem qui vertex merito dicatur et est summus apostolorum / sed preferimus actioni contemplacionem purgandi adhuc animo / perfecte purgatum / Nec consideramus apostolorum personarum dignitatem sed investigamus pulcherrimam divinorum misteriorum differenciam / Comperimus enim si possumus paulo / qui ut ipse ait raptus est ad tertij celi secreta et in paradisum / non tamen super omne celum et omnem paradisum raptus est / Iohannes vero omne celum conditum / et omnem paradisum creatum / omnem videlicet humanam naturam sive angelicam transgreditur / Beatus paulus in tercio celo audivit / archana verba que non licet homini loqui / Iohannes intime veritatis inspector / ultra omne celum / et omnem paradisum paradisorum / audivit unum verbum / per quod facta sunt omnia / et licuit ei illud verbum hominibus predicare quantum predicari potest // ac fiducialiter clamat deum verbum in deo principio esse hoc filium deum in deo patre subsistere pronunciat / in principio inquiens erat verbum / Hoc verbum quod est erat / non pro tempore sed pro substancia positum est / Positivum autem eius quod est sum / unde hoc inequaliter flectitur / duplicem habet significacionem / Aliquando enim temporales motus secundum analogiam aliorum verborum declarat / Aliquando substanciam cuiuscumque rei de qua predicatur sine ullo temporali motu designat / Ideo substantivum vocatur / Tale est ergo quod ait / in principio erat verbum / ac si diceret in patre subsistit filius / Quare autem verbum dicatur filius / gemina respondendi racio occurrit / Verbum filius vocatur / quia sicut forinsecus archana mentis verbo pandimus / ita deus pater per filium / hoc est per verbum suum innotuit / Vel ideo verbum filius vocatur / quia per ipsum dicendo hoc est generando / deus pater omnia condidit / ipse enim est patris et dictio / et verbum et sermo. Vel si quid aliud compendiosius dici potest, quamvis de deo diffinite nichil dici possit vel affirmari, quo ita voluit ex dicibilibus ut esset in conprehensibilibus, qui melius nesciendo scitur, et negando melius affirmatur. Principium autem deus pater dicitur, quia principalis omni causa, que ex ipso et per ipsum facta sunt, filius est. Dicitur autem et filius principium, sicut ipse dicit: Ego principium. Principium ergo ex quo omnia, pater est; principium per quod omnia, filius est. Non tamen duo principia, sed unum principium, sicut nec duo dii, sed unus deus. Et ne quis existimaret ita filium in deo patre subsistere, ut nulla substanciarum differencia credatur inesse, continuo subiungit: Et verbum erat apud deum. Quod tale est ac si diceret: Filius subsistit in patre in unitate essencie, et personali divisione. Ipsum verbum deum cum patre esse ostendit, adiciens: Et deus erat verbum. Postremo iteracionis verba replicando, ne de uno eodemque verbo dici videretur aliud esse verbum quod erat in principio, aliud quod erat apud deum, aliud quod erat deus, consequenter adiunxit: Hoc erat in principio apud deum, id est hoc verbum quod deus est, apud deum est ipsum et non aliud quod erat in principio. Hic sane principium ad rem refertur concordia, ante omnia tempora vel quod esse potest in tempore. Nam ad verbi eternitatem exprimendam commendandum, quatenus posuit erat, non temporis exprimens, sed substanciam ut divinus pandens. Omnia per ipsum facta sunt. Si omnia per ipsum, id est per verbum facta sunt, constat profecto quia ipsum verbum dei creatura non est, per quod omnis creatura facta est. Audientes vero omnia per ipsum facta, caveamus ne nos preripiat carnalis intellectus, ut more artificis cuiuspiam per spacia locorum et temporum deum intellegamus operatum. Quod enim ait omnia per ipsum facta sunt, tale est ac si diceret: Ego nascente ante omnia ex patre, omnia cum ipso et per ipsum facta sunt. Prius enim ex patre generacio ipsa est causarum omnium condicio, omniumque operacio et effectus, que ex causis in genera et species processerunt. Patre igitur loquente verbum suum, id est patre generante sapienciam suam, omnia facta sunt. Dicit enim psalmista: Omnia in sapiencia fecisti. Et hoc est quod alibi dicitur: Ipse dixit et facta sunt. Quod est dicere: pater verbum suum genuit, et per ipsum omnia creavit. Et ne quis forte putaret aliqua cum fecisset per se consistencia, que non ad ipsum tamquam ad sui principium referatur, adnexuit: Et sine ipso factum est nichil / hoc est nichil extra ipsum formatum est / quia ipse ambit intra se omnia / Quod facile et aperte intelligitur / Ubi enim non sine ipso / sed extra ipsum habetur / id est non ancov sed cosys dlytov i. extra ipsum / Et hoc quidem significancius esse videtur / Qui enim audit sine ipso / potest intelligere sine ipsius consilio vel adiutorio / Audiens non extra ipsum / nichil omnino relinquit / quod in ipso / et per ipsum factum non sit / nichil sane hoc loco / privacione et negacione omnium rerum significat / id est / nulla omnino creatura corporea vel incorporea / vel quod medium est corporalis / nulla creatura quantitate vel qualitate subsistens / locorum vel temporum intervallis obnoxia / sine verbo dei vel extra verbum dei factum est / Quod si querat aliquis / quis ergo fecit malum si sine verbo dei factum est nichil / constanter respondendum est / quoniam malum nichil est / Minime enim in rerum natura subsistit / Denique causa omnium rerum deus est / malum non causaliter reperiri non potest / Bonum enim causa mali non est / Incausale igitur est omni natali origine carens / nec omnino subsistit / nam neque substancia est neque accidens / Manifeste itaque convincitur / quod malum nichil est / Non igitur per verbum factum est.

Dicit enim per privacionem / ut mors et vita / vel per essenciam ut lux et tenebre / Et hic quidem facit evangelista finem theologie sue / Sed ne voluntate faciendi omnia repente putares coortam / ut facere vellet quod nunquam antea fuisset / veluti ab altero exordio sive fine theologie / direxit dicens / Quod factum est / et cetera / Que sentencia duplici pronunciacione discernitur / potest enim sub distingui secundum beatum augustinum / ita / Quod factum est subaudi localiter et temporaliter / ac deinde inferri / in ipso vita erat / Id est quod factum est sive in principalibus causis / sive in earum effectibus / in ipso verbo in quo raciones eterne sunt vita erat / Potest et simplicius secundum alios ita distingui / Quod factum est in ipso / ac deinde veluti ab alio exordio inferri / vita erat / Ut intelligamus quod factum est in ipso temporaliter et localiter per creacionem / vita erat eternaliter per generacionem / Subsistunt enim in ipso omnia causaliter / priusquam sunt in semetipsis effective / Hoc autem dicimus / non quia creatura sua coeterna sit creatori / sed quia coeterna est illi racio voluntatis sue / in qua semper quid / et quando crearet habuit / Que raciones a magistris primordiales cause vocantur / Sed si queris qua racio omnia que facta sunt per verbum uniformiter inxerunt (ex rerum naturis) accipe paradigma. Disce factorem ex hiis que per ipsum et in ipso facta sunt. Omnes corporum forme, omnium colorum pulchritudines in sole isto uniformiter subsistunt. In grano seminis perexiguo herbarum numerositas continetur. In mente cuiuslibet artificis multiplices artium regule sunt, et in animo disponentis unum sunt et vivunt. In monade omnes numeri unum sunt. Huiusmodi innumerabilibus perducimur quod omnia que per verbum facta sunt in ipso vivunt et vita sunt. In ipso enim vivimus et movemur et sumus. In ipso vivimus secundum precedentem in ipso vivendi racionem. In ipso movemur secundum precedentem semper in ipso bene essendi racionem. In ipso sumus per accidentem in ipso nostre essencie racionem. Eque nobis vitali motu carere videntur in ipso vivunt, iuxta illud scripture: Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, id est a summo angelo usque ad supremum vermiculum. Et vita erat lux hominum. Filium dei, quem superius verbum appellavit, nunc vitam nominat et lucem. Vita ergo erat lux, non quorumlibet animalium, sed lux hominum, qui ad ymaginem dei conditi sunt et luminis divine sciencie participes esse possunt. Homine igitur deum deserente lux divine cognicionis de mundo recessit. Unde oportuit ut filius dei humanis cordibus ostenderet se eis et patrem. Cur autem tantummodo lux hominum dicatur, cum sit eciam lux angelorum? Nimirum lux hominum specialiter dicitur, quia in humana creatura omni racionali et intellectuali creature se ipsum manifestavit, sive quod divinitatis qua patri est equalis mysteria reseravit. Incomprehensibile quippe erat priusquam incarnaretur omni creature visibili et invisibili, scilicet angelis et hominibus, quoniam remotum erat super omne quod dicitur et intelligitur. Incarnatum autem mirabili theophania in cognicionem angelice et humane nature descendit. Et qui prius erat in natura divinitatis super omnia incognitus, naturam in qua cognosceretur assumpsit. Et lux in tenebris lucet. Tenebrarum nomine intelliguntur peccatores. Unde Paulus ad conversos dicit: Fuistis aliquando tenebre. Lux in tenebris lucet, quia eciam ipse per corda peccatorum qualia sunt intuetur, quamvis ipsi per intelligenciam radios eius lucis capere nequeant, exemplo ceci, qui sole undique perfusus, cecitatis inclusionibus tenebras patitur. Aliter: Lux in tenebris lucet, ipse genus humanum illuminavit, quod merito peccati originalis in tenebris erat, non exteriorum oculorum, quibus sensibiles forme cernuntur, sed interiorum quibus intellegibilium species discernuntur // Item lux in tenebris lucet / quia xpc in populo iudeorum miraculis coruscat / Et tenebre eam non comprehenderunt / Verum est ergo quod scriptum est / quod iudei illum tenuerunt / et ligatum ad presidem duxerunt / Sed comprehenderunt manibus carnis / non autem sensibus diuinitatem / Fuit homo / et cetera / Intueamur aquilam de sublimissimo monte theologie / et descendentem in profundissimam vilitatem historie / Iohannes / Iohannis in sua narracione meminit / Abissus abissum inuocat / evangelista / precursoris historiam narrat / Ille cui concessum est incorruptum verbum cognoscere / illum cui donatum est incarnatum verbum preire commemorat / Fuit inquit homo ut angelum non esse monstraret / quemadmodum quidam opinati sunt / Et quasi quereremus cuius auctoritatis fuit ille homo / intulit / missus a deo / Queritur quid vocabatur / Cui nomen erat Iohannes / quod interpretatur dei gracia / sive in quo est gracia / sive cui donatum est // Sed enim dei gracia donatum est illi regem regum non solum precurrere / verum eciam baptizare / Hic venit in testimonium / Accipe testimonium iohannis de lumine xpo / Ecce agnus dei / et cetera / Item / qui post me venit / Et reliqua / Item / illum oportet crescere / Et plura id genus / Ut omnes crederent per ipsum // Non dicit in ipsum / quia non erat deus / dicit enim / Quem me arbitramini non sum ego / sed per ipsum hoc est per eius testimonium // Non erat ille lux / sed subaudi a superioribus / missus est / ut testimonium perhiberet / et cetera / Si ergo iohannes non erat lux / nunc titubat sermo domini dicentis ad apostolos / vos estis lux mundi // Respondendum ad hoc / quia nulla creatura / seu intellectualis seu racionalis / per se ipsam substancialiter lux est / sed participacione illius summe ac vere lucis / que est substancialis que ubique et omnibus lucet / omnia discutit / ad omnia accedit / nullis sordibus corrumpitur / nullis tenebris obscuratur // Nam et solaris radius / munda penetrat et immunda / dum sit in omnibus munda nec purior in mundis quam in sordibus / Incontaminatus est enim in omnibus que illuminat / Huius itaque vere lucis comparacione iohannes et apostoli lux non esse perhibentur // Non enim ipsi lucent / sed a participacione vere lucis acceperunt ut lucerent /

Dicens itaque non erat ille lux discernit precursorem a domino / vocem a verbo / stellam matutinam a sole / testem ab eo cui testimonium fert / Habemus tamen aliquid / quod iohanni conveniat / Ille inquit erat lucerna ardens et lucens / Ardens uidelicet fide et dilectione / lucens uerbo et actione / Erat lux uera / Si ueram lucem queris propter est lux uera i. substancialis et non aliunde egens illuminari / Illuminare uero omnem hominem dicitur / non quo fidei luce omnes illuminentur quando quidem plurimi infidelitatis tenebris obscurantur / sed eos uidelicet qui illuminantur / Dum non aliunde sed ab illo illuminantur / illuminare dicitur / Omnes enim / non semper uniuersaliter sed aliquando particulariter in scripturis ponuntur / ut est illud apostoli / qui uult omnes saluos fieri / Ut enim omnes uult saluos fieri qui saluantur / ita illuminat omnes quicumque illuminantur / Potest et subtilius accipi quod dicitur / illuminat omnem hominem / ut intelligamus hoc non de carnaliter natis / sed de spiritualiter renatis i. non de hiis qui per generacionem carnis in mundum transeunt uisibilem / sed de hiis qui per regeneracionem spiritus transeunt in mundum intelligibilem / electorum scilicet societatem / spernentes mundum / qui deorsum est / et in illum qui desursum est ascendentes / Filii hominum esse desinentes / filii dei esse inchoantes / In mundo erat et cetera / Ecce aperta discrepancia utriusque nature in Christo ostenditur / In mundo enim erat per humanitatem quem fecerat per diuinitatem / Potest et subtilius hoc idem accipi / In mundo enim hoc est uniuersali creatura subsistit / pro hoc quod omnia continet / Uniuersitas quippe condita non subsisteret / nisi hanc incomprehensibilis conditor contineret / et mundus per ipsum factus est / Non enim in alienis operibus conditor uniuersitatis habitabat sed in suis que fecit / Et mundus eum non cognouit / Hoc quoque non hiis uerbis sed eodem sensu commemoratum / lux enim ait in tenebris lucet / et cetera / Querendum tamen quidnam sit quod dicit / et mundus eum non cognouit / Eo enim nascente / celi nouam stellam miserunt / Eo moriente / terra tremuit / Eo uolente / mare se prebuit calcabile eius pedibus // Num ergo mundum deum non cognouisse credendum est / Sed mundus in hoc loco homines appellati sunt / qui diligendo mundum mundus merito uocantur / Quamquam et phisica racio persuadeat hominem iure appellare mundum / Officina enim tocius creature est homo / in ipso / adunata sunt omnia / Tocius siquidem creature / quinquepartita est diuisio / Aut enim tantum corporea est ut lapis / Aut uitalis ut herbe / aut sensualis ut pecora / aut racionalis ut homo / aut intellectualis ut angelus / Et hec omnia commode in homine congregata / omnem mundanum ut dicam constituunt ornamentum id est homines / iste mundus / id est homo suum creatorem non cognovit / Si enim cognovissent / numquam dominum glorie crucifixissent / In propria venit / Hoc est in propria que per ipsum facta sunt / ac per hoc propria ipsius merito dicuntur / Et sui eum non receperunt / homines videlicet ab ipso creati / Vel etiam in propria venit / quia in gentem iudeorum quam de cunctis populis peculiariter elegerat / incarnari voluit / Et sui eum non receperunt / iudei / peculiaris eius populus / Ergo / supervacue verbum incarnatum est / si nemo eum recepit / Unde sequenti sententia segregatur recepturos verbi ab eius contemptoribus / cum dicatur / quotquot autem receperunt eum / etc / Quo loco ineffabilis pietas redemptoris nostri / et subtiliter perpendenda / et submissius est veneranda / Cum esset unicus patris filius manere noluit / sed fratres sibi quibus regnum patris sui distribueret adquisivit / Quid retribuemus domino pro bonis / que retribuit nobis / Recipientibus itaque dedit potestatem filios dei fieri / non recipientibus dat adhuc spacium recipiendi / Nulli ergo aufertur possibilitas credendi in filium dei / et efficiendi filium dei / Quid vero sit recipere filium dei / exponendo subnectit / Hiis qui credunt in nomine eius / Qui enim ipsum verum deum et verum hominem / firmissime credunt / nimirum eum recipiunt / Datur eis facultas recipiendi filium dei / Ordo sane efficiendi filios dei / sequenti sententia declarat / Qui non ex sanguinibus / neque ex voluntate carnis / etc / Ex sanguinibus pluraliter dicens / corporalem procreationem exprimere voluit / quia ex semine femine et maris constare indubium est / Quod utriusque tempore conceptionis / physica ratio docet / Neque ex voluntate carnis etc / Duplex veneratur sexus ex quo ut prefatum est carnalis generatio propagatur / Et carnis quidem nomine femina / viri vero / masculus vocatur / Solet enim in sacro eloquio carnis vocabulo mulier designari / unde in genesi adam de eva dixisse legitur / hoc nunc os ex ossibus meis / et caro de carne mea / Sed fortassis in dubium quibusdam venit / filios hominum posse fieri filios dei / Horebus ergo pavoribus sumendum est argumentum / Et verbum caro factum est / Si ita processit quod maius est / quid dubitet fieri quod minus est / Si inquam filius dei factus est homo / quod nemo imprimere dubitaverit / quid mirum / si homo credens in filium dei filius dei factus sit / Ad hoc quippe verbum dei in carne descendit / ut carnalis homo in ipsum credens in verbum ascenderet

Intuearis utique celum apertum / Hoc est summe et individue trinitatis mysterium / mundo propalatum / Adventum angelorum divinum super filium hominis ascendentium / cum intonat / In principio erat verbum / Et pronus descendentem et clamat / verbum caro factum est / Quod est dicere / deus homo factus est / Familiare enim fecit sibi sancta scriptura partis unius nomine totum significare / Quesierunt sane multi racione misterii huius / quomodo videlicet misceri potuerit homo et deus / Querunt racione de eo quod semel factum est / cum ipsi nequeant racione reddere de hoc quod cottidie fit / quomodo videlicet societur anima corpori ut fiat homo / Breviter itaque dicendum quomodo corporea incorporeaque rebus coniungitur / id est / corpori anima miscetur ut homo efficiatur / ita homo coniunctus est deo / et factus est deus / Ut fieret christus / illa duo incorporea / id est anima et deus facilius coniungi permisceri que potuerunt / quam miscetur una incorporea et alia corporea / anima et corpus in persona hominis / Neque ita verbum in carne conversum est / neque caro in verbum confusa est sed distinctis substanciis / verbum et caro / unam christi fecere personam / Et habitavit in nobis / id est inter homines conversatus est / Naturam nostram possedit ut sue nature nos participes faceret / Et vidimus gloriam eius /

Captat iohannes evangelista personam suam ceteris apostolis / et dicat vidimus gloriam eius / Viderunt quippe gloriam eius omnes / que ante incarnacionem videri non poterat / illi vel maxime qui eum transfiguratum in monte sancto videre meruerunt / inter quos et cum quibus tercius aderat / Hic ipse iohannes testis dominice resurrectionis / Viderunt nichilominus gloriam eius eo resurgente a mortuis / et ad se clausis ianuis intrante / Postremo viderunt gloriam eius / cum celos ascendentem oculis deducentes / contestantibus angelis / in eadem illum gloria reversurum / Super omnia hic electus et dilectus domini iohannes gloriam eius aspexit / quando altissimo mentis intuitu ultra omne celum in paradisum paradisorum raptus / ibi contemplatus est verbum dei in principio apud patrem suum / ibi vidit gloriam eius non qualemcumque / sed quasi unigeniti a patre / Quamvis et illa gloria quam omnes apostoli in christo intuiti sunt / non fuerit talis que cuilibet homini conveniret / sed que solum deceret unigenitum filium dei / Plenum gracie et veritatis / Duplicem intellectum capitulum istud profert / Plenitudo enim gracie refertur ad humanitatem / Plenitudo veritatis ad divinitatem / Verbum quippe dei incarnatum / plenitudinem gratie secundum humanitatem accepit ut ex tempore conceptionis sue / verus homo / verus esset et deus / Sicut enim verbum carnem sumpsit / ita ipsa caro potestatem divinitatis accepit / et hoc viri gratia vocatur / qua nullis precedentibus meritis efficitur deus / Veritate quoque plenus fuit / id est verbi divinitate / que hominem illum singulariter elegit / in unitate persone sibi copulavit // In ipso enim habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter / Potest etiam plenitudo gratie Christi / de spiritu sancto intelligi / Spiritus enim sanctus / quia distributor est carismatum spiritualium / Gratia solet appellari / Cuius plenitudo id est septiformis gratia humanitatem Christi implevit / ut propheta ysaias testatur / Requiescet super eum spiritus domini / Et cetera // Ipse est illud candelabrum mysticum / in cuius vertice septem lampadas gratiarum in ipso et de ipso fulserunt // Licet non a fide naufragavit / quibus hec consequencium tenore intelligenda indicavit // Nam paulo inferius scriptum est / Lex per moysen data est / et cetera / Gratiam quippe sancti evangelii per se ipsum attulit veritatem videlicet legalium symbolorum / in se ipso complevit / Cum quidem ipse est fons et plenitudo gratie / veritas symbolorum legalium / adimpletas prophetiarum visionum / Hucusque spiritualem aquilam sublimissimo volatu celestia penetrantem oculis deduximus / reliquum est / ut in contemplationem hodierni diei ad nos metipsos aciem reflectamus // Sicut enim physici oculos splendore sauciatos tenebrarum refici densitate / Igitur natale regis animis exultantibus celebremus / Agamus gratias sancte trinitati / agamus gratias deo patri / qui nullis precedentibus meritis sic dilexit mundum / ut filium suum daret pro mundo / et proprio filio non pepercit / et cetera / Agamus gratias eidem filio eius ihesu christo domino nostro / qui pro nobis in tantum humiliari consensit / ut non solum homo fieret / verum etiam pro hominibus moreretur / Agamus nichilominus gratias spiritui sancto ex patre et filio procedenti / qui salutis nostre cooperator extitit in omnibus / per quem sumus renati / per quem rei cum essemus iustificationem accepimus / Deinde humiliemus nos sub potenti manu dei / illud pre oculis semper habentes quantum se homo debeat submittere propter deum / si tantum se submisit deus homo propter hominem / Hec nobiscum agamus / Hec nobiscum sedulo retractemus / Thalamum cordis nostri expurgemus lacrimis / virtutibus exornemus / ut ille cuius hodie nativitatem colendam susce primus / cum benedicto patre suo ad nos venire et mansionem in nostris cordibus sibi dignetur a patre / Ihesus Christus dominus noster / Amen //

In die sancti Stephani / Ewangelium secundum Matheum //
In illo tempore:

Dicebat Ihesus turbis iudeorum / et principibus sacerdotum / Ecce ego mitto ad vos prophetas / et sapientes et scribas / Et reliqua

Evangelice huius lectionis intellectus superiori narracioni coherere videtur / Cum siquidem redemptor noster scribas et phariseos pluribus increpacionibus obiurgasset / atque inter cetera dixisset prophetice / Ve vobis scribe et pharisei / qui edificatis monumenta prophetarum / et dicitis / Si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus in sanguine prophetarum socii eorum / Atque post pauca / Et vos inquit implete mensuram patrum vestrorum / Quod est dicere / Quod illi minus fecerunt / vos suppletis / Illi occiderunt servos / vos dominum crucifigitis // Illi homines / vos deum / Et quasi ad hec possent illi obicere / non habemus modo prophetas quos occidamus / adiungit // Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas / Prophete hic apostoli appellantur quia per donum spiritus sancti futurorum habebant noticiam / Ipsi sunt sapientes in corde / qui sermonem proferre noverunt in tempore oportuno // Ipsi scribe quia legem dei scriptam habent per spiritum sanctum in cordibus suis / Ex illis ergo occiderunt Iacobum fratrem Iohannis / et ipsum Iohannem baptistam / Lapidaverunt Stephanum / Crucifixerunt Petrum // Flagellaverunt duodecim apostolos / quando ibant gaudentes / Et cetera // Et persecuti sunt eos de civitate in civitatem / ut non recepti ab eis / ipsi ad gentes migrarent / Ut veniat super vos omnis sanguis iustus // Requirendum cur sanguis omnium iustorum a sanguine Abel usque ad sanguinem Zacharie filii Barachie / ab una iudeorum generacione requirendus predicatur / cum neutrum eorum ab illis constet occisum / Et certe innumerabiles martires tam in veteri quam in novo testamento extitisse legimus / quos illi non interfecerunt / Sed moris est scripture / duas tantum generaciones / bonorum scilicet et malorum texere / De bonorum siquidem generacione dictum est / Generacio iustorum benedicetur / Et hec est generacio querencium dominum / At contra de reprobis dicitur / Genimina viperarum / Et generacio prava et perversa / Omnes igitur reprobi / qui in malicia similes sunt / in una generacione computantur / Et omnes sancti e diverso qui sunt in virtutibus imitantur una generacio esse dicuntur /

Querendum rursus quis sit ille Zacharias / qui occisus inter templum et altare memoratur / Et quidem alii istum zachariam opinantur alium ipsum esse / qui in ordine prophetarum undecimus ponitur / Et licet in eo patris nomen consonat / quia scribatur filius barachie cognominatur / tamen quomodo inter templum et altare occisus sit non apparet / presertim cum temporibus illius vix ruine templi subsisterint / Alii hunc zachariam patrem Johannis intellexerunt / asserentes quod propterea occisus sit a iudeis / quia adventum salvatoris prenunciaverit / Sed hunc nos zachariam intelligimus sine dubio / quem ioas rex inter templum et altare interfecit / Sicut in regum historia scriptum est / Et non est recordatus ioas inquit patris eius ioade / sed interfecit filium eius qui se eripuerat de morte / et in templo septem annis absconditum nutrierat / Sed queritur cur hic barachie dicatur filius / cum in prefata historia filius ioade asseratur / Quod ita solvitur / Barachias namque benedictus domini dicitur / Ioada / iusticia interpretatur / Qui ergo iusticia plenus est / benedictus domini rectissime appellari potest / Unus ergo idem homo iuxta nominis interpretationem / et ioada et barachias esse potuit intelligi / Potuit etiam fieri ut ipse barachias binominis fuerit / et sit altero nomine appellatus ioada / Sicut et matheus evangelista vocatus est levi / Item requirendum / cur dixerit a sanguine abel usque ad sanguinem zacharie a iudeis prophetarum sanguinem exquirendum / Cur enim a sanguine abel dixerit mirum non est / Cur vero usque ad sanguinem zacharie querendum est / cum multi post eum extiterint martires / Ad quod dicendum / quia per hos duos quorum alter in campo / alter occisus est in templo / Duo ordines martirum designantur / Per abel quidem qui in campo occiditur / laici / per zachariam vero qui in templo occiditur / Hii qui ex sacerdotali dignitate ad martirium provecti sunt figurantur / Ideo autem hos duos tantum nominatim posuit / quia ambo innocentes / et nulla iusta causa existente interfecti sunt / Ambo sacerdotes / ambo pastores / Ille ovium iste animarum / Et sicut ille interfectus est a fratre suo in agro / ita iste a consobrino / et collactaneo suo in templo / Hic occisus inter templum et altare / Duo erant altaria in templo / unum magis interius / alterum holocaustorum exterius / inter quod et templum zacharias est interemptus / Vel inter templum et altare i. inter consensum populi et sacerdotum / quorum alii per templum alii per altare signantur / Postremo quid est quod in evangelio vel epistolis abel speciali testimonio iusticie honoratur / perfecto quia decebat illum privilegio quodam tanto cognomine decorari qui tribus preclaris virtutibus typum christi in se excellentissime pretulit / Fuit enim virgo / sacerdos / et martir / Sunt tot et tam varias opiniones de zacharia quinam fuit / quin ad liquidum veritas historie scrutari non possit / recurrendum est ad allegoriam / Hic enim est unicus coitus earum rerum / que in sancto evangelio dicta tantum / non autem facta leguntur / Per abel designantur omnes sancti / qui fuerunt ab inicio mundi usque ad passionem domini et redempcionem generis humani / quod ipsa nominis interpretacio demonstrat / Interpretatur enim luctus / vapor / fumiculus vel funiculatus / significans sanctos passione domini precedentes / Qui considerantes se exules et a paradisi beatitudine deiectos / in luctu et mesticia erant / et presentem vitam tanquam fumidam et transitoriam contempnentes / ad sortem et funiculum superne hereditatis quantocius properabant / Zacharias vero / significat sanctos a passione domini / usque ad finem seculi / Interpretatur enim zacharias memoria domini / sive memorans / vel recordans domini / eosdem significans sanctos / qui considerantes se sui domini passione redemptos / eum semper in memoria habere /

ac condignas graciarum acciones illi agere student / Hic zacharias occisus est inter templum et altare / Altare significat aram dominice crucis / in qua singularis ille agnus pro salute humani generis deo patri oblatus est / Templum ergo significat ingressum regni celestis / ad quod omnes sancti peracto iudicio intraturi sunt / Inter templum ergo et altare passus esse dicitur / quia ut dictum est eos designat / qui a tempore dominice passionis usque ad ingressum regni celestis / vel passi aut passuri sunt / Jerusalem / Jerusalem / et reliqua / Quod nomen civitatis Jherusalem ingeminando replicat i. repetit / nos sapor ruina / sed ipsius perdicionem deplangit / Que occidis inquit prophetas ut ysaiam quem serra lignea invenientem per medium secuerunt / et amos quem similiter transmisso vecte per tympora infandissime necaverunt / et ceteros quos diversis et pene incredibilibus referuntur vexasse suppliciis / Et lapidas eos qui ad te missi sunt / Ut naboth iustum virum / et jheromiam prophetam / in egypto / ut epyphanius cyprius testatur / Quociens volui congregare filios tuos / et cetera / Ponit galline similitudinem / que circa pullos tanta affectione ducitur, ut pro eis quoque ipsa infirmetur, ipsa eciam raucione vocis, exprimenti affectum magne compassionis. Qui ergo alibi herodem vulpem vocat, recte se hic galline assimilat. Item vulpes gallinis venandis insidias tendit, sic herodes redemptoris nostri necem siciens perennibus odiis insectando infestabat. Cuius sentencia inde potissimum claret, quod cum pilatus ad eius iudicium christum dominum misisset, ille sprevit eum cum exercitu suo etc. usque et pilatus. Hoc eciam genus animantis cui se redemptor comparat, quod in avibus difficilius reperitur, alis suis pullos protegit, et contra milvum se erigit. Sic et mater nostra, id est sapiencia dei, que christus est, per carnis susceptionem infirmata pro nobis, protegit infirmitatem nostram, et resistit diabolo, ne nos in interitum rapiat. Si autem gallina per significacionem deus intelligitur, due ale eius, moyses et aaron, vel esdras et neemias, accipiuntur, sub quibus ille populus israheliticus de diversis captivitatibus est liberatus vel congregatus. Quid autem est quod dicit quociens volui et noluisti? Nunquid humana voluntas voluntati dei prevalet, cum scriptum sit, omnia quecunque voluit fecit? Ad hoc dicendum, quia liberum arbitrium deus homini contulit. Aliter quod dicit volui et noluisti, ac si dicat, ex mea parte volui, sed tu ex tua noluisti. Aliter, ego quidem volui, et quod volui eciam te nolente feci. Illa ergo quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente, filios eius collegit ipse quos voluit. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Domum iudeorum, vel civitatem iherusalem, quam iuxta alium evangelistam viduam notaverit, vel augustum in ea templum significat, quod primum quidem merito infidelitatis eorum a deo desertum est, clamantibus angelicis potestatibus, transeamus ab hiis sedibus. Deinde in vindicta dominice crucis romanis vastantibus et tanquam vacuum viduam diripientibus, cunctis suis habitatoribus est destitutum. Dico autem vobis non me videbitis amodo donec dicatis, benedictus qui venit in nomine domini. Hoc de futuro tempore, propinquante ad iudicium domino, dictum est, quando ad predicacionem helie et enoch iudei ad fidem conversi christum dominum benedictum non voce tantum, sed et operibus proclamabunt. Nam postquam dominus hoc dixit, non legimus iudeos huiusmodi confessionem in eius laude protulisse. Postea enim hoc dixit qui intrauit in templu cu laudibus turbaru / hunc ipm uersiculum in laudem xpi ut supra narratu est decantanciu / habet igitur iudei tempus penitencie c datum / ut si uoluerint cofiteri xpm dei patris filiu / benedicam in noie dni / faciem illius intueri meruerunt / de potencia diuinitatis eius intellectualibus oculis cōsiderat / et equalem patri credere Tunc aut in noie patris bndictu illu pclamabunt / cu pdicacione helie et enoch pcepta / ut dcm est fidem eius recipient / et glam pdicabunt impleto apli uaticinio / quia cu plenitudo gencium intrauerit / tunc omis israhel saluus erit / Hiis delectione euangelica put posse fuit pmissis / nouerim9 quia beati stephani primi martiris festiuitati qua colim9 no solum debem9 ueneracoem sz et imitacoem / Hic em primus dns ihc post suam passionem primu pati uoluit / cui9 dileccionem eciā circa inimicos uicta nobis omnibus imitabile fecit / Et cur hunc primu martirē uocamus / cum tot quam milia puulor passa sint pro redemptore nouim9 merito certe in nouo testamento primus martir dicatur / quia prim9 omni post dni pdicacoem / passionem ac resurrectione p effusionem sanguis meruit palma consequi supne retribucionis / atq ad coronam sui et nomini et labori dedicatum ptingēt / Prestante dno nro ihu xpo qui uiuit et regnat cu patre et spu sancto p omnia secula seculoz amen /

In festiuitate sti Iohis ewangeliste Sedm Iohz

Dixit ihc petro / Sequere me Et reliqua

Ea que in psenti euangelica lectione nobis recitant / no est putandu in passione saluatoris fuisse perpetrata sz pocius post illius resurrectionem a mortuis / Quod ordo superioris lecois / euidentissime ostendit / Legitur naqz paulo superius / quia postqua dns a mortuis resurgens sepius corpali uisione suis apparuit / In septima uice apparuit septe discipulis ad mare tyberiadis tota nocte frustra in piscando laborantibus / Quibus in dexteram parte nauigii rete mittendum pcipiens / concluserunt multitudinem piscium / centu uidelicet quinquaginta triu / Et descendentes in terram / uiderunt prunas positas et piscem prunis suppositu / uiderunt et panē / Deinde iussu saluatoris / attulerunt discipuli de piscibus quos ipsi ceperunt / Cumqz manducassent cu eis / interrogauit ter petru an se diligeret / Quo de sui amoris integritate dno tercio testimonium dante, commisit ei dominus oves suas pascendas, videlicet plebes gubernandas atque docendas. Deinde ait ei: Amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te et ambulabas ubi volebas, usque et ducet quo non vis. Quid autem dicto dominus ostendere voluerit, evangelista declarat, qui statim infert: Hoc autem inquiens dixit significans qua morte clarificaturus esset deum. Postquam igitur dominus Ihesus resurgens a mortuis Petro suarum ovium curam commisit, eique qua morte esset deum clarificaturus evidenti attestatione innotuit, subiungit etiam hoc quod in exordio huius evangelice lectionis audivimus: et dicit ei: Sequere me. Ac si aperte dicat: Quid tu pro mei confessione nominis mortem crucemque trepidas, cum ego prius pro tua redemptione id supplicium subeundo exemplum tibi constancie progaverim, qui tanto maiore gloria donaberis, quanto in perferendo martirio magisterium tuum ardencius imitari studueris. Quid vero his dictis dominus vel discipuli qui cum eo erant egerunt, ab evangelista aperte non subditur, sed ex eo innuitur quod subiungit: Conversus Petrus videt illum discipulum quem diligebat Ihesus sequentem. Hinc enim patet, quia cum dixisset dominus Petro sequere me, surrexit de loco convivii et cepit ire. Quem Petrus mox festinanter est subsecutus. Quod videns Iohannes, qui se Christo pociori pre ceteris dilectione carissimum noverat, cepit etiam ipse abire post illos. Nec dubium est utrumque discipulum non id circo dominum vestigia corporaliter subsecutum, quia dum intellexerant cur Petro dixerat sequere me. Cuncti autem novimus beatum Iohannem cuius hodie recolimus natalem diem. Hanc observare in suo evangelio consuetudinem, ut in qua se proprio designat vocabulo, sed more scriptoribus ecclesiasticis familiarissimo sequens, hoc tantummodo dicat: discipulus ille quem diligebat Ihesus. Diligebat autem illum dominus non exceptis ceteris singulariter solum, sed pre ceteris familiarius unum. Omnes enim se diligere probat, quibus ante passionem loquitur: Sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos. Iohannem vero pre omnibus diligebat, ut pote quem virginem elegerat virgineque perpetuo manere prestabat. Ferunt enim illum de nuptiis a salvatore vocatum. Adhuc autem beatus Iohannes ad exprimendam sue persone evidencius certitudinem aliud apponat indicium. Ait namque: Qui et recubuit in cena super pectus eius. Patet ex superiori narracione quod in ea cena in qua dominus predic qua pateret pedes discipulorum lavit / cuibus corpus ac sanguinis sui mysteria tradidit / Johannes euangelista ad indicium magne dilectionis super pectus illius recubuerit / Cumque dixisset eis / unus ex vobis me traditurus est / Hic idem Johannes ~~in mentem petro~~ innuente petro tamquam de familiaritate salvatoris fiducialior ait / Domine quis est / et cetera / usque porrexero / Quod vero Johannes in cena mystica super pectus xpi ihesu recubuit / excepto magne dilectionis indicio / Hoc eciam figurabatur quod idem discipulus in euangelio quod descripturus erat archana divinitatis xpi / ceteris euangelistis cunctisque scripture paginis uberius et excellencius esset comprehensurus / Hunc ergo / et cetera / Quia audierat beatus petrus superius quod per mortem clarificaturus et cetera dominum dicente domino / cum esses iunior cingebas te et cetera / usque non vis / voluit quoque de suo condiscipulo cognoscere qua morte etiam ipse ad premium vite esset transiturus / Dicit ei ihesus Sic eum volo manere / Et est sensus volo hunc per martirii passionem ab hac vita subtrahi sed absque persecutoris violencia / diem expectare novissimum / quando ipse veniam et illum in eterne beatitudinis mansione recipiam / Et quid ad te pertinet hoc inquirere / te temtu novus per crucis patibulum mea vestigia secuturum / Quam sententiam eo modo ceteri apostoli intellexerunt / quasi dominus predixisset beatum Johannem nequaquam moriturum / sed usque ad diem iudicii in carne esse victurum / Quod beatus Johannes in hoc eodem euangelio admonere curavit dicens / Exivit ergo inter fratres sermo iste / et cetera / usque quid ad te / Hec autem dixit suo quo iste discipulus sine labore certaminis victurus esset in mundo / Alioquin / legimus eum in actibus apostolorum cum ceteris flagellatum et a domiciano ef cesare in ferventis oleu missum / Ex quo tamen divina se protegente gratia / tam intactus exiit quam a carnalis concupiscencie corrupcione extraneus fuerat / Processu vero temporis ab eodem principe / in pathmos insula exilio relegatus / ubi licet humano destitutus solacio / divine tamen visionis claritate perfruitus / Apocalypsim revelante xpo propria manu conscripsit / Constat ergo hanc domini promissionem qua dixit / Sic eum volo manere / non ita intelligendam esse quasi nullas pro xpo passurus esset pressuras in mundo / sed tamen pocius / quod sine inflictione carnificis / in pace transiturus esset e mundo / Ceteris enim apostolis suo unoquoque martirio consummatis / ut ipsi patrum litteris invenimus, seu iam longo confectus senio, sui decessus diem vocante Christo imminere cognosceret, convocatis discipulis ac missarum celebracione peracta, descendit in locum sepulture quem sibi defoderat, et facta oracione, ita in lectulo pausaturus recumbens, spiritum tradidit. Unde accidit ut quidam eum vivere asserint nec mortuum in sepulchro sed quasi dormientem iacere contendant, maxime quod illic terra ab imo paulatim scaturiens ad superficiem sepulchri conscendat, et quasi flatum de orsu quiescentis pulsatus ad superiora pulvis ebulliat. Hic est discipulus ille, et reliqua. Hic etiam manifeste beatus Johannes personam suam designat ex officio scribendi, quam designare noluit ex proprietate vocabuli. Perhibuit quippe testimonium verbo Dei predicandum, perhibuit scribendo, perhibet etiam ipsum evangelium cottidie ecclesiis legendum pandendo. A tempore siquidem dominice passionis per sexaginta quinque annos evangelium absque ullo scribendi adminiculo verbotenus predicavit. At postquam Domiciano Cesare mortuo sub Nerva imperatore piissimo de exilio est revocatus, traditur etiam Asianorum multis heresibus invenisse ebullita. Legentes siquidem evangelium Mathei, Marci et Luce, et intelligencia incarnacionis Christi sufficienter imbuti, de divinitate illius titubabant. Per idem enim tempus quo supradictus in Pathmos fuerat condempnatus, heretici Marcion, Cherintus et Ebion, tanquam lupi absente pastore caulas dominici ovilis aggressi, nitebantur eos quos iam per doctrinam beati Johannis crediderat a fide subducere, corrupte animos perverso dogmate maculare, asserentes Christum ante beatam Mariam virginem non fuisse. Qua obrem collecti sacerdotes Asie ad Johannem cum aliis quoque ecclesiis legacione directa, instanter postulabant ut ex parte divinitatis eos certificare dignaretur. Quod ille facturum se abnuit, nisi triduano indicto ieiunio pro hoc ipso precibus omnes insudaret ecclesia. Triduo quoque peracto ieiunio divina revelacione instructus, hec tue divinitatis misterium, depulsis hereticorum nebulis, eructavit exorsus: In principio erat verbum, et cetera. Et sic continuo per omnem evangelii sui narracionem divinitatis Christi speciam describens misteria, que in libri initio prescripsit. Hec per tot voluminibus corpus observare studuit

Hoc enim priuilegium uni uirgini seruabatur, ut ad scribenda incorruptibilis diuinitatis sacramenta et corde et corpore incorruptus ipse procederet. // Mouet autem nonnullos cur Iohannem dominus plus dilexerit, cum ipsum dominum plus dilexerit Petrus. Quod in predicta narratione euidenter apparet, ubi interrogans eum dixit: Diligis me plus his? Cui Petrus: Etiam domine, tu scis quia amo te. Dicebat enim dominus non solum quod diligeret, uerum etiam quod plus aliis eum diligeret beatus Petrus. Si ergo queramus quis duorum sit melior, utrum qui plus an qui minus diligit Christum, facile respondetur illum qui plus diligit esse meliorem. // Item si proponitur quis duorum sit melior, utrum qui minus an qui plus diligitur a Christo, respondebimus eum qui plus a Christo diligitur esse meliorem. Illud tamen mouet cur Christus Petrum se plus diligentem minus amauit, Iohannem uero minus amantem plus dilexerit, nisi forte dicamus quia ipse quod ait: Diligis me plus his, Iohannem a ceteris separauit, qui specialius est ab ipso dilectus. Sed uero mystice per hos duos discipulos duas uitas intelligimus designari, actiuam scilicet et contemplatiuam, licet enim uterque apostolus in utraque fuerit conuersatione perfectus. Pro diuersitate tamen exitus eorum altera in Petro, altera in Iohanne accipimus. // Per Petrum qui per passionem ex hoc mundo transiit actiua, que laboribus et temptationibus semper agitatur. Per Iohannem uero qui sine persecutione ex hac uita migrauit contemplatiuam uitam intelligimus, que sine ullo labore geritur, sine ulla afflictione tenetur. Dubium ergo non est quod Christus in electis suis pocius contemplatiuam uitam diligat quam actiuam. Quarum altera per Petrum, altera per Iohannem signata est. Licet enim utraque ad salutem sufficiat, una tamen bona quidem est sed adhuc misera, altera melior et beata. Una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat. Longum esset multa de singulis dicere. Ad illos tamen de quibus loquimur et quorum festiuitates celebramus peruenire festinemus, corde opere iugi postulatione queramus, ut uel per eorum importunitatem coacti suo post hanc uitam nos dignentur consortio, annuente Ihesu Christo, qui uiuit et regnat in unitate spiritus sancti per omnia secula seculorum amen. //

In die Innocentum Ewangelium secundum

Angelus domini apparuit in somnis Ioseph et cetera usque ad perdendum eum.

Hunc angelum qui tam crebro beato Ioseph dormienti apparuisse scribit nullum consequentius quam beatum ~~gabri~~ gabrihelem celestium secretorum per cetera constitutum intelligere possimus, cui specialiter dominice nativitatis prenunciacio commissa creditur / Unde et ad beatam mariam missus et pastoribus visus temporalis dispensacionis eius strennuus legitur extitisse minister / // Sed cur beato viro in sompnis semper apparuit / qui etiam pastoribus vigilantibus se ipsum exhibuit / Nimirum ideo quia vir eruditus in scripturis ioseph erat / qui crebro patribus angelos visos fuisse legerat / et corporali visione angeli nequaquam opus habebat / At pastores tanto manifestius instrui indigebant / quanto ab huiusmodi instructione pagrese vita remoti erant / Mystice angelus in sompnis apparens significat quod hii qui mundo sopiuntur / et deo vigilant / consolatione angelica fruuntur // Qui consurgens et cetera / usque herodis / Quod dominus ne occideretur ab herode a parentibus in egyptum sublatus / datur exemplum fidelibus / ut quotiens libet pravorum in sectatoribus pergravantur / fuge presidium arripiant / et ubi oportunum fuerit declinare non differant / cum hec dominum ac deum suum fecisse meminerint / Allegorice ioseph doctores significat / maria / doctrinam legis vel ecclesiam / puer / gras

sancti evangelii / egyptus que tenebre vel meror interpretatur gentilitatem // fuga ergo christi in egyptum significat evangelii transitum per predicatores de israhelitico populo ad gentes / Herodes vero / iudeos signat nomen christi delere / et credentes in eum perdere cupientes // Nox in qua fugit / ignorantie cecitatem designat / in qua iudei relicti sunt / apostolis cum luce fidei transeuntibus ad gencium naciones / quemadmodum actus dicit / quia repulistis verbum dei / et cetera / usque gentes / Quod vero dicit / et erat ibi usque ad obitum herodis / quidam quadriennium / nonnulli duos tantum annos intelligunt / Sed quia dominus tricesimo primo anno regni herodis natus est / atque in egyptum fugatus // ipse autem herodes triginta septem annis tantum regnavit / summa colligitur quod ut septem annis in egypto mansisset / hoc est a tricesimo primo usque ad tricesimum sextum prefati herodis annum quo etiam mortuus est / Allegorice obitus herodis terminum maliciose invidionis significat qua iudei contra ecclesiam seviunt / Obeunte ergo herode christus in iudeam de egypto revertitur / quia cessante pestifera iudeorum contra credentes invidia / fides christi ad iudeos per doctores ultimi temporis remeabit / non ut gentes deserat / sed ut in iudeis et gentibus regnet / Et adimpleretur / et cetera / usque ex egypto / Sicut uidi dictum de se hoc contendant / qui se filios dei uocatos iactitant / Loquitur dominus per moysen filius primogenitus meus israhel et per ysaiam / filios nutriui et exaltaui ac se de egypto eductos glorientur / Sanius tamen nos de christo intelligimus / quem deus pater mõ litteram de egypto uocauit / cum illum ioseph admonitus per angelum sicut sequencia docent / in terram israhel redire constituit / Allegorice quoque deus pater filium in egypto uocauit / quando illum per ascensionem de hoc mundo assumpsit / qui eciam alio modo ex egypto uocatus est / cum ut dictum est fidem illius de gentibus per predicatores gentium ad iudeos faciet remeare / Tunc herodes / et cetera / Quod dicit tunc herodes superiori narracioni coniungit / ubi magi per aliam uiam redisse memorantur Videns ergo se illusum iratus est ualde / manet scilicet pristina perturbacione qua eum superius in aduentu magorum legimus fuisse turbatum / Et mittens omnes occidit pueros / et cetera / usque cum / Querendum est nobis quo anno uel tempore pueruli ab herode credantur occisi / Fortem ut quidam dicunt uerisimile uidetur / post unum annum uel tres dies natiuitatis christi eos fuisse peremptos / quando et dies passionis eorum a catholica ueneratur ecclesia / Cum enim uidisset herodes magos ad se non reuerti putauit eos stelle uisione deceptos non inuenisse quod querebat et ideirco ad se erubuisse redire / Ab qua cogitacione interim amittendi regni timore depulso / animum ad alia regni negocia tractanda deuertit / persecucione pueri aliquantulum intermissa / Interim dominus in templum a parentibus xl^ma die delatus / ibique a symeone et anna et ceteris sanctis / deuotissime acceptus est / prophetantibus illis / et publice illum mundi redemptorem esse confitentibus / Que omnia diuinitus ad herodis noticiam uentura prenoscens / ioseph misso angelo premonuit ut in egiptum quantocius fugeret / Ad cum fecisset moram fama ferente magnalia que circa dominum in templo sanctis prophetantibus gesta fuerant ad regis sunt perlata noticiam / Qui rursus pristino timore correptus / adque aduentus saluatoris denuo armatus / precepit missis lictoribus cunctos interfici pueros a bimatu et infra / Tractabat enim apud se ut erat callidus dicens / Ille qui ad suam natiuitatem potuit nouam stellam producere ualet eciam se si uoluit in etate duorum annorum uel unius anni aut eciam unius noctis transformare / ne facile quis eum discernere a ceteris infantibus ualeat / Et ideirco omnes pueros a bimatu et infra iussit interfici / ut saltem inter omnes dominum potuisset necare / A bimatu et infra. Bimatus ab eo nomine deducitur quod hiemps. Unde et bimus infans dicitur hoc est duorum annorum, quasi duas hiemes habens, ut per partem totum annum intelligas. A bimatu ergo et infra id est a puero duorum annorum usque ad puerum unius noctis omnes precepit interfici. Secundum tempus quod exquisierat a magis id est ab ea etate pueros iussit interfici a quo tempore stella a magis visa fuisse didicerat hoc est duorum annorum circulo. Mistice in morte sanctorum innocentum preciosa mors omnium martirum designatur. Quid enim est quod parvuli occiduntur nisi quia per humilitatis meritum ad martirium perveniendum designatur. Quodque non solum in bethleem sed in omnibus finibus eius interficiuntur significat quia non solum in iudea unde ecclesia exorta est sed etiam in omnibus eiusdem ecclesie finibus persecutio impiorum grassatura erat. Qui bimi occisi sunt illos significant qui fide et operatione perfecti ad martirii rapiuntur agonem. Qui autem infra simplices quosque demonstrant, constancia tamen fidei non infirmos. Quod illi quidem occiduntur sed christus propter quem necabantur evasit significat in sanctis martiribus corpora quidem valuisse perimi, christum autem ab illis viventibus vel occisis nullatenus potuisse auferri. Tunc adimpletum est quod dictum est per prophetam

Vox in rama audita est etc. usque non sunt. Merito queritur quomodo rachael filios suos plorasse dicatur cum bethleem in qua parvuli interfecti sunt in tribu iuda habeatur, et non in tribu beniamin cuius mater rachel fuit. Ad hoc respondendum quia teste evangelio non tantum in bethleem sed et in omnibus finibus eius parvuli sunt trucidati. Constat autem quia tribus beniamin que rachel orta est proxima fuit tribui iude. Unde credi debet quod plaga crudelissime necis non filios iude tantum sed etiam plurimos de beniamin stirpe involverit quos utique rachel de progenie illius innocenter dampnatos flevisse dicitur. Potest et ita intelligi. Notissimum est in bethleem que est in tribu iuda rachel matrem beniamin fuisse sepultam. Necem ergo puerorum qui in eodem loco parabantur iniuste more prophetico rachel flevisse dicitur cuius nomine et corpore locus habebatur insignis. Quamvis etiam rachel mater tribus iude non incongrue appelletur pro eo quod uxor fuit patris eorum. Rama autem non est hic nomen loci intelligendum sed tantum per interpretationem ponitur. Interpretatur enim excelsa ut sit sensus vox in excelso audita est id est longe lateque diffusa ploratus et ululatus multus morientium scilicet et remanencium et

vero dici nolunt consolari quia non
sunt. Dupliciter est intelligendum.
Erant enim nonnulli in coetu isra-
helitico populo, qui nec resurrectionem
corporum nec post mortem corporis
vitam putabant esse animarum,
credentes in ore pecorum animas simul
cum corporibus interire. E diverso
erant alii contraria huius sententie
~~credentes~~ vitam animae post cor-
pora non negantes. Noluit ergo
israhelitica plebs consolationem
super interfectis recipere, quia ex
parte infidelium in eternum mortuos
putavit. Vel certe hii qui alteram
vitam post hanc esse noverant nole-
bant se de hiis quos melius scie-
bant ac ~~meturos meturos~~
victuros ita consolari, ut rursum
in hanc caducam miseriam denuo
remearent. Secundum vero allego-
riam, rachel que ovis dei aut vi-
dens deum interpretatur, ecclesiam
significat amore visionis divine
fervente, quamque bonus pastor
velut ovem centesimam inventam
humeris imposuit, et sic repor-
tavit ad gregem. Luctus ergo
rachelis scilicet ecclesie luctum denunciat,
quo de iniqua menbrorum suorum
nece gemit. Plorans igitur
filios suos, non vult consolationem
temporalem recipere, ut qui secundum
vicem rursus ad seculi certamina
tolleranda reducantur. Quia non
sunt, ideo nequaquam alterius se
revocandi in mundum de cunctis
criminibus simul evaserunt coro-
nandi ad Christum. Unde necesse est
ut quia primicias martirum hodier-
na festivitate veneramur, sollicite
de eorum eterna gloria que in celis
est cogitemus, eorum vestigia imi-
tando nos subsequi et pro Christo
patiendo satagamus, ut socii pas-
sionum effecti, consolationis eciam
eterne participes existere mere-
amur prestante domino nostro ihesu christo.

In octava natalis domini evangelium secundum lucam

Postquam consummati sunt dies
octo, et reliqua.
Ritus et religio circumcisio-
nis a beato abraham pa-
triarcha sumpsit exordium. Cum enim
adhuc in preputio positus deo
credidisset, et quod ad iusticiam esset
reputatum, signum circumcisionis
in carne sua ob indicium fidei ac-
cepit, eamque in cunctas sue stirpis
naciones vel successiones trans-
fundi iussus est. Ipsa autem circum-
cisio multiformem habebat signi-
ficacionem. Primum enim illa abraham
ut dictum est in signum fidei acce-
pit. Deinde hoc per eam intima-
batur, ut omnes qui ad fidem a-
brahe pertinerent, castitatis et
mundicie servatores existerent.
Tercio ut in plebis infecti per
signum circumcisionis a suis ~~per~~
pititussent cognosci. Ad extremum

vero significabat Christum de semine circumcisi Abrahe nasciturum, qui nos et in presenti per baptismum et in futuro per resurrectionem ab omni corruptione cordis et carnis spirituali circumcisione mundaret. Unde et ipsa redemptionis circumcisio octava die est celebrata. Cui numerus diei et nostre resurrectioni aptissime congruit. Quarum altera octava die celebrata est, altera octava etate creditur celebranda. Significat ergo circumcisio octava die patrata, quod tunc per Christum vera circumcisione a corruptione peccati et mortalitatis expurgamur, cum de terre pulvere ab ipso suscitati fuerimus. Scire autem debemus quia hoc primum valebat circumcisio tunc temporis sub lege contra originale peccatum, quod nunc sub gratia novi testamenti valet baptismus, excepto quod regni celestis ianuam qui circumcidebantur nec dum intrare poterant, sed tamen in sinu Abrahe beata post mortem requie fruebantur ac salvatoris adventum qui eis celum panderet spe felici prestolabantur. Cui enim nunc per evangelium suum loquitur: nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto et cetera, hoc tunc per legem clamabat: masculus cuius caro preputii et cetera. Pactum utique non circumcisionis quod infans nec dum discernere valuit, sed illud quod deus in paradiso cum primo homine pepigit, quod omnes in Adam prevaricati contempnimus. Nam illi qui ante tempora circumcisionis extiterunt sancti vel etiam post datam circumcisionem de gentibus fideles fuerunt, ut Noe et Iob et ceteri sancti deo dilecti, licet circumcisi non fuerint, hostiarum tamen victimis vel etiam sola fide ab originali peccato salvabantur, quia iustus ex fide vivit. Et de mulieribus sub legalibus idem est sentiendum. Quarum sexui licet circumcisio mandata non fuit, tamen ut dictum est oblationum frequentia, fidei quoque puritate se ab originali peccato solvebant. Redemptor autem noster, qui ut peccata tolleret sine peccato venit in mundum, suscepit circumcisionem, non ut aliquid peccatum haberet, sed ut sub lege factus, legis quoque onera suscipiens, nos ab eius servitute eriperet et in gratiam filiorum dei transformaret, sicut et baptizari voluit, non ut a suis lavaretur admissis, sed ut suo baptismate salutare lavacrum abluendis sceleribus nostris consecraret. Illud etiam quod in die sue circumcisionis nomen ut Ihesus vocaretur accepit, ab antiqua consuetudine exordium sumpsit. Nam sicut moderno tempore parvulis die quo baptizantur aptantur vocabula / ita et iudeorum populo sublegales pueruli ipsa die sue circumcisionis propriis designantur nominibus / Hinc est quod ipse abraham in die sue circumcisionis cum sua coniuge nominis amplificationem promeruit / ut qui catenus abram i. pater ~~[illegible]~~ excelsus dicebatur / Deinceps ob fidei meritum abraham hoc est pater multarum subauditur gencium vocaretur / Sarai quod interpretatur princeps mea, ut sarra vocaretur accepit / quod absolute dicitur princeps subauditur omnium credencium feminarum / sicut abraham pater omnium virorum fidelium / Vocatum est nomen eius ihesus / et cetera / Vocabulum ihesu omni adornatu cultuque dignissimum, non decuit primo ab humana natura appellari, aut efferri in mundum, sed ab excellenciori quadam digniorique natura angelorum videlicet qui hoc ei nomen antequam conciperetur futurum esse predixit / Interpretatur autem ihesus salvator sive salutaris exponente angelo quod ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum / cuius nominis etiam cuncti fideles percepta eius fide participium se noverint meruisse / ut sicut a christo christiani, ita etiam a salvatore salvati nuncupentur / completo in eis ysaie vaticinio quo dixit Et servos suos vocabit nomine alio / nomine videlicet christiano nomine salvatoris ac redemptoris / quo nunc omnes electi se gaudent signari / Hic accidit et ad querendum movet / quid sit quod legimus populum israheliticum in deserto per quadraginta annos mansisse / et nullum a moyse intra tot annos circumcisum / nisi unum filium solummodo moysi / Mortuo enim moyse / in loco cuius successit iosue / qui populum iordanem transduxit / et cunctos mox cultellis petrinis circumcidit / Cuius rei certa historia quidem talis est racio / Dicimus idem valere circumcisionem sub lege / quod et baptismum sub gratia / Patet autem quia baptismus accipienti nichil prodest nisi fidem habeat / Dicente domino / Qui crediderit et cetera usque condempnabitur / Pari modo et de circumcisione sentimus / Qua diu ergo populus israheliticus in deserto moratus promissionibus divinis incredulus extitit / tam diu illum moyses purgacioni circumcisionis indignum iudicavit / sciens accipientibus donec infideles erant vel essent nichil profuturum / At ubi iordanem transmisso / terram quam eis deus pollicitus fuerat intraverunt / nec fuit necesse amplius aliquid dubitare de divinis promissionibus rebus fidem facientibus / tunc iosue dux prefati populi / eos qui fidem iam habere ceperant / studuit etiam circumcisionis remedia tradere/ Mystice moyses legem iosue xpm significat/ Moyses non circumcidit populum quem memine ad perfectum lex adduxit/ iosue vero populum per iordanem transduxit/ et sic eum circumcidit/ quia xpus electos suos per baptismum renatos/ spirituali circumcisione ab omnibus emundat viciis atque peccatis/ Cum autem circumcisionem predicari audimus nequaquam unius membri/ hoc est genitalis continenciam absolutam credamus sufficere/ sed omnium potius sensuum/ et corporalium et spiritualium castigacionem adnoscere nouerimus/ Ille eterni vera circumcisione mundatur/ qui obdurat aures suas ne audiat sanguinem/ hoc est ne obediat peccato qui claudit oculos suos ne videat malum/ qui custodit manus suas ut non delinquat in lingua sua/ qui non delectatur odoribus meretricis/ qui lauat inter innocentes manus suas/ qui ab omnia mala prohibet pedes suos/ omnique custodia servat cor suum/ quem corpore vita procedit/ Qua propter si huius divine circumcisionis cupimus esse participes/ mundemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus/ perficientes sanctificacionem in timore dei/ prestante domino nostro ihesu xpo/

Dominica infra octavam epiphanie

Erant ioseph et maria mater ihesu mirantes/ Et reliqua/

Cum lucas evangelista manifeste nobis commendet quod dominus ihesus filius solummodo virginis fuit/ nec de viri conceptus semine mirum valde videtur/ cur idem evangelista ioseph hoc loco patrem salvatoris testetur fuisse sic enim in textu evangelii habet/ Erant inquit pater eius et mater et cetera/ Sed consuetudinis est scripturarum/ ut opinionem multorum sic narret historicus/ quomodo illo tempore ab omnibus credebatur/ Quia ergo vulgaris erat opinio/ quod ioseph pater esset xpi/ non solum evangelista sed etiam ipsa mater domini ioseph patrem illius nuncupat dicens/ ego et pater tuus dolentes querebamus te/ Maluit namque dominus aliquos ad tempus modum sue generacionis ignorare/ quam sue castitatem infamari genitricis// Nam si beata maria ioseph sponsum non habens innupta concepisset/ nimirum pro parui esset qui eam virginem/ et non potius autumaret meretricem/ Quamvis etiam in hoc rectissime pater xpi appelletur eo quod sponsus fuit genitricis illius/ Si enim hii qui alienos sibi in locum filiorum adoptant patres eorum irreprehensibiliter nuncupantur/ cur non et ioseph pater xpi sine culpa appellatur qui et si generacione illius extraneus, matri tamen fuit nupcialis copulatus. Multo utique apcius pater illius dicitur, quam si esset aliunde adoptatus. Vel eciam quia nutrierat salvatorem. Honorant enim ipsum sancti patres vocabulo, qui erat minister et tutor. Qui autem clarius inquirit, potest dici quod generacionis ordo a david ad ioseph usque ~~deducitur~~ deducitur. Ne videretur frustra ioseph nominari, quia pater non fuerat salvatoris, ut generacionis ordo haberet locum qui non per feminas sed per viros texitur, pater appellatus est domini. Mirabantur ergo ioseph et maria super omnibus que dicebantur de illo, quod scilicet in nativitate illius angelus pastoribus apparuit, christum natum predicavit, subito que multitudo celestis exercitus deum laudare cepit ac benedicere. Pastores angelica admonitione premoniti bethleem venerunt, et ita verum esse sicut audierant didicerunt. Magi stellam secuti prenata civitate nichilominus advenerunt. Atque salvatoris infanciam adorantes condignis eum muneribus adoraverunt. Symeon in manibus eum accepit, et de illius divinitate futurum prophetavit. Hec omnia profecto digna erant miracula. Et benedixit illis symeon. Et reliqua. Non sufficit ei tenere parvulum et ea que de ipso scripta sunt prosequi, sed benedixit patri illius et matri et prophetavit de infante dicens: Ecce positus est hic in ruinam et reliqua. Quod sibi vult quod ait: Ecce positus est hic in ruinam et cetera usque cont dicatur. Simile quod et in evangelio secundum iohannem legitur dicente domino: In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident ceci fiant. Sicut ergo dominus in iudicium venit, ut qui non videbant de gentibus viderent, et qui prius videbant de iudeis ceci fierent, sic venit in ruinam et resurrectionem multorum, in ruinam videlicet hoc est in dampnacionem iudeorum, de quibus ipse dicit: Si non venissem et cetera usque de peccato suo. Et in resurrectionem gencium, quarum plurimi per ipsius predicacionem et apostolorum a morte anime surrexerunt. Vel in ruinam infidelium, et resurrectionem credencium. Moraliter quoque unicuique credencium dominus et in ruina utile et in resurrectione efficitur salutaris. Oportet enim unumquemque primum cadere et tunc cadentem postea bene surgere. Verbi gracia stabat in te peccatum aliquando, oportet cadere peccatum ut surgat iusticia. Stabat in te luxuria, cadat luxuria ut surgat castitas. Sic et de ceteris peccatis intellige dum / Due sunt autem resurrectiones / una que nunc est / et maior est de qua dominus loquitur / Venit inquit hora et nunc est / et cetera usque vivent / Altera generalis in ultimo die que corporum erit / quando omnes de terre pulvere resurgemus / sive ad penam / sive ad gloriam / Qui enim nunc per fidem in anima resurgit tunc in corpore suo bono resurget / Qui autem nunc in anima non resurgit tunc in corpore malo suo resurget / Et in signum cui contradicetur / omnia que de christo narrantur signum sunt cui contradicitur ab hereticis / iudeis et paganis / Si dixerimus christum de virgine natum signum est cui contradicunt heretici marcioniste / Si predicamus illum mortuum et crucifixum ac resurrexisse / signum est cui contradicitur / Unde et paulo dicunt iudei / De secta hac notum est nobis / quod ubique ei contradicitur / Et ne multa prosequi cogamur / omnia que de christo narrat historia / signum est cui contradicitur apud incredulos / Et tuam ipsius animam pertransibit gladius / Nusquam legimus beatam mariam corporalis gladii nece ex hac vita migrasse / presertim cum non anima sed corpus ferro soleat interimi / Sed noverimus in scriptura gladium varia significatione solere intelligi / Nam gladius vindictam significat / ut in evangelio dominus ait / omnes qui acceperint gladium gladio peribunt / Plerumque divisionem / ut idem ipse ait / non veni pacem mittere sed gladium / Quod quasi exponens subiecit / veni enim separare hominem adversus patrem suum / et cetera / Nonnumquam vero divini iudicii severitatem denunciat / ut in deuteronomio divina voce dicitur / inebriatus est in celo gladius meus / Verum hoc loco per gladium dolor dominice passionis et dura tribulatio intelligitur / Unde de ioseph a fratribus vendito / et ab egiptiis vinculato non tamen occiso / scriptum est / ferrum pertransiit animam eius / Animam igitur beate marie / gladius doloris in domini morte pertransiit / Que etsi christum utpote dei filium sponte mori / ipsamque mortem non dubitaret esse superaturum / tamen quia illum de carne sua genuerat nequaquam eum sine affectione doloris videre potuit crucifigi / Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes / Incertum erat quidem ante adventum christi in populo videlicet qui christi gratiam reciperent / qui eam mallent respuere / At nato domino mox cogitationes cordium revelate apparuerunt / Nam in eius nativitate / Herodes pavidus turbatur / pastores vero / cum gaudio evangelizant / Predicante eo evangelium regni alii dicebant quia bonus est / alii autem non / sed seducit

turbas / Faciente illo miracula
simplices turbe admirabantur / at
contra scribe et pharisei calumpni-
antes / impie derogabant dicentes
in beelzebub principe / et cetera / Posito
illo in cruce / pharisei insultantes
ei illudebant / sed discipuli innocentem
magistrum indebite mori acriter
dolebant / Resurgente eo a mor-
tuis / gavisi sunt discipuli viso
domino / at contra principes iudeorum
data custodibus pecunia / resurrec-
cionem illius supprimere nitebantur
Et erat anna prophetissa / filia pha-
nuhel de tribu aser / Post prophetiam
symeonis / quia necesse erat ut
etiam mulieres per domini nativitatem
salvarentur / Adiecit prophetissa mu-
lier / hoc est spiritu sancto plena /
Cuius et si verba de christo digesta
non sunt aperte tamen dicitur in se-
quentibus quia confitebatur domino
loquens de illo omnibus expecta-
tibus redemptionem israhel / Anna
ergo que gracia dei interpretatur
sanctam ecclesiam significat / Que
quidem est de gracia dei procedere
novit / dicens cum paulo apostolo / Gracia
dei sum id quod sum / et gracia salvi
facti estis per fidem / Que dum de-
bita iustis premia / et reprobis in-
terminata supplicia / et ipsa mentis ocu-
lo providet / et aliis intimando pre-
dicit / quid aliud quam prophetisse
gerit officium / Bene quoque filia
phanuel dicitur / qui facies dei interpre-
tatur / Filia enim faciei dei contem-
placione divine ecclesia est / que cum
psalmista dicit / Signatum est super
nos lumen vultus tui domine / De
tribu quoque aser ecce dicitur / quia
aser eo quod pinguis panis interpre-
tatur christum designat qui dicit
Ego sum panis vivus qui de
celo descendit / Hic enim vere
est pinguis panis / qui totum mun-
dum corporis ac sanguinis sui sa-
cramento vivificat / Qui aser inter
duodecim patriarchas octavus nas-
cendi ordine computatur / Quia nos
novi testamenti gracia ob resur-
rectionem octava die celebratam
exprimitur / Hec processerat in diebus
multis / id est annis iam effeta sem-
les annos pervenerat / et vixerat
cum viro suo annis septem a virgi-
nitate sua / et cetera / Id est cum viro
suo a tempore amisse virginitatis
septem annis perduxit / Mortuo autem
viro octoginta quatuor annos in
viduitate duravit / Mystice per septem
annos quibus anna cum viro mansit
tempus omne designatur quo christus cum
ecclesia corporaliter in mundo conversatus
est / At vero octogesimus quartus numerus
qui peragitur ex duodenario septi-
es multiplicato septies enim duo-
decim octoginta quatuor faciunt
significat omne tempus ab ascensione
domini usque ad finem mundi / Septena-
rius namque numerus pro presente hanc vita

significat, que septem diebus evoluitur. Duodenario vero numero perfectio doctrine apostolice designatur. Anna igitur post mortem viri octoginta quatuor annis vidua permanet, quia sancta ecclesia postquam dominus in celum ascendens presentia sui corporis eam deseruit, per omne tempus huius vite secundum predicationem apostolorum duodecim vivere curat. Que non discedebat de templo, et cetera. Iure hec sancta mulier spiritum prophetandi accipere meruit, que longa castitate longisque ieiuniis ad hoc culmen ascenderat. Sane quia circa templum domini orandi gratia frequentissima, immo assidua consistebat, ideo certo hanc evangelista de templo non discessisse confirmat. Alioqui semper in templo ita durare non poterat ut nunquam vel causa corporis necessitatis implende aliquando non recederet, cum tamen mox ad orationis studia ferventissima remearet. Sed et sancta ecclesia die noctuque orat, quia et in prosperis et in adversis domino servire non cessat. Et hec ipsa hora superveniens confitebatur domino. Hec scilicet vidua Anna prophetie spiritu plena, ipsa hora qua Symeon accepit puerum Jhesum in ulnis suis supervenit et ipsa, et confitebatur domino, hoc est laudabat dominum. Et loquebatur de illo, et cetera. Iam prophetaverat Symeon, iam Elizabeth coniugata, et Zacharias; beata quoque virgo Maria prophetaverat. Debuit etiam vidua prophetare. Que taliter inducitur, ut merito redemptoris adventui testimonium perhibeat. Omnibus ergo fidelibus qui iugo Herodis alienigene gravati, redemptionem idest libertatem civitatis et populi exspectabant. Hec sancta mulier loquebatur de domino Jhesu Christo, quia videlicet per eius adventum redimendi, atque a dominio tyranni alienigene in proximo eximendi essent. Et ut perfecerunt omnia et cetera. Hoc loco pretermisit Lucas quedam, que a Matheo plene exposita noverat, quod scilicet quesitus sit Christus ab Herode, quod pueri occisi sint, quod Ioseph monente angelo in Egyptum fugit, ac deinceps reversus cum domino in Nazareth sicut hic dicitur habitavit. Que omnia Lucas tacuisse patenter ostenditur, quia nimirum hec consuetudo est evangelistarum, ut quod unus plene narrat, alius taceat. Solent enim evangeliste singuli sibi invicem committere quedam, que vel ab aliis commemorata intellexerunt vel commemoranda in spiritu previderunt, ut continuata narrationis serie, quasi nulla pretermisisse videantur. Que tamen alterius evangeliste considerata scriptura, quo loco transilita fuerint diligens lector inveniet. Puer autem crescebat et confortabatur. Crescebat corpore, confortabatur etate. In hoc vero quod deus erat plenus sapientia idest divinitate fuisse perhibetur, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Gratia quoque dei erat in illo, quia magna gratia patris domino ihesu christo collata est, ut ex quo homo fieri inciperet perfectus esset deus qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

In die Epyphanie domini ewangelium secundum mattheum

Cum natus esset ihesus et reliqua. Sacramentum hodierne festivitatis triplex esse a patribus traditur. Hunc namque diem epiphaniam vocat christiana religio. Epiphania vero grece latine manifestatio dicitur. Fertur enim hodie christum dominum nostrum stella duce magis gentilibus manifestatum et ab eisdem adoratum. Deinde invitatum ad nuptias aquas in vina convertisse, ac per hoc quod deus esset se hominibus manifestasse, vel suscepto a iohanne baptismate consecrasse fluenta iordanis in mysterium nostre regenerationis, et voce patris super eum quod filius dei esset intonuisse. Sed quid potissimum hac factum sit die, novit ipse qui fecit. Nos autem ex evangelica lectione in primitus generalem notationem nostram audiamus. Cum natus esset inquit ihesus et reliqua. Morem esse scriptoribus novimus, ut tribus rebus conditas a se libros corroboret, persona videlicet, loco et tempore. Ad Matheus evangelista sequens personam quidem instruit cum dicit: cum natus esset ihesus. Locum quoque cum addit: in bethleem iude. Tempus interponit plenius subdendo: in diebus herodis regis. Bethleem autem iude ad distinctionem alterius bethleem posuit, que est in galilea in tribu scilicet zabulon. Vel ideo dixit bethleem iude, ne in gentibus altera bethleem intelligeretur. Ideo causa nomen herodis reprobi in nativitate domini inseruit, ut prophetiam iacob de christo completam esse monstraret, qua dicitur: non deficiet princeps de iuda et reliqua. Ex quo enim tempore filii israhel de egypto ascenderunt, gubernacula rei publice eorum ut per iudices aut per reges aut per duces vel sacerdotes administrata sunt. Siquidem illis egressis ex egypto iudices prefuerunt post moysen, quibus fuit iosue, aoth, gedeon, samson et ceteri, quos usque ad tempus saulis regis eidem populo prefuisse iudicum narrat historia. A saule autem cui successit david, reges semper de tribu iuda prefatus populus habuit usque ad extremum sedechiam. Quo captivo in babilonem ducto, totius regalis dignitatis nomen et imperium requievit. At vero post soluta septuaginta annorum de babilone captivitate, a ducibus vel sacerdotibus eiusdem gentis gubernacula administrata sunt / quales fuerunt iudas machabeus et frater eius / alii quoque quamplures qui predicto iure sacerdotali plebi dominati sunt usque ad ultimum Hircanum regem simul et pontificem / qui interemptus est ab herode alienigena / qui fuit ex patre ydumeo / et matre arabita / iussuque cesaris octaviani / ut herodes regnum iudaicum gubernandum suscepit / Cuius tricesimo primo anno / augusti autem xlii° dominus natus est / Ecce magi / et cetera / Magi sunt / qui vulgo malefici appellantur / qui artis sue prestigiis elementa concuciunt amentes homines reddunt sine ferro vel veneno sola incantatione quos volunt interimunt / inimicos amari et amare faciunt / Sed utrum isti tales fuerunt ignoratur quamvis periti tamen illos in sciencia astrologice artis fuisse atque mundana sapiencia imbutos novimus / Qui et si nequam fuerunt / saluti tamen eorum non preiudicat / quia ubi habundavit peccatum / superabundavit gratia / Diversi autem diversa de hiis sentiunt / Quidam enim persas / quidam nepotes balaam propter prophetiam illius quam dixerat orietur stella ex iacob ad visionem nove stelle excitatos fuisse contendunt / Beatus tamen Iheronimus chaldeos fuisse existimat / qui stellas pro diis colebant

quorum fuit consuetudo ut de ortu solis noticiam signorum in celo apparencium requirerent / ubi sciebat cultores celi esse / et templum et leges / et sacerdotes eorum / ut temporibus ezechie factum legimus de sole / quando sicut liber regum et ysaias propheta narrat / misit rex babilonis munera et nuncios ad ezechiam ut consolarentur eum / et ut interrogarent super portento quod acciderat / quando sol decem lineis reversus est per horologium achaz in signum sanitatis ezechie / Et sciendum est quia qui magos ad se adorandum perduxit / ipse eorum cordibus fidem suam divinitus inspiravit / Unde et diligenter hec eorum verba inspicienda sunt / quibus illum deum / et hominem / nichilominus fatentur et regem / hominem videlicet dicentes / ubi est qui natus est / Regem quoque addentes regem iudeorum / Deum nichilominus / subiungentes / ~~vidi~~ vidimus enim stellam eius in oriente / Et cetera / Et cum stellam eius dicant / cum omnes stelle eius sint / ista quoque eius specialis fuit que in illius nativitate nova exorta est / Nam ut doctores dicunt nec antea visa est nec postea / sicut et columba que super illum baptizatum apparuit / Numquam enim talis stella visa est / quia numquam talis homo natus est / Quidam vero putant hos magos / semper stellam vidisse ducatum sibi prebentem / usque quo ibi ierosolima venirent / Ad pp̄ricue falsum est / Nam quod dicunt vidimus enim stellam eius in oriente / ita est intelligendum quod in orientali parte mundi in qua ipsi positi erant tantum stella viderint / statim quod in iudea natum regem intellexerunt / Vel ita / Vidimus stellam eius in oriente id est nos in oriente positi vidimus stellam eius in occidente id est contra iudeam que chaldeis in occidente esse videtur / Sed merito queritur quare angeli pastoribus / stella vero magis in nativitate christi demonstrata est / Nimirum quia pastores ut pote iudei racionales erant / dignum fuit ut racionalis creatura id est angelus mitteretur ad illos Magi vero qui a racione ut pote gentiles uti nesciebant / congruum fuit ut inracionali signicis mitteretur Stella vero ista spiritualiter duplicem habet significacionem Significat enim prophetiam / quod sicut stella postquam dominum demonstravit ultra apparere desiit / ita prophecia adveniente domino prophetie que tota precesserit / ultra eum annunciare cessaverunt / Unde dominus / Omnes mq̄t lex et prophete usque ad Johannem id est usque ad christum quem predixit Johannes / Vel certe potest significare graciam dei / que omnes gentes ad illius cognicionem admisit / Nam sicut stella magos prevenit ut quererent / subtracta est ut invenirent / ita gracia dei per quam omnes illuminamur / prevenit nos ut deum queramus / subsequitur ut inveniamus / Unde psalmista / Misericordia inquit eius preveniet me / Et rursus Et misericordia tua subsequetur me / Audiens autem herodes rex turbatus est / et reliqua / Turbatus est herodes de christo rege nato / quia cum esset alienigena metuebat illum qui iudeus erat repromissus / sibi regnum succedere / Sive ideo turbatus est ut alii volunt / quia indignabatur in christo nomen regie dignitatis / Iam enim imperator romanus decreverat / ne quis deus vel rex absque suo decreto imperio / Et omnis iherosolima cum illo turbabatur / quia turbacio regis turbacio populi est / Nam et in prefata civitate aliqui erant / qui salvatoris congratularentur adventui / cuius potestate a damno servitutis se liberandos credebant / Tamen propter sevicia calidissimi regis declinanda / ad tempus suum multum dissimulabat leticiam / cum sine dubio in mente abundanti gaudio exultarent / Et congregans omnes principes / et reliqua / Quia herodes ut dictum est non erat nacione iudeus / et ignorabat legem et prophetas / ideo certo interrogat sacerdotes et scribas populi / qui docti erant et eruditi in lege ut ab ipsis audiat ubi christus nasci debeat / Quod magi non apparente stella / iherusalem intrare compulsi sunt / ad condempnacionem iudeorum diuinitus factum creditur / ut requisiti ab herode locum natiuitatis eius exprimerent / nec excusacionem ullam de ignorancia haberent / cum ante natiuitatem eius non solum quod nasci deberet / uerum eciam ubi nasciturus esset agnouerunt / Et responderunt / In bethleem iude / Sic enim scriptum est per prophetam / Et tu bethleem terra iuda / et reliqua / Hoc in michea propheta scriptum est ac si dicatur / Tu bethleem terra iuda / non es minima inter principes iuda / id est inter ciuitates que principatum tenent in iuda / quia ex te exiet dux qui regat populum meum israhel / Hoc est omnibus in se credentibus / Tunc herodes clam uocatis magis / et reliqua / Timebat herodes / ut erat uersutissimus ne magi aliquo interceptu obstaculo ad se minime redirent / et ideo uoluit ab eis tempus stelle perdiscere / secundum quod postea iussit paruulos necare / Clam autem uocauit / timens ne iudei formidine illius qua de rege nato conterruerat deprehenderent / et se quidem derelicto regi suo qui eis in lege et prophetis predictus fuerat iungerent / Deficit autem hic historia / quia non apparet ex quanto tempore stellam uiderint / Secrete enim indicauerunt ei tempus stelle / Verum quia in consequenti leccione scriptum est herodem interfecisse pueros a bimatu et infra / secundum tempus quod exquisierat a magis / colligitur magos indicasse herodi quod ante biennii tempus stella eis apparere ceperit / Ab hoc enim etate pueros iussit interfici / a quo tempore stellam a magis uisam fuisse didicerat / id est duorum annorum curriculo / Et misit eos in bethleem dicens / Ite et interrogate diligenter de puero / Qui debuerat cum eis ad dominum adorandum properare / callide eos in bethleem quasi ante premittit / non quia uolebat adorare / sed quia disponebat christum occidere / Proinde herodes typum tenet hypocritarum / qui dum ficte querunt inuenire non meruit / Scriptum quippe est / Non est sapiencia / non est prudencia / non est consilium contra dominum / Quo contra / inuenitur ab hiis qui non temptant eum / apparet autem hiis qui fidem habent in illo / Et ecce stella quam uiderant in oriente / ~~et re~~ Verbo preteriti plusquamperfecti temporis quod est uiderant / designat eos postquam de terra sua egressi sunt / minime stellam uidisse / Et sciendum quod stella nequaquam in celo siderias uias abtenuit / sed in deuexo istius aeris pependit / lacere luce et fulgencioribus radiis corus tans / Alioquin si inter ceteras stellas fixa in celo fuisset / non facile domum unam in terra designare potuisset / Sydera namque que in summo celo sunt collocata / quamvis amplissima sit civitas / unicuique tamen domui super verticem proxima altitudine stare videntur. Hec vero quia non infixa in celo / sed proxima fuit terris discretione facili quod querebatur ostendere potuit / Videntes autem eam gavisi sunt gaudio magno / scilicet quia magis sit gaudium de inventis rebus quam de possessis / Mystice autem tres magi cum tribus preciosissimis muneribus ad dominum properantes / omne genus humanum significant / a tribus filiis Noe disseminatum / atque in tres partes mundi dilatatum multitudine populorum / qui tribus naturalibus disciplinis praediti ad dei fidem cognitionemque venerunt / physica scilicet / ethica / et logica Quas non solum in humanis / verum etiam in divinis constat contineri scripturis / Eloquia enim divina aut de natura rerum disputant / ut in genesi et ecclesiaste aut de moribus ut in proverbiis et in omnibus sparsim libris / aut de logica / sive theologica / id est vita contemplativa ut in cantico canticorum et in evangeliis / Et intrantes domum / Et reliqua / Prudentia dei actum esse creditur / ne ioseph cum maria a magis inveniretur / ne scilicet pater salvatoris estimaretur / Et apertis thesauris suis / id est thecis atque thesaurorum scriniis / optulerunt ei munera / aurum / thus / et mirram / Vetus fuit traditio / ut nullus ad deum vel regem adorandum absque muneribus intraret / Quo circa isti deum et regem adoraturi / etiam munera que in patria sua preciosiora reperire potuerunt domino studuerunt offerre / sicut verbis ita et muneribus eum deum / et regem et hominem esse declarantes / Aurum enim regali excellencie datur in munere / pro eo quod sicut aurum ceteris metallorum speciebus sua dignitate pregreditur sic regalis sublimitas universorum hominum potestates et culmina quadam dignitatis privilegio antecedit / Thus vero per incensum orationis deo offertur / Mirra in qua quoque mortuorum corpora condiuntur / ut diu incorrupta fuerint / Per mirram enim carnis nostre mortificatio designatur / Unde et sponsa in cantico amoris loquitur / Manus mee distillaverunt mirram / In manibus enim opera accipiuntur que per manus fiunt / Manibus suis mirra distillat sponsa / cum operibus continentie ac mortificationis se mancipat ecclesia sancta / Fuerunt heretici / qui deum ihesum christum dominum et crediderunt sed regem et hominem illum fuisse negaverunt / In prefato thus ei optulerunt / sed aurum et mirram ei offerre neglexerunt. Nos etiam magorum fidem et devotionem imitantes, offeramus aurum et cum eis regnare credamus. Offeramus ei thus, verum deum confitentes. Offeramus ei mirram, verum hominem passum pro nobis ac mortuum predicantes. Moraliter quoque deo aurum offerimus, cum in conspectu illius claritate superne sapientie refulgemus. Aurum enim sapientiam designat, ut scriptum est: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Et rursum: Accipite sapientiam sicut aurum. Thus quoque offerimus, si ante illum mundas preces effundimus. Thure namque oratio exprimitur, ut psalmista dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Mirram preterea offerimus, si carnis vitia per abstinentiam mortificamus. Et responso accepto in sompnis. Et reliqua. Iure admoniti a domino per aliam viam redeunt, quia in Iudeas erat ut quem adorare dominum venerant, eius consortes proditores. Allegorice per aliam viam reversi sunt, quia qui dubii de Christo venerant, certissimi redierunt. Vel ita: Qui stella ducente venerant, Christo duce remearunt. Sane dicit Cassiodorus in expositione psalmi ubi scriptum est: In spiritu vehementi conteres naves Tharsis, quod cum audisset magos Herodes a nautis qui erant in Tharsis Cilicie mare transvectos, valde indignatus et naves eorum cremari, et ipsos nautas precepit occidi. Moraliter vero magnum nobis aliquid magi innuunt, qui per aliam viam in suam regionem revertuntur. Regio enim nostra paradisus est, a qua superbiendo, inobediendo, cibum interdictum gustando cecidimus. Sed ad eandem regionem necesse est ut obediendo, et nosmetipsos humiliando, visibilia contempnendo, ab illicitis vel etiam licitis abstinendo redeamus. Prestante domino nostro Ihesu Christo.

Dominica infra octavam epiphanie. secundum Lucam

Cum factus esset Ihesus annorum duodecim, et reliqua.

Merito in descriptione quatuor animalium Lucas evangelista in vitulo, qui sacerdotalis est hostia, designatur. In cuncto enim sui operis textu hoc potissimum observare videtur, ut ea que a domino Ihesu Christo sive in templo seu circa templum gesta sunt, sua precipue narratione comprehendat, quod per totum illius evangelium facile est animadvertere. Unde etiam describens infanciam salvatoris, sicut lectio presens pandit, enarrat dominum a parentibus in templo inventum, sedentem in medio doctorum, non docentem sed interrogantem. Quod dominus duodecimo anno sue nativitatis utramque suam cepit manifestare naturam, divinam scilicet et humanam, significabat quod aliquando per duodecim apostolorum predicationem evangelium suum mundo erat traditurus.

Duodenarius namque numerus constat ex quaternario et ternario. Ternarius numerus refertur ad creatorem propter sanctam trinitatem. Quaternarius autem ad creaturam propter quatuor videlicet elementa quibus omnis constat creatura, sive propter quatuor tempora anni, seu propter quadripertitum orbem, vel eciam propter quatuor evangelistas. Quia ergo dominus per duodecim apostolos fidem sancte trinitatis predicaturus erat in mundo, bene duodennis rudimenta sue fidei voluit demonstrare. Hinc ergo dicit sanctus evangelista quia cum esset annorum duodecim, et cetera usque festi. Consuetudo namque erat populi iudaici tres precipuas sollempnitates celebrare in anno, sollempnitatem videlicet pasche, et pentecosten, et tabernaculorum sollempnitatem, que septimo mense semper a pascha celebratur. Quod autem cum parentibus ad diem festum pasche iherosolimam venit, humane humilitatis est indicium. Fecit enim deus inter homines apparens quod hominibus faciendum mandaverat. Servavit ipse legem quam condidit, ut nos qui puri homines sumus quicquid deus iubet per omnia servare studeamus. Denique ut eciam superioris narrantis sermo demonstrat, ibat per annos singulos cum parentibus suis in iherosolem ad diem festum pasche. Que nimirum festivitas una erat ex tribus precipuis, quas ex decreto legis iudei per annos singulos principaliter observabant, pascha videlicet, pentecosten, ac tabernaculorum dedicacionem. Verum autem ipsius que agebantur celebritatis modum vel qualitatem aperuit, cum ait, consummatis diebus, et cetera. Latenter videlicet significans, quod prefata festivitas paschalis, sicut et alie nonnulle, non singulis sed octonis protelabatur diebus. Quia autem dominum consummato die festo in iherosalem ignorantibus parentibus remansisse audivimus, querendum est quomodo filius dei qui cum tanta cura et ~~dilig~~ diligencia a suis parentibus nutriebatur, illis revertentibus ad propria ipse in templo potuerit oblivisci. Quod recte solvitur, si mos iudaici populi pre oculis ducatur. Hanc enim habebant consuetudinem, ut ad festivitatem qualibet generaliter passuri seorsum viri, et seorsum femine incederent, sive quando ascendebant ad iherusalem, seu cum peracta festivitate ad propria remearent. Pueri vero vel puelle, teneriores dumtaxat etatis, licenciam habebant cum quo voluissent parente ambulare, seu cum patre, seu cum matre. Propter hanc consuetudinem non cognoverunt parentes domini quando ipse in templo remansit, quia et beata maria putabat quod cum ioseph esset, et ioseph arbitrabatur quod cum maria fuisset / Existimantes autem illum esse in comitatu / id est inter eos qui simul fuerant comitati venerunt et requirebant eum inter cognatos et notos / id est propinquos et vicinos / Et non invenientes et cetera / Mox ut cognoverunt / quod neque secum esset neque cum aliis in eodem itinere ambulantibus incederet / anxietate nimia stimulati / reversi sunt in Iherusalem / prius quo venerant eum sollicite quesituri / Metuebant enim ne quod Herodes in infancia illius patrare quesierat / tunc iam in pueritia positum / inventa oportunitate eum interficeret / et ipsi proditores illius invenirentur / Et factum est post triduum invenerunt in templo / Triduum namque in quirendo dominum exegerunt / Una enim die reversi ab Iherusalem / et venientes ad hospitium deprehenderunt secum non esse puerum / Secunda die quesierunt eum inter cognatos et notos / Et non invenientes / tandem die tercia regressi sunt in Iherusalem / et in templo eum invenerunt / Allegorice per tres dies quibus dominus a parentibus est perquisitus / tria tempora designantur / Primum videlicet ante legem / secundum sub lege / tercium sub gratia / Quesitus est quippe dominus ante legem a patriarchis et non est inventus / Quesierunt eum sub lege prophete et iusti / incarnatum eum videre optantes / et non invenerunt / Quesierunt in plenitudine sub gratia gentiles / et invenerunt eum in medio doctorum / hoc est in cordibus apostolorum / Sedentem in medio doctorum et cetera / Sed dominus in medio doctorum sedens non quidem docebat / sed audiebat et interrogabat illos / Humane humilitatis indicium / immo et omnium discende humilitatis est exemplum / Dei virtus et dei sapientia homine induta ad audiendos homines venire dignata est / ut nobis formam discendi tribueret / ne quibus videlicet rudibus et parvulis a suis magistris discere ea que ignorant erubescerent / Et bene qui in iuventute doctoris erat subiturus officium / puerulus adhuc seniores non docet sed audit et interrogat / ut eorum temeritatem refrenet / qui non solum indocti sed etiam impuberes ad alios docendos presumunt properare / Et enim non auderent homines in infirmitate predicare / ille anno duodecimo etatis sue interrogare homines est dignatus in terra / qui per divinitatem suam semper angelos docet in celo / Hinc per moysen sub allegorie mysterio lex precipit / Non tondebis primogenita ovium / et non arabis in primogenito bovis / Primogenita enim ovium tondet / qui mox ut in se sciencie aliquid vel tenuem scintillam cognovit / quasi ablata lana iactans illud aliis ostendit / In primogenito quoque bovis arat / qui statim ut aliquid intelligere cepit aliorum magister fieri, desiderat/ Quo contra dominus adhuc puer interrogando doceri voluit sine cuius dono in ipsis doctoribus nulla sciencia fuit/ Sed nobis in primogenito hominis arcendum non est/ quia cum firma sunt adolescencie vel iuventutis nostre tempora a predicacione cessandum est/ ut vomerem lingue nostre presumere non audeat terram cordis alieni/ Quo adusque enim infirmi sumus/ continere nos intra nos metipsos debemus/ Ad exemplum enim aliorum non sunt ostendenda nisi que firma sunt/ Nam et si Timotheo ab apostolo dicitur/ precipe hec et doce/ nemo adolescenciam tuam contempnat/ Sciendum est quod in sacro eloquio nonnumquam iuventus adolescencia vocatur/ ut illud/ Letare iuvenis in adolescencia tua/ Hinc est quod ipse dominus/ exordium sue predicacionis/ tricesimum annum esse constituit/ Et ezechiel quoque propheta/ etatis sue anno tricesimo exorsus est prophetare/ Nec contra hec debet quempiam movere quod Iheremias atque Daniel prophetie spiritum pueri perceperunt/ Miracula namque divina in exemplum humane operacionis non sunt trahenda/ Semper enim deus et infancium linguas facit dissertas/ et ex ore infancium atque lactencium perficit laudem/ Stupebant autem omnes/ Quia dominus Ihesus verus erat deus et verus homo/ ad ostendendum quia homo erat magistros humiliter audiebat ad comprobandum quia deus erat eisdem loquentibus sublimiter respondebat/ Et ideo stupebant omnes/ quia in etate parvula magna refulgebat respondendi prudencia/ Et dixit mater eius ad illum/ et cetera/ Mirum non est si superius evangelista patrem salvatoris Ioseph nuncupaverit/ cum et ipsa intemerata dei genitrix que se noverat de spiritu sancto sine viri semine concepisse/ patrem Christi eum non dubitaverit appellare/ Et respondit ad illos/ Quid est quod me querebatis et cetera/ Non illos reprehendit quod se quasi filium querebant sed vult oculos mentis eorum ad sue divinitatis intuitum sublevare/ Nesciebatis inquit quia in hiis que patris mei sunt oportet me esse/ id est in templo eius et doctrina illius/ Quia enim omnia que pater habet filii sunt/ ideo rectissime templum non minus ad se quam ad patrem pertinere asserit/ Et ipsi non intellexerunt et cetera/ Intuendum quam decenter dominus et divine et humane nativitatis sue proprietatem adhuc puerulus distinguebat/ per hoc enim quod ipse est dei virtus et dei sapiencia/ ex ore patris ante omnem primogenita creatura/ talia verba infantulus proferebat/ que nec ipsi parentes sui qualibet etate perfecti/ penetrare sufficerent/ Per

hoc uero qd uerbu caro factum
est quasi homo parentibus sub
ditur / qui quasi deus omnibus
creaturis uirt pfert / Decebat enim
ut magr virtutis officium pietatis
impleret / qui prius in lege ho
norandos parentes esse consuerat /
Et in hoc nobis exemplu humi
litatis prrogat / ut parentibus
nris debite subiectionis deuocom
impendamus / quando ille qui cuncta
suos parentes condidit / humilit
eis subici no refugit / Et mater
eius conseruabat Omnia uerba q
de dno pphata uel a dno dicta
siue acta nouerat in corde suo co
seruabat / et ea que intelligebat
sollicite cuncta memorie comenda
bat / atqz in corde suo quasi sub
signaculo recondebat / ut cu tem
pus aduenisset quo incarnacio
xpi scribi uel pdicari debuisset /
sufficient uniusa put gesta fue
rant querentibus explicare pos
set Et ihc pficiebat et cet / Hoc
ualet cont hereticos / qui xpm
ueru carne et ueram aiam dene
gant habuisse / Nam etas ptinz
ad corpus sapia uo et gra ad
aiam / Hec dicit euangelista
qd ihc etate et sapia pficiebat /
nisi ueru aiam uerumqz corpus
habuisset sicut et ceteri homines
habent in quibus pfice potuisset
Proficiebat ergo ihc sapia inv
humana natura / no quidem ipe
paulatim sapiencior ex tempe ex
istendo / quippe qui ab ipa hora co
cepcionis sue sapia plenus mane
bat / s alius paulatim ex tempe
demonstrando / Pficiebat de etate
de infancia ad puericia / de puericia
ad iuuentute / sicut et alii homines
subeundo / Pficiebat et gra no
ipe p accessum tempis accipiendo /
qd non habebat / s manifestando
aliis gram / qua plenus erat Hec
aut adiectu e apud deu et homines
Profectus enim sapiencie xpi et
gracie / et deo patri pficiebat
ad laudem / et hominibus ad salute
quia quo amplius hominibus sapie
et gre sue dona pate faciebat / eo
magis illos ad laudem dei patris
semp excitabat / implens qd pba
precepturus erat / Sic luceat lux ura
cor hominibus Et reliq usqz qui
in celis est

Venit ihc a galilea i iordane
ad iohanne Et reliq

In hac sancti eua
gelii leccione / magna nobis dni
saluatoris / et beati iohannis hu
militas comendatur Dum quidem
quia cu esset conditor et redeptor
no solum a seruo baptizari s eciam
baptizandus ipe ad suum humilit
uenire dignatus est / Iohannis

nus / quia cum iste fieret ad hoc a deo patre destinatum ut filii illius et precursor existeret et baptista / qui tum esset etiam tam magnus ut de eo ipse salvator diceret / quia inter natos mulierum non surrexit maior Johanne baptista / Ipse tamen fragilitatis non immemor / iniunctum sibi humiliter excusavit officium dicens / Ego a te debeo baptizari et tu venis ad me / Querendum vero est / cur salvator baptismum a Johanne accipere voluit / qui omnino culpe contagionem non habuit / Et respondendum est triplici ob causa eum a Johanne voluisse baptizari / Primo ut in se primum susciperet / quod humano generi ad salutem erat daturus / Secundo ut baptisma Johannis a deo institutum esse probaret / Tertio ut ad diluendas morum sordes scelerum / omnia fluenta sanctificaret aquarum / cum ipse baptizaretur qui originale vel actuale peccatum omnino non habuit / quoniam spiritus sanctus uterum beate marie virginis ipsius salvatoris conceptum ingrediens / tum ab ardore carnalis concupiscencie tum etiam a cunctis peccatorum maculis emundavit ut mundissimum vas efficeretur / de quo postea salvator mundi incoinquinatus atque mundissimus ad redemptionem generis humani tamquam sponsus de thalamo suo perderet / Unde nec libidinis estum sensit cum deum concepit in utero factum mirabile hominis nec aliqua corruptione corrupta est / cum in vera carne pareret humani generis redemptorem / Johannes autem prohibebat eum etc. / Idest inmense illum exoravit / qui sui effectu gratia totius mundi peccatum abstulit / utpote qui ut dictum est nullum ex matre contraxit peccatum / Ego inquit a te debeo baptizari / Quid est ego / Servus a domino / terrenus a celesti / mortalis ab eterno / precursor a iudice / Et tu venis ad me / Creator ad creaturam / rex ad ministrum / sine peccato ad hominem peccatorem / Respondit ei ihesus / Sine modo / Ac si diceret / Permitte modo baptizari in aqua sicut precepi / ut postmodum a me a spiritu sancto baptizeris sicut petisti / Sic enim decet nos implere omnem iusticiam / Idest taliter decet exempla omnis iusticie implendo hominibus propagari / ut fideles discant / nullum quantumlibet sobrie / iuste / caste que viventem / sine baptismo perfecte iustum existere / Nam et inter paganos multi sunt plurime iusticie opera habere sed ideo perfectam iusticiam consecuti non sunt / quia lavacrum regenerationis unde suscipere non meruerunt / Sine inquit me / quia sicut deus a peccato immunis sum / tuo tingui baptismo / ut noverint hii qui puri homines sunt et peccatores / quantum ad emundandas animas indigeant huiusmodi sacramento // Et dissimulant potentes quemque ab humilibus servis meis baptizari cum mihi qui peccata dimitto meminerint caput proprium servi manibus ad baptizandum submisisse. Tunc dimisit eum / id est tunc consensit / tunc passus est eum a se baptizari cum tali ordine cognovisset omnem iusticiam / hoc est perfectionem totius iusticie que in baptismo consistit debere compleri // Baptizatus autem et cetera / usque super se. Hec omnia mysteria que in baptismate domini sunt ostensa / non propter Christum sed propter nos potius sunt celebrata. Nam quod super dominum baptizatum spiritus sanctus per columbam apparuit / significat quod eiusdem spiritus sancti gratia fidelibus regeneratis et in baptismo tribuitur / et post baptismum per impositionem manuum episcopalium uberius condonatur / Hoc quoque quod apertos celos post baptismum vidit ea causa factum est / quibus per lavacrum baptismi aperitur ianua regni celestis / Legimus namque in genesi / quod expulso adam de paradiso / collocavit deus ante paradisum cherubim et flammeum gladium atque versatilem / ad custodiendam viam ligni vite / Quod nichil aliud intelligitur nisi quedam custodia per angelicum ministerium paradiso in specie ignei gladii apposita / que humanum a sacro loco arceret ingressum. Que etiam versatilis dicitur / quia quandoque erat removenda. Remota namque est in baptismo salvatoris quia omnibus electis cum domino baptizato aperti sunt celi / spirituales videlicet paradisus / Nam quod in terreno paradiso legitur actum / in spirituali nimirum paradiso aliquid significabat agendum // Removetur item singulis electorum tempore baptismi quia cum tinguntur aqua baptismatis / extinguitur eis ille quodammodo inaccessibilis igneus. Aperti sunt celi domino baptizato non reseratione elementorum / sed spiritualibus oculis / quibus et ezechiel in exordio sui voluminis / celos apertos se vidisse commemorat // Recte autem spiritus sanctus super Christum in columbe specie apparuit / ut et simplicitatem Christi ostenderet / et omnes qui sua gratia renascuntur / simplices ac mundi cordis esse ammoneret. Queritur autem an nullis de corpore columbe in qua spiritus sanctus apparuit / utrum videlicet illa columba ante iam fuerit / an tempore formata subito apparuerit. De qua re ut doctoribus videtur / ita est sentiendum quod illa columba verum quidem corpus habuerit / sed ut spiritus sanctus qui in sua natura invisibilis est per ea visibiliter monstraretur / subito de aere formata / ad horam super Christum apparuit / ac deinceps esse desiit / Nam et angeli cum se humanis oculis offerunt / creduntur ex isto crassiore aere id est imo terris corpus ad tempus assumere / quod tamen illis ad superna remeantibus in pristina aeris naturam resoluta. Ecce celi. Vox de celis et cetera. Misterium trinitatis in baptismate saluatoris declaratur, ut aperte ostendatur in eius nomine credentes esse baptizandos. Filius enim baptizatur in homine, spiritus sanctus descendit in columba, pater deus sonat in voce. Quod autem vox paterna de celis intonuit dicens: Hic est filius meus dilectus, non ipse filius quod nesciebat docetur, sed nobis quid credere debeamus ostenditur. Datur etiam in hac voce patris intelligi per aque ablucionis et spiritus sanctificacionis de filiis diaboli effici nos filios dei. Quod autem ait, in te michi complacui, ad comparacionem ceterorum hominum dicit, quibus peccantibus quodammodo sibi displicuit, cum ait: Penitet me hominem fecisse in terra. In filio autem unigenito sibi singulariter complacuit, quia illum ab omni peccato immunem esse cognouit. Potest et ita intelligi: In te michi complacui, id est in te placitum meum constitui, ut per te et per passionem tuam genus humanum perciperet salutis reformacionem. Cui pro beneficiis et muneribus sit eterna laus et graciarum actio in omnia secula seculorum amen.

Nupcie facte sunt in chana galilee et reliqua.

ec lectio sancti euangelii sacramentis misteriorum plenissima, multipliciter a doctoribus complanata esse cognoscitur. De cuius exposicione aliqua compendiose memorare sufficiat. Galilea prouincia est regni iudeorum, in qua est chana vicus, ubi hec nupcie iuxta litteram celebrate fuisse perhibentur. Verum iuxta misticum intellectum nupcie in scripturis frequenter Christi et ecclesie coniunctionem significant, ut multis exemplis approbare facillimum est. Quorum unum ewangelista matheo sumptum ponamus in medium, dicente domino: Simile est regnum celorum homini regi, qui fecit nupcias filio suo. Homo enim rex qui filio suo nupcias fecit, deus pater intelligitur, qui domino ihesu christo per incarnacionis misterium sanctam ecclesiam copulauit. Filius enim dei sponsus, sponsa vero illius caro humana est, quam sibi in utero virginis coniunxit. Huius sponsi thalamus uterus incorrupte virginis genitricis fuit, de quo ad coniungendam sibi ecclesiam, quasi sponsus de thalamo, teste psalmista processit. De huius sponsi nupciis sancti apostoli sunt parati filii, videlicet illius sponsi et sponse, de quibus iohannes dicit: Qui habet sponsam sponsus est. Et dominus: Non possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus. Ille ergo dei filius per semetipsum ad nupcias carnali more celebratas venire voluit, qui sibi sponsam ecclesiam in matris utero diuinitus copulauit. Quod autem deus dic tercia post illa que superius sunt narrata ad nupcias dicit venisse, significat quod tercio tempore huius seculi ad sociandam sibi ecclesiam advenire dignatus est. Primum enim tempus ante legem patriarcharum exemplis tanquam clara dies refulsit. Secundum sub lege prophetarum scriptis emicuit. Tercium sub gracia doctrina evangelica tanquam tercia dies coruscavit, in quo tempore redemptor humani generis pro nostra salute ut ecclesiam sibi coniungeret incarnatus apparuit. Quod vero hee nupcie in Chana Galilee, id est in zelo transmigracionis celebrate fuisse perhibentur, significat quod illi maxime Deo coniungi merentur, qui zelo amoris illius fervere et de viciis ad virtutes utiliter migrare studuerint. Chana quippe zelus, Galilea transmigracio facta interpretatur. Quod vero dicit: Et erat mater Ihesu ibi, mater Ihesu hoc loco synagoga significatur, que Christum provocat ad miraculum faciendum; familiare enim est in talibus signa requirere. Unde Paulus dicit: Iudei signa petunt et Greci sapienciam querunt. Vocatus est autem Ihesus et cetera. Quantum ad historiam pertinet, idcirco Dominus ad nupcias venit, ut eas quas olim hominibus ad generis humani propagacionem constituerat sua presencia sanctificaret et miraculo facto irreprehensibiles et inculpabiles esse ostenderet, si recto ordine fierent. Spiritaliter vero locus nupciarum Christi et ecclesie fuit Iudea sicut, in qua homo Deus fieri et eciam suam ecclesiam misterio sui corporis ac sanguinis sanctificare dignatus est. Sed inde ipse nupcie per universum mundum dilatate sunt, dum de omnibus gentibus ad fidem Christi convenerunt. Et deficiente vino et cetera. Iure veniente Domino ad nupcias vinum defecit, ut ipse potencius multo melius vinum crearet, et sic divinitatis potencia que in homine latebat tanto patrato miraculo panderet, et fides in eum credencium aucta proficeret. Sed et in sensu mistico vinum spiritalem intellectum in lege significat. Discumbente ergo Domino ad nupcias vinum defecit, quia apparente Christo per incarnacionem in mundo propter pravam tradicionem scribarum et phariseorum easdem scripturas perverse interpretancium spiritalis iam sensus in lege defecerat, dum non spiritaliter ut apostoli et alii sancti, sed plumino ad litteram eam intelligere laborabant. Sed Dominus aquam in vinum convertit, quia litterali intellectu evacuato legem spiritaliter intelligendam esse demonstravit, cum superficiem littere legalis evangelica doctrina mutavit. Nam quantum inter aquam et vinum distat, tantum inter carnalem et spiritalem scripturarum intelligenciam discrepat. Et dicit ei Ihesus: Quid michi et tibi est mulier. Et cetera. Historice quidam heretici qui christum ex beati virginis vera carne sumpsisse negarent atque ad astruendam sue perversitatis nequiciam vel fallaciam ex hoc loco testimonium subripere conati sunt quod dominus beatam mariam matrem suam esse negaverit, cum ei signum postulanti respondit: Quid mihi et tibi est mulier et cetera. Qui si interrogarentur unde hoc probaret, dicerent se verbis evangeliste iohannis credere. Si ergo hiis verbis beati iohannis credendum esse putant, superioribus quoque eiusdem sermonibus credere debent, quibus ait: et erat mater ihesu ibi. Huius denique verbis quibus genitricem alloquitur dicens: quid mihi et tibi et cetera, nequaquam dominus genitricem suam inhonorasse putandus est, qui nos iubet honorare parentes, nec suam matrem esse negavit de qua carnem assumpsit, sed propterea eam hoc modo affatus est ut demonstraret quia miraculum illud quod facturus erat non per humanitatis naturam quam de matre tulit, sed per divinitatis potenciam quam ex patre attulit, erat perpetrandum. Quid inquit mihi et tibi est mulier, subauditur commune in miraculo faciendo. Nondum venit hora mea. Non defuerunt heretici qui dicerent nondum advenisse christi horam fati ut miraculum faceret, quasi christus non potencia divinitatis sed fati inde casu vel eventu miraculum fecerit. Quod quam sit abiciendum apertissime claret. Sic ergo accipiendum est quod ait: nondum venit hora mea, hoc est nondum venit hora voluntatis mee ut miraculum faciam. Vel ita potius: Nondum venit hora mea, id est nondum venit hora passionis mee, quando quod in me est tecum sit commune demonstrem. Venit enim hora quando ostendit quid haberet cum matre commune, cum in cruce pendens astanti illi dixit: Mulier, ecce filius tuus, id est ecce corpus quod ex te sumpsi modo moriendo ostenditur quam fragile fuerit. Dicit mater eius ministris et cetera. Licet dominus videretur matri negasse quod petebatur, illa tamen pietatem filii noverat et ideo ministris ut mandata filii implerent fiducialiter imperabat. Erant autem ibi lapidee ydrie sex posite et cetera. Quia greco sermone ydor aqua dicitur, ydrie vasa sunt aquarum receptui preparata, sicut latine ab aqua vas aquarium dicitur. Secundum purificationem autem iudeorum posite fuisse perhibentur, quia inter alias superstitiones quas ex tradicionibus scribarum et phariseorum acceperant, eciam hoc observabant ut crebrius corpora aquis abluerent. Verbi gracia: Si contigisset eos loqui cum gentilibus aut mortuum tangere aut aliquid huiusmodi quod illicitum putabatur contrectare non comedebat nisi prius aut partem corporis aut potius totum corpus diluerent. Mistice aqua sciencia sacre scripture significat, que suos auditores more aque iocundissime et a sordibus peccatorum lavat et divine cognicionis fonte saciat. Lapidea sunt vasa sex quibus continebatur. Significant corda sanctorum. quia sex seculi etates in doctrina scripturarum usque ad adventum Christi non ignobiliter floruerunt. atque usque in finem seculi qui similiter imitant non defuturi sunt. Et bene lapidea sunt vasa, id est fortia sunt sanctorum precordia solidata et unita illi lapidi quem Daniel vidit precisum de monte sine manibus, id est Christo qui de populo Iudeorum natus est sine opere nupciali. Capientes singuli metretas binas vel ternas. Quod nos mensuram, greci metron dicunt. Capiebant ergo ille ydrie metretas non alie binas et alie ternas, sed eedem ipse capiebat binas vel ternas. Verum quomodo hoc iuxta litteram stare posset non apparet, nisi forte dicatur quod eedem ipse ydrie que capiebant unius generis binas mensuras maiores, capiebant etiam consequenter alterius generis ternas mensuras minores. Verbi gracia, Ponem mensuram que caperent certa describitur, si ipsa ydria que capere poterat binas mensuras priores hoc est duas urnas que secundum quosdam faciunt bis modium semis, profecto utique consequenter dicimus capere potuisse tres mensuras minores hoc est modios tres, quod amphora dicitur. Quod sive hoc sive alio quolibet modo iuxta historiam accipiendum sit, misterium tamen in promptu est propter quod hanc sentenciam tali modo nominis ab evangelista prolata. Auctores enim sacre scripture binas vel ternas metretas capiunt cum de patre tantum et filio loquuntur, ut illud, Omnia in sapiencia fecisti, id est tu deus pater per filium cuncta creasti. Tres etiam metretas capiunt cum totius trinitatis in suis verbis faciunt mencionem, ut illud, Verbo domini celi firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quo loco ubi et domini et spiritus nomine tota intelligi trinitatem potest. Et ita intelligi ydrie metretas binas capiunt cum auctores sacri eloquii in duobus nominibus id est in circumcisione et preputio omnes gentes universaliter comprehendunt. Tres metretas capiunt cum a tribus filiis Noe genus humanum reparatum fuisse testantur.

Dicit eis Ihesus Implete ydrias aqua, et reliqua. Potuit quidem dominus ~~de~~ novo vino de nichilo condito vacuas ydrias implere, sed maluit de aqua vinum facere ut per significacionem ostenderet se legem et prophetas non venisse solvere sed implere. Simul etiam ut docerent quia non aliam scripturam novam condidit, sed illam que condita erat spiritualiter intelligi docuit. Qui sunt autem ministri quibus hoc iubet, nisi discipuli Christi et doctores novi testamenti. Impleverunt autem ydrias aqua, id est corda sanctorum, non quidem ipsi legem aut prophetas scribendo vel docendo, sed easdem scripturas spiritualiter intelligendo, et aliis predicando. Et recte eas usque ad summum impleverunt quia intellexerunt nullum tempus huius seculi alienum fuisse a sanctis doctoribus, qui aut verbis aut scripto exemplum bonum aliis premonstrarent. De quibus sex ydriis salutari aqua repletis scripturarum, sed a Christo in suavissimum vinum conversis copiosissime tractatur a doctoribus. Unde dicendi verborum prolixitate postposita, hoc tantum dicamus quod mutatio aque in vinum designat conversionem carnalis intelligencie in spiritualem sensum. Intueamur unam ydriam salutari aqua repletam, eandem quoque in suavissimum per modum vini odorem gustum quoque conversam. In prima hydria, hoc est in prima etate seculi, Abel iustum impius frater occidit. et ob hoc iuste in euangeliis et epistolis martir et iustus describitur. Ille autem fratricida impius notatur. Hec si audiens aliquis omne invidie et odii fomitem suo de corde abiciat et perscrutari iusticie et innocencie deo placere contendit, ydriam aque mundissime in scriptura reperit, cuius unda limpidissima abluatur atque potetur. Verum si in impio Cain perfidiam iudaici populi intellexerit, in interfectione iusti Abel passionem innocentis Christi, in terra que eius sanguinem suscepit ecclesiam etiam que sanguinis Christi misterium in redemptionem sui accepit, profecto divine legis verba spiritualiter intelligit, quasi aquam in vinum mutatam bibit. Quod de una sextate diximus, hoc in reliquis usque hanc doctrinam patrum perspicere facillimum est. Sunt de sequentibus videamus. Et dicit eis iste: Haurite nunc, et cetera. Grece sermone triclinium dicitur ordo trium lectorum. Clini enim lectum significat. Architriclinus ergo intelligitur princeps triclinii, idest qui primus inter convivantes antiquo more in lectis discumbebat. Unde quidam intelligunt architriclinum aliquem ex sacerdotibus iudeorum, qui nuptiis interesse poterat. Huiusmodi enim ille populus consuetudinem observabat, ut cum quilibet nuptias celebraturi erant, unus ex sacerdotibus ad eos mitteretur, qui illos secundum legem divinam instrueret quomodo in divinis mandatis viveret, qualiter vel menstruo tempore vel etiam in festivitatibus a lege decretis a mutuis complexibus abstinere debuissent. Spiritaliter architriclinus significat quemlibet de doctoribus iudeorum ad gratiam evangelii venientium, ut fuit Nichodemus vel Gamaliel vel etiam Paulus apostolus. Dum ergo talibus evangelii verbum committitur, quod in littera legis latebat occultum, quasi vinum de aqua factum architriclino propinatur. Et bene in domo nuptiarum architriclinium, id est tres ordines discumbentium describuntur, quia nimirum sancta ecclesia ex tribus fidelium ordinibus constat, scilicet coniugatorum, continentium et doctorum. Quos sermo divinus aperte designat, ubi de peccatrice transferens sententiam per Ezechielem prophetam loquitur: Si fuerint inquit in medio eius Noe, Daniel, Iob, filium et filiam non liberabunt, sed ipsi soli iusticia sua liberabunt animas suas. In quibus verbis non tres tantum homines sed tres electorum ordines figurantur. Quid enim per Noe qui archam in undis rexit, nisi prepositorum ordo signatur, qui dum ad formam vite populis presunt, sanctam etiam in temptationum fluctibus regunt. Quid per Danielem cuius mira abstinentia scribitur, nisi continentium vita figuratur. Quid vero per Iob, nisi bonorum vita exprimitur coniugatorum. Qui dum rebus de temporalibus quas possident pia opera faciunt, quasi per huius seculi iter ad patriam celestem tendunt. Et ideo ab electorum societate non repelluntur. Et tulerunt et cetera. Usque adhuc forsitan consuetudo eiusmodi loci vel temporis fuit, ut in conviviis communium primum optima queque in cibis et in potibus ponerent, ut hodieque in multis locis huiusmodi usus et voluntas manere deprehenditur. Et cum inebriati fuerint, id est satiati. Hoc enim verbum non semper temulentiam, frequenter vero satietatem significat, ut in psalmo: Visitasti terram et inebriasti eam, id est imbribus replevisti. Architriclinus autem cui vinum ad probandum primo porrigitur, spiritaliter ut dictum est doctores significat, quorum est ministerium cognoscere distantiam legis et evangelii, veritatis et umbre. Dedit quidem Christus bonum vinum ante adventum suum populo iudeorum, legem videlicet et prophetas, in quibus tamen quia ipse non intelligebatur, nonnunquam sicut aqua sapiebat [illegible] aut vinum. Immo optimum usque adhuc servavit, id est evangelium suum in sextam huius seculi etatem distulit, quando illud per semetipsum mundo manifestare decrevit. Hoc fecit inicium signorum ihc / et cetera /

Facto autem tam grandi miraculo manifestauit gloriam suam · quod scilicet ipse rex esset glorie / qui ut homo qui de ad nupcias ueniebat · sed quasi deus elementa secundum suam uoluntatem permutabat / Et uere pulchro ordine · congrua conueniencia / Dominus ac redemptor noster · sic mortalibus manens primum signum ostendit · quod aquam in vinum conuertit · ita etiam ipse post resurrectionem immortalis effectus · principium signorum suorum tale ostendere uoluit · ut carnalem scripturarum intellectum · in spiritalem sensum tanquam uinum conuerteret · Resurgens enim a mortuis · et apparens discipulis suis · aperuit illis sensum · Et cetera

Has ergo nupcias xpi et ecclesie societate consecratas · fideliter celebramus · Harum consortes si bene uiuimus nos esse nouimus · ut qz ad earum gaudia eterna mereamur peruenire · obsecremus diuina clementia · ut nos ueteris hominis conuersacione exutos nupciali ueste induat · carnalemque et insipidam mentem nostram haustu superne spiritalisque sapiencie debriet · in qua uiuit et regnat

Cum descendisset ihc de monte / et cetera / usque multe /

Postquam dominus in monte thabor qui est in iudea octo beatitudinibus docuit · et pene omnem perfectionem noui testamenti uno sermone · que cum discipulis habuit conprehendit · Descendit de monte sicut presens lectio narrat et secute sunt eum turbe multe

Ille videlicet turbe que dominum cum apostolis in monte ascendentem sequi non poterant · sed ad radices montium eum recursurum expectabant / Sequebantur eum turba multa · quidam propter doctrinam · nonnulli propter signorum admiracionem · plurimi propter infirmitatum curacionem / Allegorice mons celum significat / Descensio domini de monte · humilitatem incarnacionis illius designat · Quod ergo descendente eo de monte secute sunt illum turbe multe · significat quod postquam descendens de celis uerbum caro factum est et habitauit in nobis · qui antea tantum notus erat in iudea deus · postea admirabilis factus est in tota terra · et de omnibus gentibus plurimi eum perfide secuti sunt · qui prius sola plebs iudaica sequebatur · impleta prophecia que ait / Exaltare super celos deus · et super omnem terram gloria tua · Et ecce leprosus ueniens / et cetera

Congrue post expleta in monte predicacionem / miraculi faciendi offertur occasio ut per signum uirtutis sequencium · predicans sermo xpi ab eis qui audierant firmius crederetur /

Domine inquit leprosus si uis / potes

me mundare. Leprosus iste magne fidei fuit, qui de voluntate quidem domini non dubitavit, sed opus illius in voluntate eius constare confessus est dicens: Si vis potes me mundare. Ac si diceret: voluntas tua opus est. Ideo si vis potes me mundare, quia et opera voluntati tue obediunt. Et nondum quidem in domo, non in civitate ad dominum leprosus accessit, sed descendente de monte adoravit. Tales enim ex decreto legis ab omni mundorum hominum cohabitacione sequestrati erant. Sequitur: Et extendens manum et tetigit usque lepra eius. Requirendum cur dominus leprosum tangere voluit, quem lex ut pote immundum contingi prohibebat. Profecto non ideo illum tetigit quia sine tactu mundare non poterat, sed ut ostenderet dominus legis quia legi subiectus non erat, qui tactu infirmitatibus humane fedari non poterat, qui in tactu illo feda queque et sordida emundabat. Vel certe ideo tetigit ut nos doceret nullum spernere, nullum horrere propter corporis lesionem aut maculationem que hominibus a deo immittuntur occulto sed tamen iusto iudicio et pro ea qua ipse scit racione. Volo inquit mundare. Ille dixerat: domine si vis; et dominus respondit: volo. Ille: potes me mundare; et dominus: mundare. Ac si diceret: non dubitasti credere non differam te mundare. Que verba nequaquam iungenda sunt, ut indicativo modo legantur, sed separatim distinguenda, ut primum dicat indicativo modo volo, ac postmodum inferat imperando: mundare, id est esto mundus. Et ait illi Ihesus: Vade nemini dixeris. Mirum videtur cur dominus collatam sanitatem silere leproso preceperat. Quomodo enim occultare poterat quod ~~in~~ ~~medio et~~ in itinere et in conspectu turbarum factum erat, vel quid necesse erat leproso ut sanitatem sermone predicaret quam corpore preferebat. Sed per hoc docemur ut quando aliquid boni gerimus non plausum humane mercedem remunerationis sed nec favorem temporalis laudis vel glorie requiramus. Sed vade et cetera. Sciendum tres ob causas proprias leprosum hunc a domino ad sacerdotes missum. Primo ut sacerdotibus honorem deferre videretur, quia lex precipiebat ut mundati a lepra ad sacerdotes pergerent et pro emundatione sua munera offerrent. Hoc facto nobis ostendere volens ut intelligamus cum quanta veneratione nobis honorandum sit illud sacerdocium quod nunc in presenti ecclesia agitur, per quorum ministerium ac a sordibus peccatorum purgati in patriam introducimur celestem, sed illud quod in typo et figura gerebatur. Adeo dominus honorare voluit ut leprosos a se curatos ad sacerdotes diligerent / Secundo / ne dicere potuissent quod legem destrueret / Tercio ut uidentes leprosum diuinitus mundatum / crederent se similiter posse in anima saluari a domino / sicut leprosum cernebant sanatum corpore et saluarentur. aut non credentes inexcusabiles fierent de aduentu saluatoris. Moraliter lepra uaria significat peccata. Quibus qui se meminit implicatum. ad sacerdotem citius properare ac sua peccata confitendo reuelare / et precibus consilium aut intra ecclesiam aut extra debet manere. Et offer munus quod precepit moyses in testimonium illis. Lex mosayca precepit ut si quis leprosus misericordia diuina mundatusque fuisset ueniret ad sacerdotem. et offerret ad hostium tabernaculi torta panis que haberet tres decimas simile. simul etiam olei sextarium. et duos passeres E quibus unum immolabat sacerdos in uase fictili super aquas uiuas / alterum uero uiuum tinguebat in sanguine passeris immolati cum ligno cedrino. et ysopo et cocco et sic eum liberum in agrum auolare permittebat. Que omnia misticis sunt plena sacramentis. Qui enim perfecte uult lepra peccatorum emundari / debet uenire ad sacerdotem id est christum qui est uerus sacerdos sacerdotum / de quo psalmista / tu es sacerdos in eternum. et cetera / qui se ipsum pro nobis deo patri in ara crucis optulit immolandum. Debet offerre torta panis. que habeat tres decimas simile quia oportet illum habere fidem sancte trinitatis. Debet offerre sextarium olei. id est perfecte fidem tenere catholicam. Sicut enim sextario omnes ~~[illegible]~~ minores mensure continentur. ita omnes uirtutes intra fidem catholicam concluduntur. Debet quoque offerre duos passeres. Hoc est credere in christo duas ueras inconfusasque naturas humanitatis scilicet et diuinitatis mediante anima. absque ullius contagione peccati / lignum cedrinum dominice crucis lignum significat Vermiculus qui est nimium rubicundi coloris. sanguinem exprimit dominice passionis. Ysopus que est herba boni odoris ~~pulmonem~~ pulmonis purgans. spiritus sancti uirtutem designat Unum ergo passerem in uase immolabit fictili super aquas uiuas. ut uidelicet credat humanitatem eius in carne mortali passam designat uas fictile. post baptismum custericam. quam designat aque uiue. Alterum uero passerem tinguet in sanguine passeris immolati. Alter passer qui uiuus abire permittitur. diuinitatem designat qui ~~in~~ tinguitur in sanguine passeris immolati cum cocco et ysopo. quia diuinitas uera semper fuit in eo qui passus est mortem. sed tamen sola

humanitas passioni subiacuit
diuinitate impassibili permanente
Cum ysopo quoque. quia spes scilicet
ea christo fuit nec cum impassione
Post hec passer liber auolare
permittitur. quia ut deus est caro
sola passa est diuinitas impassi-
bilis permansit / Moraliter vero per tortam
panis. caritas accipitur. Sicut
panis condimentum est omnium ciborum
ita et caritas perfectio est omnium
uirtutum / Per sextarium olei intel-
ligitur perfecta mensura misericordie. Oleum
namque a greco quod est eleos id est
misericordia vocabulum sumpsit. Que
una mensura habet de qua dominus
dicit. In qua mensura mensi
fueritis remetietur vobis. Et alibi
Beati misericordes. quoniam ipsi
misericordiam consequentur. Lignum
cedrinum. designat spem bonorum
futurorum. Sicut enim cedrus arbor
est imputribilis. ita spes premiorum
celestium nullius potest malorum
pressuris obteri. nulla labe con-
sumi. De qua apostolus. Spes
autem inquit non confundit. Ver-
miculus exprimit carnis nostre
mortificacionem simul etiam eam
qua proximo debemus compassionem /
Ysopus vero que est herba humilis
uera figurat humilitatem. Aque
uiuentes. sciencia sacre scripture
que nobis spiritale potacionem
prestat et ablucionem / Vas fictile
fragilitate moribunde carnem
sinuat. Duo passeres. corpus
nostrum simul et animam premonstrant. Si
ergo volumus a lepra peccatorum mun-
dari offeramus christo tortam panis.
id est teneamus efficacissime carita-
tem / Offeramus sextarium olei. ut
quibus valemus misericordiam impendamus
Offeramus lignum cedrinum id est
teneamus inconfusibilem spem futurorum
bonorum. Offeramus vermiculum id est
mortificemus membra nostra cum
suis viciis et concupiscenciis cruci-
figamus simul etiam proximorum ma-
lis condolendo compaciamur. Offeramus
ysopum id est teneamus veram cordis
humilitatem. que est reliquarum custos
virtutum / Offeramus aquas uiuas
in vase fictili. id est habere satagamus
scienciam scripturarum in fragili corpore
nostro quod apostolus loquitur. Habemus
thesaurum istum in vasis fictilibus.
Offeramus duos passeres. id est
corpus simul et animam deo consecremus.
Quod vero unus passer immolabatur
retorto ad pennulas capite. ita
ut sanguis effunderetur. non caput
a collo abrumperetur. designat quod
ita caro nostra per abstinenciam est affli-
genda. ut non penitus extinguatur
a uita. Nam et apostolus dicit Obsecro
vos per misericordiam dei. ut exhibeatis
corpora vestra hostiam viuentem. sanctam
deo placentem. Hostia enim immo

latur et vivit. cum caro per abstinenciam maceratur nec tamen anima discedit. Quod vero alter passer liber in agrum avolare permittebatur typice designat quod carnalibus concupiscenciis edomitis et viciis mortificatis. anima vera pennis contemplacionis ad celestia est sublevanda. et divino theoremati assuefacienda. Et offer munus etc. Movet nonnullos quare dominus curato a lepra mosaicum sacrificium offerre precepit quod reprobandum erat. et non illud potius quod nunc observat ecclesia / Sed attendendum est. quod nondum dominus obtulerat in passione corpus suum nec dum misterium corporis et sanguinis sui discipulis tradendo consecraverat / et ideo non oportebat sacrificia significativa prius auferri / donec illud sacrificium quod significabant contestacione apostolorum predicancium confirmaretur. Et bene addit in testimonium illis. In eo videlicet testimonio. ut si deo credant se a lepra sue infidelitatis discedant. salvificant / Si autem a lepra infidelitatis non recedant. Hoc est si in Christum non credant. a quo leprosum divinitus mundatum intellegerint. iam de adventu ipsius salvatoris in hunc mundum venientis inexcusabiles fiant. Mistice vir iste leprosus. genus designat humanum. lepra peccatorum respersum / Leprosus ergo ex tanta manu salvatoris sanatur. quia genus humanum incarnato dei filio qui manus patris dicitur. a contagione animi separatur. Cum autem introisset capharnaum et cetera usque dicens / Capharnaum civitas est galilee ad radices montis thabor posita. quam dominus de monte descendens intravit / ut puerum scilicet centurionis curaret / Oritur autem hic non contempnenda questio. cur scilicet matheus ut presens lectio narrat. centurionem dicat ad dominum accessisse. cum lucas seniores iudeorum ab eo missos ad dominum narret. Sic enim dicit / Cum iam non longe esset dominus a domo centurionis et cetera / usque puer meus / Et dicendum breviter quod matheus brevitati studens ipsum accessisse dicit. cuius fides atque voluntas per suos nuncios ad dominum est prolata / Plus enim appropinquavit centurio ad dominum. cuius fide devota ad dominum venit. quam illi qui presentes erant corpore. sed tamen absentes fide. Sic enim emorroysa mulier que credidit magis dominum tetigit. quam turbe que illum comprimebant. Ita centurio quo firmius credidit eo vicinius ad dominum fide accessit / At vero lucas omne geste rei modum et ordinem diligencius insinuare curavit / Similiter etiam invenimus matheum evangelistam occulte instruimur quomodo ad dominum qui semper est accedere debeamus. scilicet fide videlicet et caritate et animi devotione. ut psalmista ait. Accedite ad eum et illuminamini. Domine puer meus etc. Multi illo tempore pro diversis infirmitatibus obsecrabant, alius pro filio, alius pro amico, alius pro alio aliquo. et nullus pro servo rogavit. nisi iste solus. et hoc ad incrementum beatitudinis ei constat pervenisse. quod pro servo tam humiliter supplicavit domino dicens. Puer meus iacet in domo etc. Non vnum tantum miserabilis quod iacet, sed et alia peste infelix quod paraliticus est. tercia quod male torquetur. hoc est a demonio vexatur. Et ait ihesus Ego veniam et curabo eum. Magna quidem est domini sublimitas. sed maior humilitas. Qui cum solo verbo valebat curare. non est dedignatus languentem servum visitare. Queritur autem cur dicat dominus se ad domum centurionis venturum. cum in sequentibus non legamus domum eius adisse. sed centurioni dixisse. filius tuus vivit. Sed intelligendum est. si centurio ad dominum venisse dicitur, cuius non presencia corporalis sed devota solummodo fides venisse cognoscitur. multo magis dominus ad domum centurionis accessisse. qui per presenciam sue divinitatis infirmanti subvenit. Domine non sum dignus etc. Quia se gentilis et externus introisse. et nec dum baptismo renatum se noverat. Christum hospitem habere non audebat. quem putabat sua presencia illius magis gravari quam iuvari. Legimus sane alibi quod zacheus adveniente domino gaudens excepit. Centurio autem presencia illius se indignum iudicans ingressum illius ad domum suam recusavit dicens. Domine non sum dignus etc. Quidam vero morali sensu per zacheum possunt illi figurari. quidem mundicia consciencie sue securi. misterium corporis ac sanguinis summa cum mentis alacritate percipiunt. certi se per illius percepcionem si tamen digne sumant. vitam consecuturos eternam. In centurione autem illi non absurde figurantur. qui consciencia stimulante convicti. ad tantum sacramentum detrectant accedere. cogitantes illud apostoli. qui corpus domini manducat et sanguinem bibit indigne. iudicium sibi manducat et bibit. Sed tamen inquit dic verbo. et sanabitur puer meus. Attendendum est quod centurio iste tribus principalibus virtutibus eminuit. fide videlicet. humilitate et prudencia. Fidem quippe habuit quia credidit solo verbo Christi puerum suum posse sanitati restitui. Humilitatem quoque possedit. in eo quod presencia salvatoris se indignum iudicavit. Prudencia insuper plenus fuit. quia sub humilitate carnis latere intellexit maiestate divinitatis. Nam et ego homo sum etc. Ex sui comparatione vult ostendere Christo omnia possibilia esse. Ac si dicat: Ego homo sum, tu deus. Ego sum sub potestate regis vel tribuni, tu sub nullius es potestate. Ego habeo sub me milites, tu habes sub te angelos. Et dico huic vade et vadit etc. Tanquam dicat: Sicut ego aliquibus qui mihi subiecti sunt dico vade et vadit, et alio veni et venit, ita et tu si praecipis infirmitati ut discedat, recedet continuo. Et si dixeris sanitati ut veniat, sine dilatione aderit. Sed et tu ipse dignum non est ut venias. Potes aliquem ex his tuis angelis ad domum meam mittere, ut ipso faciente recedat a puero meo daemonium a quo vexatur, et salus festina languenti servo protinus contabā. Audiens autem Ihesus miratus est. Miratur utique in homine gentili intelligentiam suae maiestatis. Quis autem dederat illi ipsam fidem, nisi ipse qui mirabatur? Miratus est non illam, ut nobis miranda proponeret. Et sequentibus sit dictum: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Subaudiendum quantam in barbaris et gentilibus atque alienigenis. Nequaquam fidem centurionis fidei Abrahe ceterorumque patriarcharum vel prophetarum antiquorum praetulisse putandum est, qui Deum non solum crediderunt verum etiam venturum ostenderunt, sed de illis procul hoc dicit israhelitis qui ipso tempore vivere poterant, et non solum fidem similem centurionis non habebant, sed etiam factis domini nostri Ihesu Christi infideliter derogantes, Beelzebub et Samaritanum illum pertinaciter nuncupabant. Potest et de apostolis dictum intelligi, quorum fidei fides gentilis hominis merito praefertur. Quod enim Petrus, Andreas, Iohannes et ceteri apostoli crediderunt, mirum non est. Cur enim non crederent, qui et legem noverunt et dicta prophetarum habebant, et insuper quicquid in scripturis sanctis legerant totum in Christo impleri cernebant. Iste vero centurio nec dum scientiam legis habuerat, nequaquam apostolos praedicantes audierat, et tamen tantae fidei fuit ut ad solam domini voluntatem suo servo salutem posse crederet reparari. Dico autem vobis etc. usque caelorum. In his atque sequentibus verbis et gentium vocatio et Iudaeorum reprobatio aperte praedicatur. Ab oriente enim et occidente duo intelliguntur praecipua climata, omnes mundi partes intellige, de quibus gentes cotidie ad fidem Christi conveniunt, ut recumbant cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum. Recubitus autem iste non est carnalis accubitus sed spiritalis quiescentium

Filii autem regni et cetera. Filios regni iudeos dicit in quibus antea deus regnauit per fidem et culturam sui nominis. Uel certe filii regni dicuntur quia non regni celestis bona sed potius terreni regni gloriam quesierunt. Qui quoniam in christum credere noluerunt in tenebras exteriores cottidie eiciuntur. Tenebre enim interiores sunt cecitatis mentis. Exteriores vero nox eterne dampnacionis. In quibus videlicet exterioribus tenebris iudei dampnati sunt qui sponte in interioribus errauerunt. Ibi erit fletus et stridor dencium. Hic aperte vera corporum resurreccio demonstratur. quia si oculi et dentes ibi erunt procul dubio et cetera membra reparabuntur. Duplex eciam pena infernalis exprimitur cum oculi flere et dentes stridere in inferno perhibentur. Quia enim fletus aliquando ex fumo. fumus ex igne nascitur. item que stridor dencium ex frigore. frigus autem ex aqua generatur. aperte in inferno et immanitas frigoris. et ardor simul intolerabilis esse demonstratur. Unde et iob ait Ad calorem nimium transibunt ab aquis niuium. Et dixit ihesus centurioni Uade et cetera usque in illa hora. Hic certe unicuique homini prouenit si crediderit. et secundum mensuram fidei dabitur unicuique celestis gracia doni. Mystice centurio electos ex gentibus significat. Qui cum perfectione omnium uirtutum adornantur. quasi centum milibus constipantur. Isti tales necesse est ut per seruum hoc est per eos qui adhuc in timore seruitutis deprimuntur domino supplicant. quatenus carnali timore sublato. dileccione coniuncti dei presencia perfrui perenniter mereantur. Prestante domino nostro ihesu christo. qui cum patre et spiritu sancto viuit

Ascendente ihesu in nauiculam et reliqua usque in mari. Cum dominus ac redemptor noster multa et magna et admiranda opera ostendisset in terra transiit ad mare. ut ibi de excellenciora miracula demonstraret. scilicet cunctis dominum terre ac maris esse innotesceret. Ideo quia ascendente illo in nauiculam. continuo mare turbatur. fluctus exiliunt. Discipuli in timore mittuntur. Illa vero tempestas non ex se oborta est. nec contra dominum aliquid secum molita. sed nutu illius qui educit uentos de thesauris suis commoti sunt fluctus uento. non impugnantes christum. sed creatori nauiganti plausa iocunde obsequium suis motibus exhibentes. Ipse vero dormiebat. Queritur videlicet quomodo creator dormisse dicatur. de quo scriptum est. Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit israel. Sed per hoc in mari dormiebat. per quod ad puteum fati

gatus sitiebat / Dormiebat scilicet
corpore . sed vigilabat deitate / Et atten-
denda in xpo gemina unius eiusdem-
que persone natura . quia ipse est qui tamquam
homo in navi dormit . quasi deus
ventorum furoremque maris compescit / Et tunc
cessavit et cetera / usque [illegible] / Sancti
apostoli adhuc imbecilles et infirmi-
tanto fuerant metu concussi ut absque
solita reverentia irruerent in dominum et
clamore excitatum pro periculi effugio inter-
pellarent . quasi non et dormiens
eos eripere potuisset . Et ait illis
Quid timidi estis modice fidei / Lucas
dicit / Ubi est fides vestra / Id est sine
potentie mee creditis quare et non
in mari Et recte redarguuntur / qui
presenti vite mori timuerunt . cum cuius
adheserit medium perire non potest
Tunc surgens et cetera / usque magna /
Ex hoc loco intelligitur quod omnes
creature sentiant creatorem / non quod
anima intellectuali vivant . sed quia que
apud nos insensibilia . maiestate
conditoris illi sensibilia sunt / Por-
ro homines et reliqua / usque ei / Non puta-
mus hoc loco apostolos dici fuisse mi-
ratos . sed nautas et ceteros qui cum
deo navigabant . admirationem pro-
fessos / Sed et si quis discipulos
magis hic voluerit intelligi . ita
homines appellant qui necdum pote-
ntiam salvatoris agnoverunt / Mira-
bant ergo dicentes . Qualis est iste /

Id est quam fortis . quam potens . quam
magnus . qui ut homo dormit .
et tempestates ut deus verbo
compescit / Secundum allegoriam vero navic(ula)
quod dominus cum suis discipulis transire
cupiebat . tenebrosa atque amara
istius seculi designat volumina .
Navicula in qua ascendit . significat
arborem crucis . in qua passus est .
Sicut enim navicula quos continet
ad litus perducit / ita fides dominice
passionis quos continet ad litus
hoc est ad soliditatem celestis patrie
per mare istius seculi dirigit / Ascendit
ergo in navim ut venirent ad litus /
id est conscendit crucem . ut moriendo
transiret ad requiem / Secuti sunt autem
discipuli eius . et ipsi similiter patiendo
crucem suam tollendo . xpm sequendo
Et hoc est spiritualiter quod ante pas-
sionem discipulis loquitur / Si quis
vult post me venire . abneget semet
ipsum et tollat crucem suam / hoc est
castiget et servituti subiciat corpus
suum et sequatur me . Et ecce motus
magnus factus est in mari / Motus
magnus in mari significat perse-
cutionem blasphemantium iudeorum
in mundo . qui quasi quibusdam
fluctibus sic impiis vocibus quod
xpm eiusque sequaces predicatores
eius tempore oblatrabant dicentes /
Hic homo non est a deo . iterumque iudeos
inquiunt quod in belzebul principem / Ecce

totus mundus post eum abiit idest vadit. Et multa similia. Et pilato in passione dicunt. Crucifige crucifige eum. Et si hunc dimittis non es amicus cesaris. Unde ~~sequitur~~ sequitur. Ita ut navicula operiretur fluctibus. Per naviculam sanctam intelligitur ecclesia. Hoc est multitudo credencium. Navicula ergo idest sancta ecclesia cooperta est fluctibus. quia tanta ac talis persecucio post domini ascensionem in celos contra credentes incanduit. ut pene ipsa fides dominice passionis in cordibus fidelium sopiretur. Propter quod et petrus dominum negavit. et apostoli omnes relicto eo fugerunt. Erat enim illis ventus contrarius. Ventus quod mare contra discipulos concitavit. diabolum significat. qui mare huius seculi. hoc est inmundum orbem. reges videlicet tyrannos. et principes. contra apostolos concitavit. ne auderent loqui nomine salvatoris. Ideo autem dyabolus suis temptacionibus ad tempus christi discipulos permissus est agitare. ut nos intelligamus quod sine temptacione huius seculi enavigare non possumus. Ipse vero dormiebat. Dormicio christi. soporem passionis illius significat. Et congrue mors illius sompno comparatur propter celerem resurrectionem. et quia caro eius non vidit corrupcionem. Et accesserunt discipuli eius dicentes. Domine salva nos. perimus.

~~Suscitant~~ Suscitant dominum ne inminenti periculi feritate desperarent. Quia quem illum morientem viderunt. resurgentem certum celerius expectabant. Nisi enim christo cito surrexisset. mox fides funditus in apostolis deperisset. Accesserunt ad eum discipuli tempore passionis. non corpore. sed fide. voluntate. ac desiderio. iuxta quod scriptum est. Accedite ad eum et illuminamini. Unde et quidam eorum in domini passione voto se obligasse feruntur. iacobus videlicet alfei. non se aliquid comesturum prius quam videret dominum resurgentem a mortuis. Tunc surgens et cetera usque magna. Surgens dominus ventum increpavit. quando per suam resurrectionem superbiam diaboli prostravit. Tempestatem cessare fecit. cum de sepulchro resurgens rabiem persequencium iudeorum annullavit. et corda multorum ad laudem sui nominis convertit. Possumus et modo spirituali sensu. per naviculam presentem etiam figurate accipere. que habet gubernatorem dominum ihesum christum. Malum in medio. idest deum patrem. Velum idest legem moysi. Ventum hoc est spiritum sanctum. Nautas. duodecim apostolos. Quibus instructa inter scyllam et caribdim idest inter paganos et hereticos tendit ad litus celestis patrie pervenire. Motus in mari vento contrario excitatus significat insidias demonum. et persecuciones pravorum hominum. quibus ecclesiam catholicam in ipso suo exordio debellare conati sunt. Cum enim apostoli post domini passionem ac resurrectionem per universum mundum fidem catholicam diffundere conarentur. mox et iudei contra illos insurgere. et gentiles dolorum suorum cultum volentes defendere. illis ceperunt obsistere. et ut linguas eorum a predicatione christi compescerent. tormentis acerrimis affectare/ Sed dominus quodammodo dormiebat quando electos suos talia pati sine prohibitione sinebat/ Sed precibus ecclesie tamquam pulsantibus discipulis excitatus. imperavit ventis. id est. malignorum spirituum infestacione mitigavit/ Imperavit et mari. id est. malorum hominum seviciam compescuit. et pacis tranquillitatem magnam ecclesie sue restituit. Adeo. ut eciam ipsos mundi principes qui prius religionis christiane acerrimi impugnatores extiterant. ad fidem suam humiliaret. et eiusdem defensores ferventissimos faceret. quod sub hostes pene intolerabiles habuisset. quales fuerunt imperatores. constantinus. et gracianus. philippus quoque. et ceteri. quos facile est invenire. De quibus per prophetam olim fuerat pronunciatum dicente de christo. conturbati sunt montes in fortitudine eius/ [illegible]ralis quoque. cum signo crucis armati. statim relinquere disponimus. nanum ei salvatorem ostendimus/

Sed navigantibus nobis ventorum contrarius tempestatis excitatur. quia sepe dum in virtutibus conamur proficere. mox vel immundorum spirituum vel pravorum hominum. vel ipsa nostrarum cogitacionum importunitate a statu rectitudinis impedimur. ac interim dormit dominus/ dum auxilium suum nobis visibiliter non impendit. Sed necesse est ut qui talia patimur vigilibus eum interpellacionibus excitemus dicentes. Exurge quare obdormis domine// Ista nobis proclamantibus. mox dominus surgens. imperabit ventis et mari. id est. malignorum spirituum nocivas machinas destruet. cogitacionum impugnaciones allidet. Invidentes eciam proximos. ad benivolenciam et dilectionem nostram fecit tranquillitate reductos ut impleatur quod scriptum est. cum placuerint domino vie hominis. inimicos quoque eius convertet ad pacem. Ita ut a tumultibus viciorum atque insidiis inimicorum liberati. magna circa nos dei clemencia admiremur ac de illius beneficiis perenniter gratulemur qui vivit et regnat//

In purificacione marie

Postquam impleti sunt dies purgacionis eius/ et reliqua usque domino/

Ex verbis huius sacre leccionis. maxima nobis redemptoris nostri dignacio. et intemerate genitricis eius beate marie humilitas co mendat. Quod videlicet tam ipse dominus quam gloriosa eius mater cum legi nichil deberent, legalibus tamen decretis se subdere sponte voluerunt.

Precipiebat enim lex ut infans octavo die nativitatis circumcisus post triginta et tres dies sue circumcisionis ad templum deferretur domini et daretur hostia pro eo et si esset primogenitus sanctus domino fieret. Quod si verba legis diligentius inspicimus videbimus quia non solum dominus sine peccato incarnatus sed et ipsa beata illius genitrix ab omni subiectione legis liberrima fuerit. Dicit namque lex: Mulier si suscepto semine pepererit masculum immunda erit septem diebus, et die octava circumcidetur infantulus, ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis sue. Dicens enim mulierem suscepto semine parientem una cum sollemniter oblatis victimis debere mundari, illam utique ab hac necessitate distinguit que sine suscepto viri semine virgo concepit et virgo peperit. Reliqui namque homines utique cum peccato originali oriuntur quia cum delectatione. In utero enim virginis spiritu sancto cooperante Ihesus conceptus est, ideo et sine peccato natus est. Sed sicut Christus legi subiectus esse voluit ut nos a vinculo solveret legis, ita etiam beata Maria cum sub lege non esset, pro exemplo humilitatis legis instituta non refugit observare, memor illius precepti quod quidam sapiens ait: Quanto magnus es, humilia te in omnibus.

Postquam ergo impleti sunt dies purgationis eius, vel domini videlicet vel beate genitricis eius, tulerunt illum parentes illius ad templum domini in Iherusalem ut sisterent eum domino. Hoc est statuerent et consecrarent. Illi enim primogeniti qui de toto regno iudeorum ad templum domini deportabantur, si fuissent quidem ex tribu Levi, in ministerium domus domini perpetuo tenebantur, quia eadem tribus tota in hoc ipsum templo fuerat dedicata. Sin autem ex alia aliqua tribu, precio dato aperientibus primogeniti redimebantur ad propria referendi. Et puerorum quidem purgatio in hostiarum oblatione constabat, matrum vero in hoc quod pro masculo quadraginta, pro femina vero octoginta diebus a viri thoro et ab ingressu templi domini arcebantur. Non quod culpa sit ex legitimo connubio prolem gignere, sed ipse generis humani legitimus nuptialis quidem conceptus non potest esse a culpa iniquitatis extraneus. Bonum enim nuptiarum ab initio generis humani divinitus institutum novimus. Propter quod et apostolus honorabile connubium in omnibus et thorum immaculatum sine dubitatione commendat. Cum igitur impletie lau

dabilit a deo sibi tributa possideat
in fide et caritate mundicia. tamen
quia sine delectacione libidinis non
possunt propagari. necessario prolem edunt
peccato primi hominis viciata/ Et in nupciis
ergo bonis usque adeo bonum est quod
nascitur. ut malum non sit eciam si de ad
ulterio vel fornicacione nascatur/ Dedit
enim humane nature donum fecunditatis
contulit. libidinis vero malum. non est
creatura dei. sed pena peccati/ Unde
de mundicia nupciarum mundus homo
non nascitur quia intermixtione sordida libi
dine seminatur/ Qua libidine casti
tas coniugalis non amat. sed ad propaga
dos filios necessario tollerat/ Ubi hoc
sanctus david legitimo fideliquo co
nubio natus. non sine gravissimo
dolore maculam carnalis generacio
nis deplorat. Ecce enim in iniquitatibus
conceptus sum. et in peccatis concepit
me mater mea/ Hec diximus ut
maculam originalis peccati non in legi
timis nupciis. sed in conceptu parvulorum
esse noverimus/ Quod autem mulieri pro
masculo filio quadraginta diebus
aditus templi interdicitur. ideo iuxta
litteram factum est. ut quot diebus infans
formatur in utero tot eciam diebus pur
gacio illius pagatur/ Dicitur enim
concepcio humana sic perfici. ut
primis sex diebus quasi lactis ha
beat similitudinem. sequentibus no
vem diebus convertitur in sanguinem/
Deinde duodecim diebus solidatur.

reliquis decem et octo diebus forma
tur usque ad perfecta liniamenta membrorum
Inde iam usque ad tempus pariendi
reliquo tempore magnitudine sua
augetur/ Sex autem et novem. et duo
decim et decem et octo. in unum co
acti. faciunt quadraginta quinque/ Si
ergo minorem numerum in maiorem
concludimus videbimus quod partu ex
tot pene diebus hominis purgari
quot formatur in utero. Cur autem pro
femine partu diuturnior purgacio
iniungatur quam pro masculo inqui
rendum est/ Sic enim dicitur/ Si mulier
autem feminam peperit. immunda
erit quatuordecim diebus et
sexaginta sex diebus manebit
in sanguine purgacionis sue/
Quia ergo mulier et se et virum
decepit. ideo eciam in ortu suo ma
iori subiacet maledictioni/ Ferunt
eciam phisici/ fluxum sanguinis
pro masculo. septem esse dierum. pro fe
mina vero dierum quatuordecim.
ut quanto est sexu infirmior. vel
inferior. tanto sit ipsa nativitate
inquinacior/ Porro quatuordecim
et lxvi. octoginta faciunt/ Inde
numerus superior. id est quadra
genarius duplicatur. quia mulier
serpentis persuasioni consensit.
et virum persuasioni sue consentire
coegit/ Vir autem soli mulieri con
sensit/ Hec iuxta litteram de distan
cia purificacionis dicta sufficiant/

Quod vero dominus prius circumciditur ac sic quot post aliquot dies in templum cum hostia offertur, significat spiritaliter quod nullus hominum in conspectu dei valet esse acceptus. nullus etiam celestem iherusalem perfrui valet conscendere. nisi circumcisus viciis. et cautus omni fece mortalitatis. Sicut scriptum est in lege domini. quia masculinum omne adaperiens vulvam. sanctum domino vocabitur. Quod dicit omne masculinum adaperiens vulvam. et de hominibus et de pecoribus dictum intelligitur. Omnia enim primogenita domino sanctificabantur. et sacerdotum erant. ea tamen racione. ut pro hominis primogenito sacerdoti precium daretur. primogenitum quoque pecoris quod immundum erat. quinque redimitur siclis argenti. Spiritualiter omnia autem illa primogenita significabant dominum ihesum christum qui cum esset unigenitus in natura dei patris. factus est primogenitus omnis creature id est omnium hominum. Et ipse est veraciter et singulariter sanctus domino. quia peccatum non fecit. nec dolus inventus in ore eius. Moraliter quoque omnia nostra primogenita deo offerenda sunt ut quidquid boni in corde concipimus divine gracie tribuamus. Et sicut illi immunda animalia quinque siclis redimebant. sic nos prava opera que gerimus redimere debemus. perfecta agentes penitencia de omnibus peccatis que per quinque sensus corporis contrahimus.

Quod ergo dicit adaperiens vulvam non est credendum ut heretici affirmare conati sunt. quod corpore uterum matris eius ingressus sanctificaverat. egressus virginitate privaverit. Ipsa est enim porta. de qua scriptum legimus. Porta hec clausa erit. et vir non transibit per eam. quoniam dominus deus israel ingressus est per eam. eritque clausa. Et cetera. De namque vera ex virgine suscipiens carne. perfectione excepta humani corporis sumpsit. virginitatis ei graciam non ademit. Neque enim decebat ut creator humane carnis deus qui in prima condicione homini virginitatem tribuerit id est quod fecerat redempturus. virginitatem carnis de qua nascebatur auferret. Et ut darent hostias etc. vel columbas. Hostia hec pauperum erat. Precipiebat namque lex. ut qui possent agnum invenire offerrent pro filio vel filia. simul cum turture sive columba. Quod si quis agnum reperire non posset duos saltem turtures vel columbas iubebatur offerre. Dominus ergo ihesus memor salutis nostre. cum esset dives pauper pro nobis fieri. pauperum pro se hostiam voluit offerri. ut nos sua paupertate diviciarum spiritualium et eterni regni donaret esse participes. Sed videamus cur hec volucres precipue in sacrificio domini iubebantur offerri. Columba enim simplicitate. turtur significat castitatem. Que adeo continencia diligit. ut pꝰquã semel sociũ ꝑdiderit. ulteriꝰ alterũ nõ requirat/ Utrꝗ aũt auib· gemitu ꝓ cantu habꝫ Et ideo nõ immerito scõꝝ in hoc sclo designant ploratũ/ Merito ergo t̃tur et columba in hostia dño offerunt. ut apte designẽ. quia simpꝉ et casta in scõꝝ conuersatio. gratissimũ oĩpotenti deo sacrificiũ exhibet// Item columba q̃ gregatim uolat. actiua uitam significat. que mltoꝝ est/ Turtur uõ qui soliuagus est et singularitate diligit contemplatiua uita significat. paucissimis acrarissimis imitabile/ Noualet cũ ipõ p̃ceptu euãgelicũ intrantes in cubiculũ oramus dñm in abscondito. turture offerim⁹ Uerũ cũ ad simile opus alios quos possum⁹ inuitam⁹ dicentes cũ psalmista. uenite adoremus et ꝓcidamus et ploremus ante dñm qui fecit nos. columbas ad diuinũ altare portam⁹/ Et ecce homo erat in ihrlm. cui nomen Symeon/ Adueniẽs in carne dei filius nõ tãtu ab angelis et ꝓphis. s; etiam a senioribus et iustis. testimoniũ laudis accepit/ Decebat namq;. ut quia omĩb etatib. omĩb sexus. omĩs condicio. ꝑ xpm erat redimenda. omẽs etiam illi deuoto famularent obsequio. Et homo iste iustus et timorat⁹/ et cetera usq; meo// Recte iustus et timoratus dicit. quia iusticia sine timore dei difficile custoditur// Sic enim uera iustus erat. qui nõ sua tantũ s; totius ꝓpli cõsolacionẽ expectabat. ut filiis qui iã cõmultis diebus. dominio herodis alienigene grauabant. aduentu dñi saluatoris liberati. cõsolacionẽ acciperent. Et responsũ acceperat a spũ sancto/ et cetera usq; xpm dñi/ Magnũ desideriũ antiqui sancti habebant uidendi dñm ihm xpm. quẽ sciebant ee uenturũ. Quod huic symeoni ꝓ gra meritoꝝ scoꝝ concessum est/ Accepit eĩ responsũ in mente a spũ sancto. qđ nõ eet morte uisurus nisi uideret dñm/ Uideri aut/ ꝑ cooperimẽ positũ e ~~Et uenit in spũ in templũ~~ Et uenit in spũ in templũ/ Quod dicit uenit in spũ in templũ nequaquam sine corpore uenisse putand⁹ est. s; inspiratus a spũ sancto a quo ante responsũ acceperat. aduenit in templũ/ Et cũ induceret puerũ ihm parentes eius/ et cetera usq; in ulnas suas/ hoc est i brachia sua. Quis aut ualet ꝓpendere. quanto animi gaudio et inenarrabili alacritate ꝑfusus fuit symeon/ cũ celi terreq; creatorẽ et deũ ꝓpriis amplectens tenet in brachiis. quẽ et a prophetis predictum. et ab uniuscuiusque suis votis multiplicibus noverat expectatum/ Figuraliter Symeon senex mundum istum significat. quasi longo iam senio et etate declinem/ Symeon infantem accepit. idem in manibus xpm agnovit. et vetustate peccati exutus. ad innocenciam xpiane conversationis rediit/ Et benedixit deum Et reliqua/ usque in pace/ Sciebat beatus symeon. quod beati erant oculi qui xpm erant visuri. et ideo donec illum ipse videret. nolebat morte dissolui. quem tamen ut vidit. mox optabat in pace dimitti/ Quia viderunt oculi mei/ et reliqua Salutare dei patris xpm appellat. quem in primo adventu ante faciem populorum deus pater paravit. ut illum quicunque mente credere vellet. fide ac dilectione conspiceret/ In secundo quoque adventu hoc ipsum salutare ante faciem omnium populorum parabitur. ut videant eum omnes oculi. et reddat unicuique secundum opera sua/ Lumen ad revelationem gencium et gloriam plebis tue israel/ Utrique quidem populo id est iudaico et gentili xpus lumen est. sed israelitico populo specialiter gloria fuit. quia ex ipsis est principatus. in illis carnem assumpsit. inter eos miracula fecit/ Gencium quoque revelatio fuit. quia oculos mentis eorum profunda infidelitatis cecitate demersos. lumine sue illustrationis revelavit. id est aperuit et illuminavit/ Et recte xpm prius ad revelationem gencium. ac deinde ad gloriam israel venisse dixit. quia prius gentiles quam iudeos crediturus esse previdit/ Tale quid et psalmista ait/ Notum fecit dominus salutare suum. et reliqua/ usque domui israel/ Prius enim dixit dominum patrem iusticiam suam que xpus est gentibus revelasse. ac deinde subiungit recordatus est misericordie sue et veritatis sue domui israel/ Hinc paulus ait/ Cum plenitudo gencium intraverit. tunc omnis israel salvus fiet. Hec de lectione euangelica breviter sunt dicta/ Que licet causas hodierne festivitatis plenius aperiat. non tamen abre est. si de eius nomine aliquid compendiosius indagemus/ Greco namque sermone ypante est. obviare dicitur/ Unde utique ista dominica sollempnitas ypapanti nuncupatur/ Eo scilicet hac ipsa die allato in templum domino. symeon et anna. et cetere fidelium persone que ibi erant tempore sue purificationis occurrerint/ Agitur ergo ista festivitas incipiente mense februario. qui a februo id est plutone vel lustracione. hoc est purgatorium potens a gentilibus credebatur ita vocatus est/ Cum enim romani toto orbem sub tributo redegissent. statuit una queque exceptis tribus mundi partibus. africa videlicet asia et europa. per quinque annos solveret aurum. et rursus per alios quinque annos argentum. itemque per alios quinquennium erat. quinto demum peracto anno. ac censu soluto. uniuersam ciuitatem mense februario. ab uniuerso populo lustrabat. ut sacrificia diis infernalibus soluerent. quorum se presidio nationes orbis subiugasse putabant / Sed hanc lustrandi consuetudinem. bene mutauit christiana religio. cum hac ipsa die festiuitatis beate marie. plebs clerusque et sacerdotes cum cereis et ympnis ecclesiarum loca circueunt non utique ob recordacionem pagane supersticionis. aut imperii terrestris. sed in perhenne memoriam regni celestis. quando iuxta euangelicam parabolam omnes electi cum lampadibus sponso et sponse sunt occursuri. et superne claritatis thalamum intraturi. Et hanc quidam lustracionem pagani faciebant semper quinquennio anno. in fine mensis februarii. hoc est vii kalendas marcii / Postmodum uero augescente christianitate placuit ut inuencionem pretiose uirginis ad mensis initium transferret / Cuius institucionis more. nos quoque pro modulo nostro hodierna die deuote deo iuuante imitaturi. Dei genitricis missis uotis obsecremus auxilium. ut sua potenti intercessione nobis apud filium suum purgacionem impetret criminum. que purgacionem temporalem suscepit sine sordibus peccatorum / Cumque hac die cum filio templum dei sacrificium oblaturum conscendit. superne ciuitatis nobis obtineat ingressum. in qua diuine claritatis aspectibus libero contuitu perfruamur. Prestante domino nostro ihesu christo. qui uiuit /

Simile est regnum celorum homini patrifamilias / Et reliqua. Homelia

Regnum celorum in sacro eloquio quadriformem significacionem tenet. Significat plerumque supernam patriam. ut iohannes dicit / Penitenciam agite. appropinquabit regnum celorum. Et iterum / Regnum celorum uim patitur. Aliquotiens sacram scripturam / ut illud. Auferet a uobis regnum dei. hoc est intelligenciam diuinarum scripturarum. et dabitur genti facienti fructus eius. Propriam conscienciam aliquando significat. ut regnum dei intra uos est. Nonnunquam uero presentem figurat ecclesiam. ut presens lectio testatur. que dicit regnum celorum simile esse patrifamilias / Ecclesia enim iustorum. de multitudine electorum regnum celorum dicitur. quia dum electi in terris nichil appetunt. sed toto desiderio ad patriam celestem tendunt. Desiderantes dissolui et esse cum christo. iam in eis dominus tanquam in celestibus habitare dignatur. sicut scriptum est. Inhabitabo in illis et inambulabo. et ero illorum deus / Et reuera quanta distancia est inter celum et terram. tanta est differencia inter eos qui in ecclesia domino fideliter serviunt. et deum habitatorem habere merentur. et illos qui in sue infidelitatis duricia persistunt. et deum omnipotentem a se non voce sed conversacione repellunt. Ista autem parabola melius ex precedentibus verbis domini potest intellegi. ubi dicit. multi erunt novissimi primi. et primi novissimi. Et notandum. quia ubicumque in ewangelio vel in reliquis scripturis parabola vel similitudo dicitur que secundum spiritualem sunt intellegenda. Quia ergo hec lectio spiritualiter est intellegenda. querendum quis sit iste pater familias spiritualiter accipiendus. vel qui sint operarii. atque vinea. vel quid sit denarius quo operarii ducuntur. vel quare primis operariis denarii. ceteris non nomine denarii. sed iusta merces repromittitur. Homo igitur pater familias. deus omnipotens pater intellegendus est. Quantum enim ad hominem. pater familias proprie dicitur. qui domum suam congrue disponens. equaliter omnes tractat. nullaque inter filios et servos atque mercenarios patitur esse differencia. sed omnibus pari affectu. paterna cohibet benivolencia. Pater familias ergo per similitudinem parabole deus optime dicitur. quia in domo sua. id est in ecclesia preest regit quos condidit. nec est personarum accepcio apud deum. sed in omni gente qui timet eum et operatur iusticiam. acceptus est illi. Vinea illius est sancta ecclesia. id est multitudo fidelium ex utroque populo collectorum. Que vinea quot electos ab abel iusto protulit. quasi tot palmites misit. Operarii huius vinee. patriarcharum ac prophetarum. et apostolorum sunt caterve. Exiit ergo pater familias mane. hora tercia. sexta. et nona. conducere operarios in vineam suam. quia nullum istius seculi tempus fuit. quo deus optimus sanctos ad informacionem ecclesie sue non miserit. Primum enim mane. exordium huius mundi significat. quando deus misit in vineam suam abel sanctum virum. martirem. virginem et sacerdotem. Misit enoch qui cum deo ambulavit. et usque hodie in paradiso cum helya vivere creditur. Misit noe. cui dixit. Te enim vidi iustum coram me in generacione hac. Et quid mercedis tales operarii pro labore vinee expectarent. adiungitur. Convencione autem facta. id est stipulacione habita cum operariis. ut denarium acciperent pro labore diurno si bene laborassent in vinea. misit eos in vineam suam. Denarius apud antiquos decem nummis constabat. habens nomen regis inscriptum et imaginem eius impressam. Significat autem remuneracionem vite celestis. quam expectant hii qui in presenti vita decem legis precepta [illegible] custodiunt. Qui ergo in vinea laborant. denarium in quo ymago regis exprimi solet pro mercede expectant. quia ad hoc omnes electi laborare in ecclesia deo serviendo concertant. ut ymaginem regis eterni et similitudinem optimi dei quam in primo parente amiserunt recuperare valeant. Adam enim ad ymaginem et similitudinem dei creatus est non in corpore sed in mente. ita videlicet. ut sicut deus est sanctus. iustus. et verus. discernens inter mali et boni. ita et homo pro modulo suo sanctus. iustus. et verus esset. discretionem quoque boni ac mali retineret. Ad similitudinem quoque dei factus est. ut sicut est deus perpetuus et immortalis. esset similiter et homo immortalis atque eternus. nisi peccasset. Et homo factus est ad ymaginem et similitudinem dei. ut ymago intelligatur in sanctitate. similitudo autem in eternitate. Et fideles quique ad hoc veniunt in vineam. hoc est in ecclesiam electorum. ut ymaginem et similitudinem dei quam adam peccando perdidit. ipsi per fontem baptismatis recipere mereantur. Sed quia hoc in presenti tempore promereri non possunt. ut immortales corpore esse valeant. spiritualiter tamen hoc adeo in fonte baptismatis gratia spiritus sancti percipiunt. ut si moriantur corpore. spiritu tamen et anima immortales permaneant.

nisi iterum peccando morti se tradant. Qui tamen mox ut dies iudicii advenerit. immortalitatem quam nunc habent in animabus. tunc etiam optinebunt in corporibus. Ad quam scilicet ymaginem atque similitudinem recipiendam tanto digniores efficientur electi. quanto ferventius decem precepta legis in labore vinee implere studuerint. Et egressus circa horam tertiam et cetera usque in vineam suam. Referamus has horas secundum beatum gregorium ad etates istius seculi. et videamus quando in aliqua earum dominice vinee operatores defuerint. Mane ergo mundi fuit in prima etate ab adam usque ad noe. In hoc mane id est in initio mundi. primi parentes nostri collocati sunt a domino in paradiso. quasi quidam operarii in vinea domini ad laborandum. Conduxit ergo eos paterfamilias. hoc est dominus ihesus christus. cum demonstravit illis suam voluntatem. cum dedit illis liberum arbitrium ad agendum quod eligeret sive bonum sive malum. In vineam suam eos misit cum in paradiso positis. certam legem proposuit dicens. De omni fructu lignorum que sunt in paradiso vescimini. de ligno autem scientie boni et mali ne comederitis. In quacumque die comederitis ex eo. morte moriemini. Conventione ergo de mercede laboris sui eo denario cum eis ferit. quando vitam eternam eis promisit.

si in precepti illius observatione manerent / Per denarium enim ut dictum est vita eterna intelligitur / Et egressus circa horam terciam invenit alios stantes in foro ociosos. hora tercia fuit in secunda etate. a Noe usque ad Abraham. Venit ergo dominus eciam ad hos qui in secunda fuerunt. et misit eos in vineam suam. cum completo diluvio. dixit Noe et filiis eius. per quos genus humanum reparatum est. Ecce dedi vobis omnia animancia terre et volatilia celi ad vescendum. excepto quod carnem cum sanguine non comedetis / Et cetera / Quasi enim eos in vineam suam misit. cum eis sua lege custodienda constituit / Notandum vero. quod non sit. ut in superioribus convencionem fecisse cum operariis dicitur de denario diurno / Illis enim primis operariis. id est prothoplastis. quasi per quoddam debitum vitam eternam dare debuit si dei precepta custodissent / Cum istis autem nullam convencionem habuit. sed gratuita sua bonitate eorum misertus est / Nam non vacat a mysterio / quod stantes in foro et ociosos eos invenisse dicitur / Est autem forum ubi cause publice ventilantur. et proponuntur leges accusancium aut eciam defendencium / Unde in actibus apostolorum dictum est / Disputabat enim Paulus in synagoga cum iudeis et in foro per omnes dies ad eos qui aderant / In foro ergo eos invenit. hoc est in negociis istius seculi occupatos. dissidentes et litigantes inter se et bonis operibus ociosos / Item exiit circa sextam et nonam. et fecit similiter / Sexta hora fuit in tercia etate. ab Abraham usque ad Moysen / Et in hac eciam hora venit dominus et operarios in vineam suam conduxit. cum Abrahe famulo suo cunctis quoque in futurum stirpi illius circumcisionis observanciam mandavit dicens / Masculus cuius prepucii caro circumcisa non fuerit. peribit anima illa de populo suo. Et cetera / Nona hora fuit in qua comprehenduntur tres etates. a Moyse videlicet usque adventum domini / In qua eciam etate venit dominus. et operarios in vineam suam misit. quia et per Moysen illam scriptam legem populo israhelitico dedit. et prophetas pene innumerabiles adventum suum predixit / et multitudinem iustorum hominum perfecte nacioni ad imitandum proposuit / Circa undecimam vero exiit / Et cetera. Undecima hora fuit ab adventu domini usque ad finem seculi / In hac etate venit dominus ad salvandum genus humanum / Misit eciam tunc operarios in vineam suam. cum apostolos suos ad predicandum destinavit dicens / Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. docentes eos servare omnia quecumque mandavi vobis / In hiis omnibus etatibus. omnipotens deus ecclesie sue mittit sicut ostendimus primum per patres, deinde per legis doctores et prophetas, ad extremum vero apostolos excolere studuit. Quos omnes facile est invenire, si quis scripturam voluerit revolvere. Illi ergo operarii qui tercia, sexta et nona hora ad vineam vocantur iudaicum populum designat. Qui dum pene a mundi exordio in deum credere studuit, quasi semper in electis suis in vinee istius cultura laboravit. Illi vero qui undecima hora vocantur gentiles significat. Qui dum ab ipso mundi initio pro salute sua laborare neglexerant, quasi tota die ociosi stabant. Unde et eis voce domini dicitur: Quid hic statis tota die ociosi, idest quid per omne tempus variis erroribus demonum seducimini. Hoc enim fuit gentiles tota die ociosos stare, per cunctas huius seculi etates variis culturis demonum deservisse. Unde et dicunt: Nemo nos conduxit, idest nullus patriarcha, nullus propheta vite nobis viam aperuit. Possumus et has horas ad etatis humane momenta referre. Mane enim pueritiam significat. Hora tercia cum sol in altum proficit adolescentiam, in qua calor etatis crescit. Sexta in qua sol omnino iuventute, quia sicut sol sexta hora amplius ut potest in medio celi positus fervet, sic iuventus ad omnia agenda fortior ceteris etatibus existit. Nona eque senectus intelligitur. Per undecimam vero etas decrepita figuratur. De quibus omnibus etatibus dum singuli ad viam rectitudinis convertuntur, quasi diversis horis operarii ad vineam colendam accedunt. Et necesse est ut qui in pueritia vel adolescentia aut iuventute ad deum ~~trahuntur~~ tardant converti, saltem in senectute vel in decrepita etate convertantur et in vinee illius cultura incipiant laborare. Querat tamen unusquisque apud se si iam in vinea domini meruit laborare. Qui enim ea que sua sunt querit, nec dum in huius cultura vinee laborare cepit. Qui vero de salute sua et aliorum salute solliciti sunt, ita se ad dominice vinee culturam pervenisse demonstrant. Cum sero autem esset etc. usque operarios. Sero fine mundi significat. Dominus vinee deus pater intelligitur, qui et supra pater familias vocatur. Procurator autem vinee nullus melius quam dominus Ihesus Christus intelligitur, qui ad redemptionem nostram per carnem veniens in mundum predicatione et passione sua salutem sancte ecclesie procuravit. Qui in die iudicii ad reddendum singulis secundum opera sua adveniet, quia pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, et in iudicio non persona patris sed persona solummodo filii apparebit. Voca inquit operarios et redde usque primos. Isti operarii qui ad recipiendam mercedem vocari precipiuntur sunt omnes electi, qui in presenti vita bene operari et recte vivere student. Qui tunc vocabuntur ut recipiant mercedem operum suorum, cum in die magni iudicii per ministerium angelorum iubente domino de sepulchris suis excitabuntur, ut occurrant salvatori ad recipiendam mercedem operum suorum, sicut ipsa veritas in evangelio ait / Mittet filius hominis angelos suos cum tuba, et colliget electos eius a quatuor ventis celi. Merces autem ista quam operariis vinee domini vocatis reddit, ut prefati sumus, vita eterna est. Hoc est societas angelorum et cognicio ac contemplacio sancte trinitatis / Sed ipsa vita eterna, licet una sit, diversis tamen modis distribuitur / Multe sunt enim mansiones in domo patris mei dicit dominus / Et secundum quod unusquisque promeruit in presenti seculo, secundum hoc recipiet in futuro / Et quia electi diverso modo laborant in hac vinea / diversum est etiam premium quod recepturi sunt // Nam et stella ab stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum. A novissimis autem pater familias denarium reddere incipit, quia cum multi patres electi ante legem, multi sub lege fuissent, qui in ecclesia recte vivere studuerunt, nemo tamen illorum moriens regnum celeste ingredi potuit, usque ad salvatoris adventum / Hii qui in adventu Christi vocati sunt novissimi, mox carne soluti ad regnum sine aliqua tarditate pervenerunt. Eundem tamen denarium omnes acceperunt, quia unam vite eterne retribucionem sortiti sunt. Illi qui in fine mundi vocati sunt, cum hiis qui ab inicio seculi deo servierunt / Moraliter a novissimis denarius redditur, quia plerumque ante tarde conversi remanent. Diu prius de corpore exeunt / Erunt ergo / et cetera usque et cetera / Queri potest cur murmurasse dicti sunt, si qui denarium pro mercede acceperunt, cum regnum celorum nullus murmurans accipiat, nullus qui accipit murmurare possit. Sed quia antiqui patres, ut dictum est, quamvis iuste vixerint, tamen defuncti ad regnum minime transibant, usque quo Christus moriendo claustra paradisi aperiret, eorum quasi murmurasse est, quod recte vixerunt, et tam diu a percipiendo regno dilati sunt. Pondus autem diei et estus antiqui patres portaverunt, quia quo diucius in hoc mundo vixerunt, eo plurima carnis sue temptamenta toleraverunt / Sed quasi post murmuracionem denarium acceperunt, qui post longa inferni tempora ad gaudia regni pervenerunt / Quem denarium nos qui novissimi venimus post adventum salvatoris quasi sine murmuracione accepimus, quia mox ut corpore solvimur, eterne vite gaudiis donamur / At ille respondens uni

corum dicit. Amice. non facio tibi
iniuriam/ Iniuriam facere est quasi ius
id est contra legem aliquid agere
Ut si alicui auferas quod ei iure
debetur. iniuria est illi// Non inquit
facio tibi iniuriam. id est non tollo quod
tibi competit. sed volo huic denarium
dare sicut et tibi. Nonne ex denario
convenisti mecum. Quod est dicere.
Hec mecum nobis racio convenit ut pro
labore diurno denarium acciperes/
Tolle quod tuum est et vade// Iste amicus
allegorice qui talibus increpatur. potest
significare aliquem ex antiquis sanctis
tui dicitur// Nonne ex denario convenisti
mecum. id est recepisti mercedem quam
tibi si bene laborares repromiseram/
ymaginem scilicet et similitudinem meam
Volo autem et huic novissimo
dare. sicut et tibi. In hoc quod dicit
volo. ostendit quia percepcio regni
celestis. non nobis nostro merito. sed
bonitate voluntatis dei tribuitur.
Aut non licet michi quod volo facere.
Stulta questio hominis est. contra
dei benignitatem// Non enim tunc conquerendum esset si daret quod non de
beret. sed si non daret quod deberet/
Possumus per hanc murmuracionem quod
primi contra novissimos murmuraverunt
intelligere invidiam iudeorum qua
contra gentes post adventum domini
murmurabat/ eo quod nove de ydolatria ad deum conversi. eandem graciam
consequerentur. qua et iudei qui
semper deo se servisse iactitabant/

Murmurant enim ferebant iudei. gencium
salutem/ Quod illo loco possumus
approbare. ubi beatus petrus arguitur a fratribus quare introisset ad
viros prepucium habentes. et cornelium
cum domo sua baptizasset// Possumus
eciam quosdam apostolorum advertere. Hac
ergo gentiles ad tempus iudicii
laborasse cum in actibus apostolorum legimus.
quia pertransibant apostoli predicantes.
et nemini loquebantur verbum. nisi
solis iudeis/ Hac eciam de causa
paulus epistolam legitur scripsisse romanis qui constabant ex iudeis
et gentibus. quia iudei asserebant
plus ad se pertinere graciam evangelii.
et ad ipsos missum esse filium dei. sicut
ipse dicit/ non sum missus. nisi ad
oves que perierunt domus israhel/
Romani contra iudeos vituperabant. quod beneficiis divinis semper
fuissent ingrati. sibi quoque applaudebant. eo quod audita predicatione
evangelica. statim in filium dei crediderint/ Quem errorem beatus apostolus
scripta epistola maxime redarguit.
docens unum esse debere in christo. et
pro omnibus passum esse christum. Et ad
tendendum quod murmurantes dicunt.
portavimus pondus diei et estus/
Quid enim pondus diei et estus.
nisi circumcisionem. ocium sabbati. observacionem festivitatum. oblacionem
victimarum. nutrimentum ignis perpetui.
et cetera legis gravissima onera
appellant. in quibus ipsi cunctis

patro temporibus seruierunt/ Sed deus cui non sacrificia carnalia sed salus credencium et conuersio peccatorum placet. in ceteris quibus murmurantes populum increpat dicens An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum. Vere iudei oculum prauum et inuidum. id est nequam intencionem habuerunt. qui gencium saluti inuidentes prohibebant apostolos sicut in actibus eorum legitur ne gentibus uerbum dei loquerentur/ Dolebant non quasi plus uolentes accepisse quam gencium populum uidebant aliquid accepisse. Proprium siquidem est inuidorum ut quod alii uident additum sibi putant ablatum/ Unde merito de illis sequitur/ Sic erunt nouissimi primi. et primi nouissimi/ Quod est aperte dicere/ Iudei qui primi dei cognicionem habuerunt. de capite uertentur ad caudam. et gentes que nouissime crediderunt. de cauda mutabuntur in caput/ Multi autem sunt uocati/ et reliqua/ Multi sunt uocati ad fidem. sed pauci ex gentibus pauci perueniunt ad celestis regni habitacionem/ Et si enim omnes Christum confitentur uocibus non omnes tamen illum operibus imitantur/ Nam in grege domini sunt agni cum hedis. in area quoque grana cum paleis. Sed cum iudex uenerit separabit agnos ab hedis. grana a paleis. id est. bonos a malis iustos ab impiis. ut hos merito sue iniquitatis dampnet. illos sua gracia meritum remuneret/ Similitudine istius parabole innuit nobis dominus. quod gentilis populus a quo nos sumus. in ultima etate seculi de ydolatria ad fidem conuersus. eandem graciam consequitur. quam et illi sancti qui ab inicio mundi iuste uiuentes fideliter deo seruierunt/ Illi enim quamuis iuste uixerint usque ad exitum uite. tamen morientes non statim ad celestem beatitudinem. sed ad loca infernalia descendebant licet tranquilliora/ Nos autem mox ut de corpore exiuimus. si iuste in presenti uita conuersati fuerimus. statim uite eterne gaudiis sine dilacione donamur/ Mittet inquit filius hominis angelos suos cum tuba/ Qualis putatis erit ista tuba/ Nunquid quale concrepare solent uenatores in saltibus/ Non. Sed maxima et terribilis uox angelorum appellatur tuba. Et que erit ista uox/ Adueniente domino ad iudicium. uox angelica proclamabit O mortui qui iacetis in sepulchris surgite et occurrite saluatori uestro Ista uox appellatur tuba/ Hac personante. omnes mortui resurgent et obuiam Christo in aera properabunt quia iudicium domini non in terra sed in aere agitabitur/ Voca inquit operarios

a paleas. id est bon
iustos ab impiis
sue iniquitatis dam
sua gratia meruit
litudine istius parab
nobis dominus. quod
sumus in ultima
latria ad fidem con
gratiam consequi
qui ab initio mundi
fideliter deo servier
ius iuste vixerint
vite. tamen morie
ad celestem beatitudi
infernalia descend
quillorum. Has aut
pe communis. si iuste
conversati fuerint
gaudiis sine dilatione
expectet inquit filius
suos cum tuba. Quali
ista tuba. Numquid qu
solent venatores
Sed maxima et terrib
gelorum appellatur tuba
ista vox. Ad vocem
Deum vox angelorum
O mortui qui iace
surgite et occurrite
Ista vox appellatur tuba
nanti. omnes mortui
obviam Christo
iudicium domini
agitabitur. Sed tamen

et reddet illis mercedem. Qualis putas erit ista merces? Numquid aurum? numquid argentum? Non. Sed visio atque contemplatio sancte trinitatis erit merces atque remuneratio electorum. Tunc namque videbunt clare qualis sit pater, qualis filius, qualis spiritus sanctus. Quomodo pater a nullo sit, quomodo filius a patre procedit, quomodo spiritus sanctus a patre simul et filio. Tunc videbunt, hoc est tunc intellegent, quomodo pater sit ingenitus, filius genitus, spiritus sanctus neque genitus neque ingenitus, sed ab utroque procedens. Et ista visio atque contemplatio sancte trinitatis erit gloria atque remuneratio electorum. Quam desiderans videre psalmista ait: Saciabor cum manifestabitur gloria tua. Ad quam contemplandam ut felices quoque pertingere mereamur, studeamus in vinea patris familias, hoc est in presenti ecclesia, bene operari et recte vivere, ipso procuratore atque remuneratore domino nostro Ihesu Christo et adiuvante qui vivit

Cum turba plurima conveniret et de civitatibus, et cetera usque semen suum

Quod utique in sancto evangelio turbe vocabulum interseritur, sicut diversitas hominum, ita etiam diversitas voluntatum intimatur. Multi enim Christum non semper una de causa sequebantur. Quidam enim sola cupiditate audiendi predicantis, nonnulli ut viderent signa que faciebat, quibus remeantes domum possent dicere: Quia vidimus mirabilia hodie. Plerique ut reficerentur, plurimi ut sanarentur, non pauci ut eum possent reprehendere, sicut scribe et pharisei. Quibus omnibus dominus Ihesus larga beneficia et in docendo et malendo et sanando liberaliter conferebat. Dixit eis similitudinem, hoc est parabolam. Quam idcirco per semetipsum exponere dignatus est, ut ostenderet et verba et parabolas suas divinis misteriis esse gravidissimas. Simul etiam ut nobis innueret, quibus non solum verba evangelii, sed etiam dicta prophetarum mistica studeamus intellegencia prosequi. Exposuit igitur quid esset semen, quid quod secus viam cecidit, satorem tamen nobis querendum reliquit. Quem nullum aptius quam ipsum mediatorem intellegere/accipere possumus. Ipse ergo de sinu patris exivit et humanis se optutibus presentavit, ut alibi dicit: Exivi a patre et veni in mundum. Si enim queras naturam divinitatis, totus ubique est. Sed qui in sua divinitate videri non poterat, carnem induit et mortalibus se videndum exhibuit. Per hoc enim exisse dicitur, per quod alibi patrem reliquisse memoratur. Reliquit enim patrem, non quia ab eo loco vel tempore separatus fuit, sed quia non mea forma qua equalis est patri nobis apparuit. Unde et secundum matheum hanc parabolam dicturus. de domo exiit. ad mare venit. navim conscendit. et evangelium predicavit. quod ad idem misterium pertinet / Domum namque exiit. quia de celis descendit. Sicut enim mundus est domus hominum. sic celum domus angelorum / Mare adiit. quia presens seculum incarnatus intravit / Navim conscendit et evangelium predicavit. Quia in cordibus fidelium suorum grata sibi habitaculum constituit. et ea doctrina evangelica illustravit / Et dum seminat. aliud cecidit secus viam et cetera / Via cor infidelium. Viatores. pravas cogitaciones / Volucres celi significant demones. qui celestes et aerie dicuntur nature // Nam et aer iste nonnumquam celum vocatur / Unde et aves celi dicimus. quas per aera volitare videmus // In via si semen iacitur. et a transeuntibus conculcatur. et a volucribus rapitur / Item via gressibus commeancium conculcatur. sic corda iniquorum hominum. terrenis cupiditatibus. pravisque cogitacionibus. ac demoniacis temptacionibus multipliciter atteruntur / Et crebro contingit. ut mens verbum dei audiat. sed nec ad fructum producat. aut pravis cogitacionibus conculcetur. aut a malignis spiritibus tollitur. ut saltem nec in memoria teneat. quod in opere exercere neglexit /

Et aliud cecidit super petram et cetera usque humore / Per petram intelligitur durum et impenetrabile cor. ubi non est altitudo terre / id est studium discipline. Quod etiam paulus in epistola sua. impenitens cor appellat / Sed semen quod super petram cecidit. natum aruit. quia non habebat humorem. vel ut alius evangelista dicit. non habebat multam terram / Quia cum duris cordibus verbi dei semen committitur. idcirco ad fructificationem non pervenit. quia in radice perseverancie non consistit. Tales enim ad tempus credunt. et in tempore temptacionis recedunt / Alius evangelista dicit. Sole autem orto estuavit / Sol autem varias habet significaciones / Designat enim dominum ihesum ut est illud. Vobis timentibus nomen meum. orietur sol iusticie / Significat electos. ut alibi. Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum / Designat persecucionem. ut sponsa in canticis loquitur / Quia decoloravit me sol / Secundum hunc sensum et in hoc loco solem debere intelligi ostendit dominus. cum exponens parabolam dicit. Facta autem persecucione. continuo scandalizantur propter verbum / Et aliud cecidit in terram bonam. et cetera / usque centuplum /

Terram bonam in hoc loco debemus accipere mite cor et docile. et ad ſuſcipiendu ſeme diuini uerbi paratiſſimu/ Qz ſemen in t'ram bonam iactatu fructu centuplu reddit. quia uerbu dei du huilibus quibuſqz p'dicatu fuerit. cu pfecta bonoz ~~bono~~ operu plenitudine excreſcit/ Deniqz centenarius nu'us apud calculatores pfectiſſim' habet. et in ſacra ſcriptura ſemp p pfectione ponit'. ut eſt illud quod dns de mundi contemptoribus ait/ Omis qui relinquit domu/ et rel'/ uſqz centuplum accipiet. et uita et'na poſſidebit/ Quid eſt em centuplum accipiet. niſi qz contemptores mundi in pnti ſclo pfectione tale mes accipiunt. ut non uelint repetere ulterius qud dimiſerit. et in futuro ſclo. loco mercedis uita conſequnt' et'nam/ Hec dicens clamabat/ Q' habet aures audiendi audiat/ Omes quide qui illic cora dno aſtabant. aures corporis habebant/ Sed dicendo qui h't aures audiendi audiat. deſignat ſe aures ſpuales requirere. que nichil aliud ſut. niſi intellegecia mentis/ Ait ergo Qui habet aures audiendi audiat. hoc eſt q' habet intellcm capiendi uerbu dei. ſpuale in uerbis meis intellegencia animi adhibeat/ Qua admonitiuncula quociens uel dns in euangelio uel iohannes in apocalipſi ſubiungit. ea que dicunt' ſpualit' intelligi debere denunciat

Interrogauerunt aut eu diſcipli et rel' uſqz pabola/ Non mox finita pabola eu interrogaſſe putandi ſt. ſ regreſſo illo domo. ut alius euangeliſta aperit. ſenſu iſtius pabole requirebant/ Moralit' qd inſtruim'. ut ſi ulloz diuinoz intellegencia aſſequi cupim'. ſi poſitis t'renoz tumultuu curis. domu dei. id eſt occulta diuine ſcripture penetralia orando ingredi et meditando intremus. dicentes cu pſalmiſta. Reuela oclos meos/ et rel'/ Quibus ipe dixit/ Uobis datu eſt noſſe miſteriu/ et cet'/ Miſteriu regni dei. intellegencia ſcripturaz appellat. De quo regno dei. alibi iudeis dicit'. Auferet' a uob' regnu dei. Et q're hoc miſteriu regni dei apliis noſſe datu e/ pfecto qz fideles erant. et dnm ihm xpm dm in homine uenerabant'. digni poci quibus ſecreta ſcripturaz intellegecia panderet'/ At cont'a ſcribe et phariſei increduli et calumniatores ueritatis. tanto minus indigni erat/ Sed oportebat in eis impleri. qd aplus alibi pcipit'. Nolite ſcm dare canib' neqz margaritas uras mittatis ante porcos ne forte conculcent eas pedibus ſuis et conuſi diſrumpant uos/ De quibus et ſequit' Ut uidentes no uideant. et audientes no intellegant/ Uidentes et audientes hoc loco doctores iudeoz ſcribe et phariſei appel lant non quod audientes et videntes erant, sed quia hoc se mendaciter estimabant. Videntes igitur non viderunt, et audientes non intellexerunt, quia merito sue perversitatis adeo excecati sunt ut neque parabolas domini intelligerent neque miracula illius digne perpendendo considerarent. Quid ergo offenderunt in hoc quod non crediderunt qui nec crederent excecati sunt? Qui enim illi non crediderunt, non videtur culpa esse eorum, quia ideo excecati sunt ut gentes illuminarentur. Sed sciendum hanc etiam cecitatem iusto dei iudicio exigente eorum nequicia precessisse. Ut dum in illum non crederent, fide illius postposita eum crucifigerent, ac deinde magnitudine sceleris sui exterriti peniterent, et in Christum postea firmius crederent, impleta prophetia que dicit: Imple facies eorum ignominia et querent nomen tuum domine. Tanta enim eorum erat superbia ut non aliter se recognoscerent neque humiliarent, donec in ipsum celi et terre creatorem manus immitterent. Sed dum hanc questionem soluisse videmur, iterum nobis alia soluenda proponitur, quid sit videlicet quod in scriptura scriptum est: Excecat cor populi huius etc. usque ne quando convertantur et sanem eos. Sed hoc de illis dictum est qui increduli permanserunt et libero arbitrio permissi sunt in impenitencia perdurare, qui etiam persecutorem excitaverunt in apostolos. Est autem hec parabola, et reliqua usque non refert fructum. Spine sicut dominus dignatus est exponere divicie hoc loco vocantur. Et hoc mirum est cum ille pungant, iste delectant. Veruntamen divicie possessoribus suis spine sunt, quia curarum aculeis eorum mentes confodiunt. Nam antequam habeant cum summa aviditate querunt, postquam vero habite fuerint, multa cum sollicitudine custodiuntur ne pereant. Quas dominus secundum alium evangelistam non absolute divicias, sed cum epicheto fallaces divicias appellat. Vere enim fallaces sunt, quia nobiscum diu permanere non possunt. Fallaces sunt, quia mentis nostre inopiam non expellunt. Sollicitudo autem que divicijs iungitur cura superflua dicitur. Semen ergo quod in spinis cecidit sollicitudines et divicie suffocant, quia sunt multi peccatis impedientibus, qui et verbum dei cum desiderio audiunt, et tamen transeunte hora statim obliviscuntur. Audientes disputare contra avariciam pronunciant beatos esse illius contemptores. Rursum audientes districte adversus luxuriam fatentur felices esse homines castos. Sed ubi species concupiscibiles corporalibus se presentaverint, mox discedit ab eis quidquid recte cogitaverat. Quod autem in bonam terram, et reliqua.

Bona terram. bonos designat auditores. Bona igitur terra id est boni auditores. qui verba dei audire satagunt. et postquam intellexerint. impendere memorie recommendant. ac sic oportuno tempore fructum bone operationis proferunt. Sed quod magis dolendum est. multi etiam nostris temporibus inveniuntur. qui verbum divinum et sciunt et intelligunt. et tamen operari contempnunt. Hii sine dubio non sunt a domino coronandi. sed potius perpetuis cruciatibus cum servo inutili miserabiliter deputandi. Sed bona terra quamvis continuo faciat audientibus dissimiliter ut alius evangelista dicit. fructum. aliud tricesimum. aliud sexagesimum. et aliud centesimum. Tricesimus fructus nuptie ad coniugatos refertur. qui licet uxoris vinculis occupati et secularibus sint negociis dediti. tamen se deo peragente quantum possunt sanctis operum virtutibus operationibus insistunt. elemosinas pauperibus largiuntur. nudos vestiunt. consolantur tristes. et per huiusmodi sancta opera a fructu quem bona terra profert non deputari immunes. Quod autem tricenarius numerus coniugatis conveniat. testatur ipsa digitorum inflexio. quasi molli osculo se complectens. et tamquam federis quoddam exprimens. maritum depingit et coniugem. Sexagenarius numerus ad eos pertinet qui post publicam et apertam coniugia continentie student. atque in castitate deo servientes. mala que se commisisse recolunt. digna penitencia deplangunt. Centenarius vero illos respicit. qui mente utrumque semper corporis integritatem custodiunt. Unde et idem numerus digitorum inflexione formatus. quandam corone imaginem exprimit. illam remunerationem significans. que sanctis virginibus dabitur. quando cantabunt canticum novum. sequentes agnum quocumque ierit. Hoc ergo verbum dei et in coniugatis. et in viduis vel continentibus. ac virginibus secundum conversationis puritatem. quasi bona terra fructum tricesimum. sexagesimum. atque centesimum producit. Possumus quoque per tricesimum fructum fidem sancte trinitatis accipere. per sexagesimum vero perfectionem sancte operationis. per centenarium autem remunerationem patrie celestis. Hanc consequentur felicitatem. que dabitur omnibus qui in presenti et in fide et opere studuerint esse perfecti. prestante domino nostro ihesu christo.

Assumpsit ihesus duodecim discipulos suos. Et reliqua. usque homine.

Iherosolima civitas fuit in

tribu iuda que alio nomine vocatur iherusalem in cuius eminentiori parte constructum erat templum famosissimum a rege salomone. Ad quam civitatem dominus venturus cum discipulis recte se dicit ascensurum. Quam quoque ad hanc properare vellet quia in monte sita erat necesse erat ut illuc ascendendo perveniret. et ideo ait. ecce ascendimus iherosolimam et cetera. Hoc nomine quod est filius hominis frequenter se dominus ihesus christus appellare solitus erat. Ipse namque filius hominis erat hoc est filius marie que illum sine commixtione viri genuit cooperante spiritu sancto. Tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur. Verbo dominus discipulis suis et penam passionis et gloriam sue resurrectionis prenunciabat ut ad temptationem eos prepararet ne cum venisset persecutio crucis et ignominia quasi minus premoniti scandalizarentur. Prenoscebat etiam in ecclesia futuros hereticos qui dicerent alium esse deum veteris testamenti alium novi. et ideo dicebat. Consummabuntur omnia que scripta sunt per prophetas de filio hominis. In quibus verbis satis ostendit non alium esse deum veteris testamenti atque alium novi dum ea que prophete scripserunt in sua passione et resurrectione consummanda et perficienda esse denunciat. Que autem esset passurus subiectis verbis exponit dicens. Tradetur enim gentibus et cetera. Gentilis enim erat pilatus cui a iudeis traditus est. Gentiles et milites qui eum crucifixerunt. Illusus etiam fuit quando faciem illius velaverunt et caput eius harundine percusserunt flexoque genu dicebant Ave rex iudeorum. Flagellatus quoque est dicente pilato iudeis. castigatum ergo dimittam eum. Quod etiam columna illa cui alligatus est testatur que hodieque iherosolimis sanguine christi madefacta permanere asseritur. Conspuerunt quoque illum impleta prophetia que dicit. Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. Et postquam flagellaverint eum. Iuxta consuetudinem scripture divine iterum de se dominus loquitur tamquam de alia qualibet persona. Dicit namque. Postquam flagellaverint eum occident eum id est occident me. Et die tertia resurget. Semper dominus more scripturis usitatissimo adversis leticia adiungit. Unde et cum se passurum prenunciasset mox etiam consolationem sue resurrectionis intulit ut qui visuri erant morientem non dubitarent resurrecturum. Et ipsi nichil horum intellexerunt. quod dicebant et filij

In euangelio secundum iohannem legimus quia cum dixisset dominus, si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum, iudei protinus responderunt, Nos audiuimus ex lege quia christus manet in eternum. et quomodo tu dicis. oportet exaltari filium hominis. Quid est quod apostoli non intellegebant ea que dominus euidenter tam de sua passione proferebat. et iudei eciam ipsa adhuc tam obscure ab eo posita ut euangelista illud exposicione dignum duceret dicens, Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus statim intellexerunt quod in cruce exaltandus sit et predicit Ad hoc dicendum est. quia discipuli qui dominum ihesum christum deum in homine uenerabantur ideo ea que de sua passione dicebat intellegere non poterant, quia cuius uitam semper desiderabant. eius mortem audire et animaduertere nolebant Siue ideo non intellegebant. quia putabant illum per parabolas talia loqui. sicut eum loquentem sepe audire consueuerant At contra iudei qui iam in necem eius conspirauerant. et quod ille de sua morte loquebatur sunt in opere implere sciebant. quidquid de sua passione dixisset mox tanquam premeditati et suspecti intellegebant, ~~M~~iroque modo quod iudeis manifestabat impietas. hoc apostolis pietas abscondebat, Factum est cum appropinquaret iericho, Hoc miraculum iuxta litteram manifestum est. nec aliqua indiget exposicione, Veniens ergo dominus de galilea in ierusalem habuit in itinere ciuitatem iericho. cui cum appropinquaret. in presencia discipulorum cecum istum illuminauit. ut qui uerbis illius fidem non accomodauerant. saltem uiso miraculo crederent, Predixerat namque dominus discipulis ut audiuimus. tradendum se esse gentibus et conspuendum. et flagellandum. et crucifigendum. ac die tercia a mortuis resurrecturum. Sed quoniam illi intelligere non poterant quod ab illo audiebant. uentum est ad hoc miraculum, Tanquam diceret, Sicut uerum est quod hominem cecum cernitis a me illuminatum. ita credite omnia uera esse que de mea passione uobis predixi, Et sicut iste corporaliter est illuminatus per me. ita genus humanum hoc est homines qui tenebris infidelitatis sunt excecati. cognoscite spiritualiter illuminandos per meam passionem atque resurrectionem. Ecce audiuimus miraculum ceci illuminati, Sed miracula saluatoris nostri sic accipienda sunt. ut et in ueritate credantur facta. et tamen per significacionem nobis aliquid innuant. Cecus ergo iste a domino illuminatus, allegorice genus humanum designat. quod ignorancie cecitate et tenebras passum est. postquam in adam superne claritatis scienciam amisit. Uerum enim lumen tam

Dum homo in paradiso positus habuit quamdiu in divine contemplacionis claritate superius spiritibus mente sociatus permansit. At ubi serpentis persuasione victus contra dei preceptum pomum de interdicta arbore rapuit, in ipsa mox precepti prevaricacione cecatus superne claritatis id est divine cognicionis luce transgressor amisit, atque ideo oculi eorum exteriores aperti statim post peccatum invicem concupiscenciam prospexerunt, quia interiores illorum oculi diabolo excecati iam ab intime contemplacionis luce caligaverant. Que cecitas id est infidelitas et peccatum ab ipso primo parente in omne genus humanum transfusa est. Iherecho autem que luna interpretatur defectum nostre mortalitatis significat. Et pulchre ihesu iherecho appropinquante cecus illuminatur, quia dum divinitas verbi dei defectum nostre carnis suscepit, per passionem ipsius et per sacri baptismi ablucionem genus humanum lumen quod in primo parente amiserat recipere meruit. Bene autem cecus et iuxta viam sedisse et mendicasse dicitur. Via enim ipse est qui dicit, ego sum via. Unde enim christus recte via dicitur, quia per ipsum, hoc est per annunciacionem ewangelii sui atque apostolorum predicacionem, omnes fideles cottidie ad celestem patriam transeunt. Cecus autem est quicumque eternitatis lumine caret, id est qui deo fide et operibus non adheret. Hec enim cecitas non corporaliter sed spiritaliter est intellegenda. Cecitas enim est ignorancia, peccatum, infidelitas. Qui recte cecitas vocatur, quia quamquam per fidem qua illuminatus est in baptismo nec dum ad dulcedinem cognicionis christi bene operando pervenire studuit, sed adhuc in tenebris peccatorum remanet, ipse nec creatorem suum videre et intelligere possit, oculos mentis clausos habet. Tunc autem homo incipit illuminari cum per baptismum inchoat spiritaliter renasci. Cum vero fidem quam credendo accepit bonis operibus exornare studet, tunc cognoscendo deum mente et corde perfecte illuminatur. Qui ergo in christum credit, nondum minus est, sed iuxta fidem sedet. Hoc est christo per fidem iam bonus consistit. Sed si iam credit et hoc assidue rogat ut lumen eternum id est claritatem angelorum quam in adam perdidit recipiat, cecus quidem est et iuxta viam sedet. Sed nimirum non mendicat, id est iam in christum credit et tamen pro adipiscenda salute eterna petere desistit. Qui autem et credit et pro vita eterna exorat et iuxta viam sedet cecus et mendicat, quia et fidem iam habet et desiderio superne claritatis suspirat. Et clamavit et cetera usque miserere mei. Morabit turba que dum precedens cecum increpabat ut taceret, significat cogitaciones car

nales et tumultus viciorum cu-
rarumque carnalium. Que plerumque
dum ad deum conuersi, pretendendo
exorando cupimus intencionem
mentis occurrunt et oraciones
nostras ne exaudiri valeamus
perturbando impediunt. Sed cum in
orando talia fantasmata patimur
tunc ad exemplum huius ceci magis
preces multiplicare debemus donec
impetremus quod petimus. Unde sequitur
Stans autem Ihesus iussit cecum ad-
duci ad se. Notandum quod dominus tran-
siens cecum audiuit, sed stans illumi-
nauit. tamdiu enim nobis transire
videtur quamdiu turbas viciorum nobis
permittit obsistere. Sed cum oracioni
vehementer insistimus, et illa viciorum
fantasmata ulterius orando su-
peramus, stat dominus et lucem resti-
tuit, id est presenciam sue consolaci-
onis nobis adhibet, et lumine super-
ne contemplacionis infundit.
Et cum appropinquasset ihericho, et
reliqua usque videam. Constat veraciter
quod dominus qui cecum illuminare valebat,
quid cecus vellet, ipso eciam tacente
nouerat. Sed dum illum quod vellet
interrogat, nos utique ad orandum
inuitat, ut studeamus ab ipso
petere. licet ipse nouit quod sit quod
cupimus impetrare. Sed ex responsi-
one ceci agnouimus, quid petere de-
beamus. Ait enim. Domine ut videam.
Cecus enim non aurum petijt, non aliquid
preter lucem deposcit. quia et si
cecus aliquid habere poterat, non
tamen ipsum quod haberet videre
valebat. Sed et nos huius exemplo
informati discamus non lucra terrena,
non fugitiuos honores querere,
sed lucem, non hanc que nobis cum
iumentalibus communis est, verum
illam qua cum solis angelis perfru-
amur exoptare. Et Ihesus dixit illi.
Respice, fides tua te saluum fecit.
et cetera usque magnificans deum.
Sciendum est quia illa fides sol-
ummodo saluat, que non verborum
strepitu, sed operum execucione ador-
natur. Et notandum quod alius ewan-
gelista hunc cecum bartimeta sua
processisse. et sic dominum secutum esse
commemorat. Quia nimirum necesse
est ut amorem et impedimenta rerum
transeuncium deserat, quisquis xpm
perfecte sequi desiderat. Sequi autem
illum est imitari. Unde ipse dicit.
Si quis michi ministrat, me sequatur.
Et omnis plebs ut vidit, dedit
laudem deo. Ex hoc loco datur
intelligi, quia bona nostra conuersacio
non solum nobis proficit, sed eciam proxi-
mos ad laudem dei accendit.
Unde et dominus alibi precepit. Sic
luceat lux vestra coram hominibus.
ut videant opera vestra bona et
glorificent patrem vestrum qui in
celis est

um ieiunatis nolite fieri
sicut ypocrite tristes et
reliqua

um ieiunatis. non solum a cibo
et potu. sed eciam ab omnibus vicijs

et rapina, ab ebrietate et ceteris viciis. Nolite fieri sicut ypocrite tristes. Ypocrita grece, latine dicitur deauratus, qui extrinsecus pretendit sanctitatem, cum intrinsecus plenus sit iniquitate. Tales erant scribe et pharisei in populo iudeorum, qui quando ieiunabant ostendebant se tristes in vultu ut viderentur sancti a populo. Exterminant enim facies suas. Exterminare proprie dicitur extra terminos patrie duci, sicut Pylatus et Archelaus, quorum prius missus est in viennam, scilicet pilatus, alter lugdunum, scilicet archelaus, qui possunt dici exterminati, id est extra terminum habitacionis sue eiectum solum. Sed hic exterminare positum est pro demoliri. Demoliuntur enim facies, id est dissimulant, preferentes tristiciam in facie, cum leticiam habeant in mente et in corde, ut laudentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, id est non dei mercedem, sed laudem humanam quesierunt. Tu autem cum ieiunas unge oleo caput tuum. Oleum posuit pro odorifero unguento quod conficitur ex oleo. More palestinorum loquitur hic dominus, qui quando celebrant festivitates ungebant capita sua, ut ostenderent se festivos esse. Secundum hanc consuetudinem debemus nos facere mistice. Spiritualiter per oleum designatur misericordia, per caput mens. Manifestat hoc Salemon cum dicit: et oleum de capite tuo non deficiat. Oleum tamen ponitur in mala parte, ut ibi: oleum peccatoris non impinguet caput meum. Cum ergo ieiunas unge oleo caput, id est misericordiam habeto in mente, ut dimittas alii quod in te peccavit, et quod tibi subtrahis pauperi conferre non deneges, ut unde caro tua affligitur, inde caro pauperis restauretur. Et faciem tuam lava, id est interiora cordis tui, ne videaris hominibus ieiunans, et pater tuus qui videt in abscondito, id est in secreto cordis tui intencionem tuam rectam, reddat tibi mercedem. Deus enim omnibus intuetur cor hominis, qua mente ieiunet, qua intencione elemosinam faciat, et vitam eternam petat, unde scriptum est: Homo videt in facie, deus autem intuetur cor. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi erugo et tinea demolitur. Aliud est eruca et aliud erugo. Eruca vermicula est horti, erugo vero est rubigo. Et ubi fures effodiunt et furantur. Omne genus avaricie condempnatur hic. Erugo perdit omnia metalla: aurum offuscat, ferrum perdit, et cetera metallorum demolitur, id est devastat. Tinea ex vestimento nascitur et iterum ipsum vestimentum consumit. Spiritualiter per eruginem designatur superbia. Sicut erugo dissipat omnia metalla, sic superbia dissipat omnia bona, quia omnibus superbus inimicus est. Tinea significat invidiam. Sicut tinea ipsum a quo nascitur consumit . sic inuidia ipm hoiez cruciat a quo orit' unde illud poete. Iustius inuidia, nichil que primus ipm auctore redit et excruciatq animu. Dicis inde habere mercede ubi no laborasti. Sic de alterius pfectu . quasi de tuo gaudi. Sunt namq qui de alterius felicitate torquent' et dolent. Hij sunt inuidissimes intelligunt' demones . qui oma bona ura auferre amant. Verbi gra / Es castus ipe uult tibi auferre castitate . et face luxuriosu / Sic et de ceteris est sentiendu / Thesaurizate uobis thesauros i celo / ubi nec erugo nec tinea demolit' / Quomo possum9 thesaurizare in celo qui sumus in tra positi9 / Verbi gra / Facias elemosina / Elimosina namq paupi datur in tra . et a xpo recipit in celo / Hoc namq dicturus erit . quod uni ex minimis meis fecistis m fecistis / Vbi / id e in celo . No est erugo id e supbia . Nec tinea i . inuidia . neq fures . id e demones / Vbi est thesaurus tuus . ubi e et cor tuu . Si in celu thesaurizaueris . bonu faciendo in celo erit cor tuu . i . intencio cordis tui / Si aut in tra thesaurizaueris no expendendo diuicias tuas . in pauperes . ubi est thesaurus tuus ibi est et cor tuu / Et no solu e hoc in pecunia . s3 etiam in luxuria et ingulositate . Qui luxuriosus est . in luxuria est cor eius . Et qui gulosus est . Deus illi uent' est /

Audistis quia dictu est antiquis iudeis in lege . Diliges amicu tuu i . consanguineu tuu / Inimicu diliges . et odies inimicu tuu / Hoc preceptu conseruabat dauid . cu omnes gentiles qui in circuitu sunt erant . obpugnaret / Ego aut nouus homo . noua pcepta do uobis . Diligite inimicos uros . benefacite his qui uos oderut . et orate p psequentibus et calumpniantib9 uos / id est p hijs qui falso uos accusant . et iniuste opprimunt . Quare facietis hoc . ut sitis filij patris uri qui in celis est . p adopcione / Qui deus pater . cui deus ihus xpus filius est . sole suu oriri facit sup bonos et malos / Sicut cale facit sol oriente et bonu . sic cale facit incredulu et malu . Et pluit sup iustos et iniustos . Sicut pluit sup terra xpianorum iustorum . sic sup terra iudeorum infideliu / Et salutantib eos . id e si salutem optantib uel temporalem uel eterna . nonne ethnici id est gentiles hoc faciunt / Ethnos grece / latine gens . Inde ethnicus . gentilis dicit' / Et gentilis dr / qui ita permanet ut genitus est / Estote pfecti . sicut et pr uir celestis e / Ad similitudine eius pfecti estote / Sicut in ipa sua natura p fectus est. qui solem suum oriri facit super bonos et malos. ita et vos secundum possibilitatem vestram perfecti estote. ut et amicos diligatis in deo. et inimicos propter deum. et omnibus sive bonis sive malis opera misericordie impendatis. Attendite id est cavete. ne iusticiam vestram. id est iusticie opera per que iustificatur homo. que sunt ieiunia. elemosina. castitas. oracio. coram hominibus faciatis. ut ab eis queratis laudem. Alioquin. i. si aliter feceritis quam precipio. mercedem non habebitis. Cum ergo facis elemosinam noli tuba canere ante te. Hoc faciebant scribe et pharisei diebus festis. ut et laudem humanam reciperent ab hominibus et mundi terrena/ sicut ypocrite qui coram hominibus ostendunt sanctitatem tamen in cordis secreto pleni sunt malicia et iniquitate/ Te autem faciente elemosinam. ne sciat sinistra tua/ et cetera/ Sinistra hic appellatur delectatio laudis humane. Dextera bona intencio et voluntas implendi precepta dei/ Que precepta/ Facite vobis amicos pauperes de mamona iniquitatis. ut cum defeceritis recipiant vos in eterna tabernacula/ Si propter hoc agis elemosinam in eterna tabernacula recipiaris/ Nesciat sinistra tua. id est delectacio carnalis. ut pro bono quod agis queras laudem humanam. Ut sit elemosina tua in abscondito. id est in secreto cordis tui/ ut non queras extrinsecus laudem/ Et pater tuus qui te creavit. qui tibi preceptum recte vivendi contulit qui videt in abscondito voluntatem tuam rectam/ reddet tibi mercedem eternam

Dn̄ica



baptismo
Johanne
dignatu
ꝯbaptiza
a diabol
unḡ cu
nobis in
p⁹ prepa
ꝯsentab
qr atq̄
[illegible]
nt; sp
est sta
It. Dn̄
omnes
talib h
temptat
p⁹ bapti
diaboli s
mus. S
in desert
dendu c
a sco s
eū cu m
candu m
licas obe
cū diar
sancto ro
agebatur
undique
[illegible] quod
est omi m
qm sap

Sexto capitulo

Dominica prima quadragesime. secundum Matheum.

Ductus est ihesus in desertum a spiritu et reliqua.

Exposito baptismate salvatoris quo a beato Johanne aquis iordanicis tingui dignatus est, consequenter sancti evangeliste temptationem illius quam a diabolo pertulit in deserto subiungere curaverunt. Hoc facto occulte nobis innuentes, quatinus fideles post perceptionem baptismatis mox ad spiritualem miliciam debeant accingi. atque relinquere tumultus secularium hominum, et in deserto istius vite, spiritale manna esurire. hoc est sola eterne vite gaudia desiderare. Quod autem ipse per spacium triginta annorum, antequam baptizaretur, temptatus non est. baptisatus autem statim temptatus est. illud ostendit quod post baptismum maiores temptationes diaboli sustinemus, quam ante baptismum. Si autem queritur a quo spiritu dominus in desertum ductus credatur, respondendum est iuxta fidem doctorum. quod a sancto spiritu illuc ductus fuerit. ubi eum malignus spiritus ad temptandum invenire potuisset. Hoc enim lucas evangelista evidentius ostendit. cum dicit. Ihesus autem plenus spiritu sancto regressus est a iordane et agebatur a spiritu in deserto. Nec indignum videri debet redemptori nostro, quod se a diabolo qui caput est omnium iniquorum temptari permisit. qui se a pylato et ceteris membris illius occidi passus est. Ut temptaretur a diabolo. Temptatio tribus modis agitur. suggestione diaboli, delectatione carnis, consensu spiritus. Et nos qui puri homines sumus, his tribus modis in nostris temptationibus superamur. Christus vero qui deus et homo fuit, et si temptari per suggestionem potuit, tamen peccati delectatio mentem illius non momordit, ac per hoc omnis illa temptatio non interius sed exterius fuit. Et cum ieiunasset xl diebus, et xl noctibus. Ieiunium quadragesimale magna auctoritate a lege et prophetis sancitum est et ab evangelio. Nam moyses legislator ſtlo xl diebus ieiunavit. Helias maximus prophetarum totidem diebus ab omni cibo carnali abstinuit. Christus vero dominus legis et prophetarum, ut ostenderet evangelium non discrepare a lege et prophetis, xl diebus ieiunium extendit. Item quadragenarius numerus rectissime huic ieiunio coaptatur. Significat enim omnem laborem presentis vite. in qua generale ieiunium nos semper continuare oportet. Est autem generale ieiunium. sic abstinere a cibis. ut abstineamus etiam ab omnibus viciorum illecebris. Quamvis de isto numero summa possit adhuc secundum doctores multipliciter dici. Constat namque ex quaternario et denario. Denarius enim quater ductus, in quadraginta surgit. Quatuor autem sunt evangelia et decem legis precepta. Que precepta decem tunc recte tenemus, si doctrina quatuor evangeliorum veraciter custodimus. Aliter quaternarius numerus refertur ad quatuor notissima corporis elementa, que sunt terra, aqua, ignis et aer. His enim constat, et ab aere quidem flatum, a terra corpus, ab igne calorem, ab aqua habemus humorem. Denarius vero ut predictum est ad decem legis precepta pertinet, que sepe per corpus quod quatuor elementis constat transgredimur. Consequens ergo est ut qui per corpus legis mandata contempsimus, ipsum corpus quater decies, hoc est quadraginta dierum abstinencia affligamus. Videndum est adhuc aliud. Precepit deus in lege populo israhelitico ut decimas omnium rerum suarum ad templum illius deferrent. Sed quia nobis dominus dicit: Nisi abundaverit iusticia vestra plus quam scribarum et phariseorum, non intrabitis in regnum celorum. Dignum profecto est, ut sicut illi omnipotenti deo dabant decimas exteriorum rerum, sic et nos iusticiam nostram amplificantes addamus illi decimas dierum. Quod tunc recte facimus, si quod per totum annum negligenter deprimus, his diebus sanctis flendo ac penitendo diluere curamus. Nam cum annus trecentis .lxv. diebus constet, si de trecentis sexaginta tollimus xxxvi totius anni decimas in prefato numero invenimus. Ab initio namque quadragesime usque ad paschalis diei sollempnitatem xl dies computantur, subtractis vero sex diebus dominicis, quibus ieiunium relaxatur, xxx et vi dies tantum in abstinencia permanent, quos decimas esse anni nemo est qui dubitet. Quod vero cum premisisset evangelista ieiunasse dominum xl diebus, addidit et xl noctibus. Hec racio est, ne quis videlicet arbitretur dominum diebus ieiunasse et noctibus refectione corporis indulsisse. Postea esuriit. Nichil tale de moyse et helia ieiunantibus refertur, quod scilicet peracto ieiunio esurierint. De illis enim dubium non est, quin post abstinenciam quadraginta dierum utpote puri homines esurire passi sunt. De domino autem ihesu christo idcirco hoc refertur, ut veritas carnis in eo patesceret, qui sicut cum divina potencia xl diebus ieiunare potuit, ita cum humanitate post ieiunium voluit esurire. Mystice autem esuries domini desiderium salutis nostre significat. Et accedens temptator dixit ei. Humani corporis forma hostem callidissimum q' dm suasit ad prelium, quem tamen verus dei filius veri hominis responsione confudit. Temptator autem diabolus vocatur, eo quod innocenciam iustorum postulet temptare, sicut in libro iob scribitur. Si filius dei es. Queritur qua causa diabolus estimauerit xpm filium dei esse. Nimirum quia premittente deo audierat voce patris in baptismo dicentis. Hic est filius meus dilectus. Siue quia in lege et prophetis pronunciatum illum nouerat. Ideo filium dei illum esse putabat. Sed quum dubius erat utrum purus homo an verus deus esset, suis temptacionibus experiri cupiebat. Animabat autem illum ut presumeret cum domino congredi partus femineus quem turbabat virginitas parientis. Nouerat quod de femina natus erat, sed nesciebat unde conceptus esset. Matrem cernebat, sed patrem investigare non poterat. Tria quidem fuerunt que diabolum latuere. Partus scilicet diuinus, virginitas matris saluatoris et passio redemptoris. Passio namque saluatoris diabolum latuit, quia sicut apostolus ait si cognouissent, numquam dominum glorie crucifixissent. Partus autem diuinus illum latuit, quia ignorauit quomodo dei filius in utero virginis incarnari voluerit. Latuit illum et virginitas dei genitricis, quomodo scilicet virgo ante partum, virgo post partum permanserit. Cum autem videret ininitus dei filium per tanta miracula de virgine natum, admirantibus voluebat secum dicens. Quis est iste qui me nesciente absque humana consuetudine mundum ingressus est? Si deus iste esset, ut quid fame laboraret? Si autem homo est, quare vicium nichil habet? Ecce avaricie fastus in eo nulla est. Nescit eius lingua mendacium. Oculi eius concupiscenciam non admittunt. Nulla aurium voluptate mollitur. Luxuria certe per quam michi humanum genus subieci, in eo nulla. Pectus eius non tangit libido. Nichil in eo reperio quod me delectet. Omnes meos conatus euacuat. Sed ultimum ecce esurit ut homo. Cum esurire deum racio nulla persuadeat. Quid ergo agam? Consurgam aduersus illum et temptabo eum eisdem modis quibus primum hominem decepi. Si enim adam qui manibus dei plasmatus est sanctus et iustus consiliis meis quondam adquieuit, cum per gule concupiscenciam illum temptaui, et iste si verus est homo consilia mea nequaquam contempnet. Ait ergo ei. Si filius dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Stultissima diaboli surrepcio, per panem vult temptare qui verus est panis. Estimas illum esse penuria laborare, quem voluntaria perferebat esurie. Antiquus hostis tribus modis primum parentem nostrum temptauit. De gula scilicet, cum de interdicto ligno comedere suasit. De vana gloria cum dixit. Eritis sicut dii. De avaricia quoque cum addidit: scientes bonum et malum. Avaricia namque ut beatus Gregorius dicit non solum ad pecuniam pertinet sed etiam ad latitudinem, cum quis vel ex speciali scientia vel ex aliquo singulari dono aliis habet esse sublimior. His quoque tribus modis Christum temptare aggressus. De gula videlicet cum ait: Si filius dei es, dic ut lapides isti panes fiant. De vana gloria cum statuens eum supra pinnaculum templi dixit: Si filius dei es, mitte te deorsum. De avaricia nichilominus illum tetigit cum ostendens ei omnia regna mundi dixit: Hec omnia tibi dabo si cadens adoraveris me. Sed quibus modis primum Adam temptavit, temptando quoque superavit, eciam secundum Adam appetiit, et tamen cum ad consensum illum flectere non potuit superatus est. Et notandum quod diabolus lapidem habens coram de lapidibus fieri panem poscebat. Nec dixit fiat panis de lapidibus sed dic ut fiant, quia in hoc illum utrum esset filius dei probare volebat, si verbo lapides in panes mutaret, noverat deum in principio solo dicto cuncta creasse. Cogitabat apud se artifex tanti doli et dicebat: Si hic ipse est cuius precepto esurientibus populis per deserta manna fluxit de celo, potest nunc in pane lapides transformare. Et si non mea potencia, sua tamen qui esurit necessitate. Quod si fecerit deum illum probabo, si nequiverit hominem deprehendam. Cui respondens dixit: Non in solo pane vivit homo et cetera. Intuendum quod omnia testimonia que dominus temptatori opposuit de deuteronomio sumpsit. Hinc namque est quod David contra Golyam dimicaturus quinque lapides de torrente elegit, et tamen uno ex illis hostem prostravit. David namque dominus Ihesus Christus est. Goliad significat diabolum. David ergo quinque lapides elegit sed uno ex illis hostem deiecit quia dominus Ihesus Christus quinque libros legis per Moysen scribi voluit sed ex solius deuteronomii scriptura temptatorem diabolum confutavit. Interpretatur autem deuteronomium secunda lex et significat ewangelium gratiam. Innuit ergo nobis dominus suo exemplo ut quociens improbitatibus vel demonum seu pravorum hominum exercemur, ad doctrinam ewangelicam animum transferamus, et ibi salvatoris exemplum vel adversa proximi pacienter toleremus vel temptacionibus demonum fortiter resistamus, ut cum in presenti fuerimus socii passionum Christi in futuro participes esse valeamus et glorie. Non inquit in solo pane vivit homo sed in omni verbo quod procedit de ore dei. Integer homo duabus consistit substanciis, anima videlicet et corpore. Sicut enim corpus si non terreno pane alatur tabescit et deficit, sic nisi anima verbi dei alimonia fuerit saginata, a statu sue rectitudinis deperit. Dicit ergo: Non in solo pane etc. Ac si aliis verbis temptatori suo dominus diceret: frustra diabole tantum per escam supplantare conaris. Sufficiat tibi adam in paradiso per te fuisse deceptum, suadendo illicitos cibos. Me nec esuries vincit nec tuis suasionibus cedo. Voluntas dei meus cibus est. Verbum dei mea est ~~perfecta~~ refectio. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem. Assumpsit eum non manibus ferendo, sed desiderio et voluntate qua locum temptandi illum reperire cupiebat. Videns ergo dominus hanc in diabolo sic temptandi cupiditatem, dedit ei facultatem ascendendo super pinnaculum templi, ut ibi eum solum diabolus ad temptandum inveniret. Et quia voluntati diaboli consentiens a diabolo dicitur assumptus. Quid mirum est si se dominus a diabolo capite omnium reproborum in civitatem vel in montem duci voluit, qui se a membris illius, hoc est a pylato et iudeis crucifigi permisit. Sanctam autem civitatem iherusalem appellatam sciamus, quod in ea templum dei et religio amplior pre ceteris urbibus quondam habebatur. Sed queri potest quomodo dicatur dominus ihesus xpistus in sancta civitate a diabolo temptatus, cum constet ad hoc ductum in desertum a spiritu sancto, ut ibi eum diabolus reperiret ad temptandum. Ad quod dicendum quod in spacio quadraginta dierum quibus ieiunium exercuit in deserto, hiis fuerit temptatus a diabolo, de appetitu videlicet gule et avaricia. Deinde esuriens atque in civitatem regrediens temptatus est de vana gloria. Cui sentencie illud quod ammodo convenire videtur, quod beatus matheus hanc temptacionem vane glorie quam in civitate diximus factam postquam rediit de deserto, nequaquam in ultimo, sed in secundo ordine facta narret, sicut presens lectio narrat. Sed sciendum quod matheus ordinem temptacionis, lucas vero istorie ordinem est secutus. Et statuit eum super pinnaculum templi. Quidam legunt pinnacula, sed rectius est legendum per .i. quam per .e. Penna namque a pendendo dicitur, hoc est a suspendendo et sublevando. Unde et aves pennis sublevantur in aere. Pinna autem est summitas atque extremitas cuiuslibet rei. Pinnacula igitur templi appellantur illa tabulata, sicut liber regum narrat, que forinsecus muris templi adherebant per circuitum. et medio ordine templi quod tricameratum erat. ipsa quoque sicut liber regum narrat erant triplicia. Et primum quidem tabulatum est adeo inferius. quinque cubitis foris prominebat. Medium sex. Supremum quoque septem cubitis sua latitudine in girum templi undique protendebat. Est ergo pinnaculum eminentissimus locus super templum ubi et certo tempore sedes doctorum erat. Utrum autem moris fuerit apud iudeos ut doctores illorum sermonem facturi ad populum prefata tabulata conscenderent non satis scripturarum testimoniis possumus approbare. Legimus tamen iacobum fratrem domini cum ad populum concionaturus esset super pinnaculum templi fuisse levatum. Super que pinnacula cum dominus ihesus christus secreto atque archano suo consilio consisteret. Assumpsit eum diabolus et dixit ei. Si filius dei es. mitte te deorsum. Stulta et perversa diaboli suasio ut filio diceret. mitte te deorsum. Rectius namque dixisset. si filius dei es. ascende in celum. Quod utique si faceret dominus. ne dei filium illum comprobaret. In omnibus autem suis temptacionibus hoc diabolus nitebatur. ut certificari posset. utrum purus homo an filius dei esset. Sed dominus ita responsionem suam modificavit ut et temptatorem confundens dubium redderet. et se filium dei esse nulla racione demonstraret. Et inde videndum quia diabolus quos decipit in precipicium perdicionis mittere non desinit. Optat enim omnes cadere. qui se sentit pre omnibus cecidisse. Scriptum est enim. Quia angelis suis mandavit de te. Et cetera. Diabolus scripturas sanctas quidem bene intelligit. sed eas falso semper interpretatur. Unde et hoc testimonium falsa interpretacione ad christum retulit. cum hoc psalmista non de christo sed de quolibet electorum dixerit. Unicuique enim fidelium angelus ad custodiam ex tempore baptismatis delegatur. De quibus dominus dicit. quia angeli eorum semper vident faciem patris. Isti ergo angeli. invisibili auxilio electos custodiunt. ne in lapide. hoc est in legem que in lapide scripta est. gressus actionum illorum offendat. Ceterum in hoc ista verba ad christum nullomodo pertinere probantur. quia cum sit conditor omnium. non eget subsidio angelorum. Ait illi ihesus rursus. Non temptabis dominum deum tuum. Deum temptat. qui iactancie sue vicio superflua et inutile vult ostendere virtutem. Superioribus verbis diabolus ad hoc dominum hortabatur. quatinus precipitaret se de templi pinnaculo ut eius casu exploraret. quanti meriti apud deum esset. Cui dominus

Non temptabis inquit dominum deum tuum. Quo exemplo discimus quia quamdiu electus quisque habet quod per se faciat, dominum deum suum temptare non debet. immo illius et factum et dictum in hoc convenit imitari. Dictum videlicet quo ait: non temptabis dominum deum tuum. Factum quia cum posset persecutores suos nutu subvertere, voluit potius eorum sevitiam fugiendo ac latendo declinare. Quod si quilibet necessitate imminente ita coartatus fuerit, ut effugii exitum invenire non possit, tunc sue fiducie omne divine commendet providentie constanter credens, quia deus non derelinquit sperantes in se. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde. Mons valde excelsus attestatur diabolice superbie. Qui cum propter elationem de celo ceciderit, in quo tumore etiam a dei filio se adorari poscebat. Et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum subauditur regnorum. Arbitrandum non est quod diabolus vel in toto mundo potestatem habeat, ut omnia regna terrarum in conspectu suo colligere potuerit. Sed potius ita sentiendum quod dominus Ihesus Christus qui se ab eo temptari sinebat, totius mundi machinam in conspectu illius sua potentia videndam prebuerit. sicut quondam beato benedicto ostensum esse legimus. Quod cum diabolus vidisset mox superbia inflatus hanc erumpens in vocem. Hec omnia inquit dabo tibi si cadens adoraveris me. Vere ~~cadens~~ procidens cadit et adorat diabolum. qui honores et dignitates seculi per artes sacrilegas permittente diabolo adquirit. Nec iste mundus quicquam tale vel diabolo. vel ut dictum est beato benedicto totus apparuit. ipsemet in ipsum contractus fuisse putandus est. quin potius mens inventium deo dilatante ad ipsius mundi universitatem videnda creditur amplificata. Tunc dicit ei Ihesus. Vade sathana. subauditur in abyssum vel in ignem eternum. Precepit dominus ab eo diabolo amputata sibi ea loquendi licentia. ut voluntate quidem agnoscere non poterat. sentiret potestatem. Qui sicut dubius venerat. multo magis dubius recessit. nec in eo an filius dei esset investigare promeruit. Tria enim sunt. que etiam in domini cognitione latuerunt. Partus virginis. divinitas hominis. et passio redemptoris. Si enim eum ad ~~[illegible] generis~~ redemptionem generis humani venisse sentiret nequaquam in eum manus mitteret. Si enim inquit apostolus cognovissent. numquam dominum glorie crucifixissent. Quod tamen deiudicis qua demonibus est sentiendum. Sathanas hebreum nomen est, et latine interpretatur contrarius vel adversarius. Si autem secundum nonnulla exemplaria quibus legi voluerat: vade retro sathanas. Potest ita sentiri, quod retro ad anteriora tempora respiciat, quando diabolus captivum possidebat mundum. Ac si diceret Dominus: attende retro quando decepisti primum hominem, et per cunctas hactenus generationes posteros eius ydolatria delusisti. Nunc autem non solum me subvertere non valebis, sed a potestate qua te mundo habere iactabas proicieris. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies et cetera. Scripture sacre plura testimonia diabolo ingerunt, non ut doceatur qui incommutabilis et impenitens manet, sed ut impudens confutetur. Notandum est sane quod non dicit: Dominum Deum tuum solum adorabis, sicut dixit: et illi soli servies. Leguntur siquidem sancti patres homines adorasse. Denique adoravit Abraham populum Sethimorum, adoravit Moyses cognatum suum. Adoramus et nos reges et principes nostros. Sed aliud est honor quem hominibus tamquam potentioribus vel senioribus impendimus, aliud cultus religionis quem omnipotenti Deo singulariter tamquam conditori et gubernatori debemus. Requirendum vero est quid sit quod dicit: illi soli servies, cum Paulus apostolus precipiat dicens: per caritatem servite invicem. Nimirum est quedam servitus que soli Deo competit, secundum quod Dominus dicit: illi soli servies. Rursusque est quedam servitus, hoc est commune obsequium, unde quod a Paulo apostolo invicem servire iubemur; sibi tamen hominibus est serviendum ubi divine non contradicit voluntati. Perquirendum vero est qua causa Matheus et Lucas ewangeliste in ordine Domini temptationum dissimiles habeant. Nam Lucas primum narrat Domini temptationem de gula, secundo de avaricia, tercio de vana gloria. Quo contra Matheus secunda ponit illa que pertinent ad vanam gloriam, tertiam quoque ad avariciam. Sed dicendum breviter quod Matheus ordinem temptationis adscribit ut est, Lucas vero rei quomodo gesta est seriem pandit. Hoc quoque notandum, quod cum istas Domini temptationes tres alii ewangeliste ordine suo quisque commemoret, Iohannes ea penitus intacta preterit. Ea nimirum causa, quia temptatio sicut et alie passiones veritati humanitatis conveniunt, quam tres ewangeliste ad plenum exponendam susceperunt. Divinitas autem verbi, de qua Iohannes singulariter plura commemorat, sicut a fame, siti et fatigatione, ita etiam ab omni temptatione manet extranea. Tunc reliquit eum ~~temptator~~ diabolus, et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei. Dum nefanda loquitur temptator, quasi ab homine victus obmutuit, et tanquam a deo iussus abscessit. Precessit in domino Ihesu Christo temptacionis magnus conflictus, ut devicto temptatore sequeretur securitatis magna victoria. Temptavit diabolus dominum, sed illo devicto accesserunt angeli et ministrabant ei. Sicut a temptacione verus homo patuit, sic in angelorum ministerio verus deus declaratus est. Unde et nos confidere oportet quia si nunc istius vite discrimina temptantium victores fuerimus, postmodum ministris angelis perfruemur, qui nobis summi boni, hoc est visione omnipotentis dei, perpetua felicitate ministrabunt.

Cum venerit filius hominis in maiestate sua. Et reliqua.

In lectione que hanc precedit, posuit dominus similitudinem hominis peregre proficiscentis, qui vocatis servis suis distribuit illis pecunias prout cuique conveniebat: alii quinque talenta, alii duo, alii unum, et statim profectus est. Post multum temporis reversus, vocatis servis suis posuit racionem cum eis. Et bene quidem operantes pro apportatis lucris remuneravit, negligentem vero servum et a bono opere torpentem dampnavit. Qua finita parabola, hoc quomodo exponendum susceperimus consequenter adiungit, parabolis illam quam premiserat similitudinem ad se pertinere. Dicit ergo: Cum venerit filius hominis in maiestate sua. Quia enim tempus eius passionis instabat, et proxime venturo pascha comprehendendus, colaphizandus, conspuendus, flagellandus, spinis coronandus et ad ultimum crucifigendus, aceto potandus et morti tradendus erat, provide se in maiestate ad iudicium venturum pronunciavit, quatinus futura scandala passionis compensaret promissa pollicitacio magne glorificacionis. Dicit ergo: Cum venerit filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo. Notandum sane quod filium hominis in maiestate venturum dicit, per quod destruit opinionem quorundam hereticorum, qui dixerunt dominum nostrum Ihesum a tempore resurrectionis et ascensionis non manere in natura veritatis assumpte humanitatis, non attendentes quod angeli in eius ascensione dixerunt: Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in celum. Et hic dominus manifeste filium hominis fatetur venturum esse ad iudicium. Ipse enim verus filius dei, idemque verus et filius hominis, non tamen duo sed unus est filius dei, qui in iudicio per solam videndus est humanitatem. Nam in divinitate sua solis post iudicium apparebit electis, quia scriptum est: Tollatur impius ne videat gloriam dei. Soli autem regem seculorum in decore suo uidebunt oculi mundi sanctorum. Cum ergo inquit uenit filius hominis in maiestate sua. Hoc est in diuinitate sue potencie, per quam cum patre simul et spiritu sancto genus humanum iudicabit, bene meritis premia, impiis et peccatoribus digna rependens supplicia, secundum quam ut dictum est numquam eum reprobi uidere poterunt. Ille ergo qui quondam in assumpto homine iudicandus ueniens non clamauit, neque uocem eius quisquam in plateis audiuit, quia ita humilis uenit ut a nemine cognosceretur, nunc deus manifestus ueniet, deus noster et non silebit, stipatus ministerio angelorum, qui cum eo ad iudicium uenient, ut in eorum presencia iudicentur, qui sub eorum custodia uixerunt. Angeli enim sunt administratorii spiritus qui singulis hominibus ad custodiam deputantur. De quibus dominus: Angeli eorum semper uident faciem patris mei et reliqua. Hinc et psalmista dicit: Annunciauerunt celi iusticiam eius et cetera. Celi namque iusticiam eius annunciabunt quia sancti angeli iustissimum dei iudicium uenerantes predicabunt. Tunc sedebit super sedem maiestatis sue. Sedem super qua dominus sessurus est in iudicio, quidam iuxta litteram nubem illam accipiunt in qua dominus ascendit in celum, in qua etiam uenturus est ad iudicium. Sed competentius sedes dei sancta intelligitur ecclesia, in qua dominus sedebit, quia in ecclesia sua gloriosus ipse eam glorificaturus apparebit. Et congregabuntur ad eum omnes gentes. Omnes uidelicet homines a primo adam usque ad eum qui in fine mundi nasciturus est, quique ab exordio mundi iam defuncti sunt, uel qui uiui in corpore inueniendi sunt. Et separabit eos ab inuicem et cetera usque hedos autem a sinistris. Sicut inquit pastor pecus secernit a pecore, ita dominus noster qui est uerus pastor, quem oues sue agnoscunt eumque secuntur, separabit in die iudicii bonos a malis. Nam per oues designantur sancti simplicitate et innocencia gaudentes. Qui ad dexteram domini statuentur, quia in spe sempiterne felicitatis collocabuntur. Per hedos autem qui sunt petulca animalia et lasciua, et ad libidinem semper feruida, designantur reprobi uoluptatibus et illecebris corporalibus ~~dediti~~ dediti. Qui ponentur ad sinistram, quia iuste sempiterne dampnacioni subicientur. Sed et illud attendendum, quod non capras sed hedos in sinistra statuendos dicit, quia capra in bona accipitur significacione. Significat enim sanctorum animas, que ueluti greges caprarum tonse et lote ascenderunt de lauacro, et gemellos cedunt fetus ac sterilitate ignorant. Sciendum vero quia in iudicio duo erunt ordines, alter bonorum, alter malorum. Qui tamen quadrifaria dividuntur. Duo enim erunt ordines bonorum. Unus qui non iudicabitur sed cum domino iudicabit. Sic erunt sancti apostoli et perfecti quibus dictum: sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Alter erit ordo bonorum qui iudicabitur et salvabitur, quibus dicetur: Esurivi et dedistis michi manducare et cetera. Similiter erunt duo ordines reproborum. Unus eorum qui non iudicabitur sed tantum dampnabitur, in quo erunt pagani deum ignorantes, de quibus psalmista dicit: non resurgent impii in iudicio. Et dominus: qui non credit iam iudicatus est. Alter erit ordo eorum qui iudicabuntur et dampnabuntur, quibus dicetur: Esurivi et non dedistis michi manducare et cetera. Tunc dicet rex hiis qui a dextris eius ~~sedent~~ erunt: Venite benedicti patris mei et cetera. Rex Christus videlicet qui est rex regum et dominus dominancium, quique in die illa plus exaltabitur et auctoritate sue potestatis sentenciam dictabit et dicet ad hiis qui a dextris eius erunt. Hoc est hiis qui ad sortem superne beatitudinis pertinebunt. Venite benedicti et cetera. Vox ista desiderabilis, exoptabilis et omni gracia suscipienda, qua sancti ad bona perpetua et ad regnum vocantur sine fine mansurum. Et merito benedicti dicuntur. Hoc est ad eternam benediccionem, que in Christo et per Christum est predestinati. Patris autem sui regnum dicit, ad illum referens omnem potestatem, cuius est filius, quia a quo habet essenciam, ab illo habet et potenciam. Unum tamen est regnum patris et filii et spiritus sancti sicut una est essencia eademque maiestas. Quod regnum ab origine mundi illis paratum asserit, quia ad illud ante secula predestinati et preordinati sunt. Nam ut apostolus dicit: quos prescivit et predestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Quos autem predestinavit illos et vocavit. Et quos vocavit, hos et iustificavit. Quibus vero meritis tale promeruerint remuneracionem enumerat subdens: Esurivi et dedistis michi manducare. Sitivi et dedistis michi bibere. Que verba apte opera exprimunt pietatis et benivolencie munificencia, que corporea tolerantibus indigenciam necessaria est. Verum si hec spiritualiter acceperimus gravius aliquid in impletione caritatis intelligere poterimus, quia caritas non solum circa fratris carnem quandoque morituram verum multo magis circa animam semper victuram est exhibenda. Qui igitur esurientem et sicientem pane verbi saciat et aqua sapiencie potat, caritatis perfecto opera adimplet

Qui errantem a via veritatis sacre admonitione revocat, et penitentiam in domo sancte ecclesie recipit, pietatis opera veraciter agit. Qui infirmum in fide suscipit secundum apostolum, et tribulatorum ac tristicie carcere clausis solacium compassionis ac sermone consolationis impendit. Hic utique vere dilectionis iura adimplet, atque ideo pietatis mercede remunerandus est. Et nota quod non virtutes maximas, sed sola hec dilectionis opera que active vite necessaria sunt dominus in iudicio commemorat, ut liquido ostendat quod caritatis precepta servantibus debeantur regna celorum, sine qua nulla virtus nullum opus bonum deo placere potest. Tunc respondebunt iusti dicentes: Domine quando te vidimus esurientem etc. Respondebunt ista sancti stupentes ad immensam et ineffabilem maiestatem regis Christi, et quia omne bonum quodcumque fecerunt quamvis fuit maximum, tunc illis minimum et perbrevissimum videbitur pre magnitudine terroris qui tunc erit, sive pro habundantia inestimabilis retributionis. Denique et beatus Effrem in omelia quam de die iudicii plena compunctionis scripsit, dicit sanctos tunc angelos sub quorum custodia vixerunt interrogaturos, quid umquam boni egerint, aut quid meriti habuerint, ut tali gloria tali quod digni haberentur mercede. Et respondens rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his minimis etc. O miranda domini et salvatoris nostri dignacio, qui devocionem iustorum tali mercede compensat, ut se in pauperibus pastum et vestitum asserat, et quod illis impensum est, se suscepisse confirmet. Sane quod dicit: Quamdiu uni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis, potest quidem generaliter de omni paupere accipi, quod videlicet elemosinam suam cuiquam egeno propter Christum impensam ab ipso sustineat. Verumtamen dominus notabiliter et quasi demonstrans dicat uni de minimis istis, ostendit non generaliter, sed de spiritualibus pauperibus, de hiis videlicet tantum dicam, qui spiritu pauperes, quique propter deum voluntariam perferunt egestatem. Quibus maxime fideles de suis facultatibus subvenire et sibi amicos facere debent, ut ab eis in eterna regni celorum habitacula recipiantur. Tunc dicet et hiis qui a sinistris eius erunt: Discedite a me maledicti etc. Et reprobis ad sinistram positis, qui secundum carnem dum in mundo vixerunt, sinistra semper hoc est transitoria amaverunt, nec umquam eternorum que per dexteram figurantur curam habuerunt, dicetur: Discedite a me maledicti in ignem eternum. Maledicti videlicet vocantur hii, qui in malicia omnem vitam consumentes eterne maledictioni se ipsos preparare non timuerunt. Numquam quid mali cum domino fiet, quia non habitabit iuxta eum malignus. Sed tunc discedere iubentur, qui in presenti mali bonis permixti videntur, ac tunc iusto iudicio separabuntur. Sagena enim sancte ecclesie malos pisces cum bonis capit, et usque ad litus ultimi examinis pertrahit. Sed tunc bonis piscibus in vasis collectis mali foris proicientur. Sic et in agro domini zizania cum tritico germinant. Sed cum ad circa ventum fuerit, triticum in horreum conditur, zizania vero fasciculis colliguntur et igni comburuntur. Tunc discedite a me. Hoc est a presencia sue visionis iubet proici et in tenebras exteriores compelli. Discedere ergo maledicti in ignem eternum iubentur, ut ibi sine fine ardeant, qui in presenti igne viciorum in se extinguere noluerunt. Iste autem ignis diabolo et angelis eius paratus est, quia sicut presciencia dei iustis regnum ab origine mundi preparavit, ita diabolo et angelis ac reprobis eius ignem eternum in quo perpetualiter cruciatur preordinavit. Esurivi enim et non dedistis michi manducare. Et cetera. Metuenda multumque pertimescenda est ista sentencia. Non dicit enim aliena rapuistis, sed non dedistis inquit michi manducare. Si ergo ita tenacia dampnatur, rapacitas quid meretur? Aut quid recipiet qui alienum tulerit, si sic punitur qui de suo non dederit. Si tale iudicium est ei qui non facit misericordiam, quale erit ei qui fecit rapinam? Tunc respondebunt et ipsi dicentes: Domine quando te esurientem aut sitientem vidimus, et cetera, usque et non ministravimus tibi. Hoc dicere videntur tamquam fallere possint, sicut quondam homines decipiebant. Sed tunc nullas excusaciones habere possunt, qui dum possent converti noluerunt, et elemosinis peccata sua delere neglexerunt. Et respondens dicit illis: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de hiis fratribus meis minimis nec michi fecistis. Qui enim humilibus et despectis membris Christi beneficium impendere negligit, convincitur Christo minus esse devotus, atque ideo numquam se ei aliquid tribuisse gaudebit. Nam qui non diligit fratrem quem videt, deum quem non videt quomodo potest diligere? Attendendum vero quod et hic sicut et superius unitatis sit mencio, cum dicitur: Quamdiu non fecistis uni ex minimis meis, nec michi fecistis. Per quod innuitur quia illius largitas deo accepta est, qui hanc simplici cordis intencione in unitate fidei catholice studet exhibere. Ceterum qui se ab unitate fidei heretica pravitate dividit vel de suo bono opere laudem humana querit. Huius misericordia reproba a Christo videatur et indigna. Et ibunt hii in supplicium eternum, iusti autem in vitam eternam. Origenes dogmatizat omnes reprobos, ipsum etiam diabolum et angelos eius, post multa secula posse indulgentiam peccatorum promereri et a suppliciis liberari, asserens divine pietati aptissime convenire ut sicut homines redemit, ita quoque prevaricatores angelos salvet. Cui tamen aptissime hec sententia repugnat qua dicitur: ibunt in supplicium eternum. Sed ille ex opposito dicat hoc dominum dixisse ad incuciendum timorem quibusque perversis, quatinus eterna supplicia paveant et peccare desistant. Cui continuo respondendum, quia si hoc verum non est, nec illud verum est quod veritas subdidit: iusti autem in vitam eternam. Sed quod dictu nefas est, sic illud falso minatus est ut timore percelleret, ita hoc falso promisit ut vana spe deciperet. Ad hec fortasse aliquis dicat iniustum esse ut pro temporali et momentanea delectatione quis eterna persolvat supplicia. Sed sciendum illos eternis subigi tormentis qui obstinata voluntate in malo perseverant et numquam sub sceleribus terminum ponere voluerunt, insuper et si semper viverent, semper utique peccare vellent. Iusto igitur dei iudicio tales ibunt in supplicium eternum. Proinde oranda est misericordia dei et corda cum manibus elemosinis levanda, ut in presenti vita igne timoris sui mala nostra decoquat, quatinus in tremendi examinis iudicio a malorum sinistra statione liberatos in dextera cum sanctis omnibus misericorditer collocare et in vita eterna cum sanctis angelis connumerare dignetur, in qua vivit et regnat.

Dum intraret Ihesus Ierusalem commota est universa civitas. Et reliqua.

Dominus et deus auctor et reparator humani generis Christus ante mundi constitucionem preelegerat cum patre et ubi pateretur et quando pateretur pro salute hominum. Impleta ergo huius temporis plenitudine instante iam passione appropinquare voluit loco sue passionis, ubi inveniri posset ab his per quos eadem passio celebranda erat, ne quasi refugiens aut detrectans mortem estimaretur. Non enim metuebat mortem, sed potestate imperabat morti. Ait ergo evangelista: Cum intrasset Ihesus Ierosolimam commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Ad ingressum salvatoris commota est civitas admirantis populi frequentia, ignorantis dominum intrantis virtute atque potentia. Simile quid et in eius ascensione de angelis legimus. Qui cum dominum

tales ibunt in supplic
Unde oranda est
et corda cum manibus
vanda. ut per penitenc
ris sui mala in die
timus in tremendi
as. a malorum spiri
ratos. in devotorum
innificandis collec
terna cum sanctis angelis
digni. in qua iuvenc

Um intrasset
commota est univ

Et c[etera]

ne et deus ant
humani generis
constitucione pelegri
et ubi patrem et spiri
lute hominum. Impleto
plenitudinem misterii
propinquaret voluit
ubi invenirent post
cause passio celebrand
quasi refugiens mort
morte estimarent
bat morte si potest
morti. Sic ergo ille
cum intrasset ihesus
mota est universa civi
Quis est hic
ris commota est civi
apostoli frequencia
trantes curiose
Simile quid et
de angelis legimus

---

triumphali pompa ascendente cernerent. et carnem iam glorificatam ad celos vehente. admirantes dicebant. Quis est iste rex glorie? Notandum vero quod ante sex dies pasche sicut sanctus evangelista Johannes dicit venit dominus bethaniam ubi lazarum suscitaverat. atque in crastinum asino sedens. turbis diuinas sibi laudes acclamantibus Iherusolimam ingressus est. Quod olim in pascali agno mistice fuerat presignatum. Scriptum namque est in lege. Decima die mensis primi. tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. et servabitis eum inquit usque ad quartam decimam diem mensis huius. immolabitque eum omnis multitudo filiorum israhel ad vesperam. Ergo secundum hanc de pascali agno prophetiam dominus ihesus decima die mensis primi. hoc est ante dies quinque pasche civitatem Iherusalem ingressus. coniurante adversum se seniorum principumque concilio prestolabatur horam qua pro mundi salute deo patri se in odorem suavitatis hostiam offerret. Alii autem dicebant. Hic est ihesus a nazareth propheta. Superbis iudeis quisnam esset qui cum tanta gloria civitatem intrabat interrogantibus simplex turba quod noverat fatebatur. Hic est inquiunt ihesus propheta. Prophetam appellabant. quia errabant. et quid dicerent ignorabant. Nesciebant autem eum deum aut dei filium appellare. Sed error eorum perfecta sciencia plenus erat. Nam moyses de eo dixerat. Prophetam vobis suscitabit deus de fratribus vestris tanquam me. et ipse de se loquitur. Non capit perire prophetam extra iherusalem. Ita vero accipiendus est propheta. ut sit dominus prophetarum sicut est rex regum et dominus dominancium.

Et intravit ihesus in templum. Cum dominus civitatem ingressus primo templum adiit. formam religiose conversacionis quam sequi ~~valeat~~ debeamus ostendit. Cum enim oppidum vel castellum sive aliquem locum ubi domus orationis deo sit consecrata ingredimur. primus ad illa festinare debemus. et postquam nos per studia orationum deo commendaverimus. sic demum ad ea que necessitas fragilis vite exigit peragenda negocia procedamus. Et cepit eicere vendentes in illo et ementes. Et cetera. Inter omnia miracula que dominus in mundo corporaliter gessit. hoc precellentissimum et maximum est. Ipsius enim fuit ut dicit beatus Iheronimus. hoc quod unus homo inermis tanta milia armatorum de templo eiecit. quam quod lazarum quadriduanum a mortuis resuscitavit. Fulgor enim quidam divinitatis resplendebat in aspectu humanitatis. atque ideo videntes insolita claritate in facie hominis radiantem ei terga cedenti dabant. et resistere

non audebant. Scriptum est: Domus
mea domus orationis vocabitur.
Et cetera. Domus illa dei adhuc a
Salomone primum, et postea a Ihesu
sacerdote et Zorobabel constructa
fuerat, non quod deus in manu factis
templis habitet, sed ut ibi nomen
eius invocaretur, ibique devote plebis
orationes audiret, vota susciperet,
munera et oblaciones acceptaret.
Sed illi eam speluncam latronum fecerant,
qui adhuc in templo residebant, ut
aut non dantes munera corporaliter
punirent aut dantes spiritualiter
necarent. Legis siquidem preceptum
erat ut ter in anno convenirent
omnes ex diversis regni iudaici partibus
ad augustissimum et sanctissimum in toto
orbe templum, in pascha videlicet,
pentecoste et scenophegia. Et
eiusdem legis preceptum erat, ne vacui
in conspectu domini apparerent.
Et plerumque contingebat ut hii qui
de remotioribus partibus veniebant
non haberent quid in sacrificio
domini offerrent, quia ob longitudinem
itineris secum pecora sua adducere
non valebant. Unde sacerdotes
habebant pinguissima animalia, que
usus sacrificii exposcit, et eam
habentibus vendentes, accepta
pecunia, rursus empta suscipie-
bant. Hoc modo predam de simpli-
ci populo faciebant. Verum erant
quidam ita pauperes, qui etiam
sumptibus et victu indigebat.
Et non solum hostias, sed nec unde
eas emerent habebat. Ad hoc ergo
sacerdotes nummularios in templo
statuerant, qui mutuo eis sub hac
occasione pecuniam darent. Sed quia
lex usuras prohibuerat, nec apte ab
eis duplicatam pecuniam exigere pote-
rant, excogitaverant rursus aliam
fraudem, ut pro usuris reciperent vari-
as species munerum. Verbi gratia frixi
ciceris, uvam passam et diversi generis po-
ma, ut quod in nummo non licebat, in
hiis rebus exigerent que nummis
emuntur. Hos appellabant ipsi proprio
sermone colobistas, qui colobia vel
vilia munuscula dabant, que greci
tragemata, latine bellaria dicunt.
Istius modi fraudes et negociaciones
dum cerneret in domo patris sui fieri,
sicut Iohannes dicit, facto flagello
de resticulis innumeram multitudinem
de templo eiecit. Attendant isti
moderne sacerdotes et caveant ne do-
mum dei in speluncam latronum vertant.
Latro enim est qui lucra de religione
sectatur, et ex cultu sanctitatis stu-
det occasioni negociacionis. Unde
metuendum est illis ne sicut illi
de templo materiali eiecti sunt,
ita isti de templo spirituali eiciantur.
Cottidie enim dominus domum patris sui
sacram videlicet ecclesiam intrat, et occu-
patos lucris turpibus eicit, atque
similiter omnes hic vendentes pariter
et ementes. Vendentes enim sunt
qui sacros ordines ad precium largiuntur,
ementes vero, qui pro iusticia pecuniam

stituunt. et dato precio patronis emunt
presbiterum. Notandum vero quod dicit: mensas
nummulariorum et cathedras vende-
ncium columbas evertit. Quid enim
per mensas nummulariorum nisi altaria
dei intelliguntur. que per avariciam
malorum sacerdotum mense efficiuntur
nummulariorum. Quid vero per cathedras
vendencium columbas nisi magis-
teriales dignitates in ecclesia accipiuntur.
~~qui sicut dum baptizatur~~ Que et
ipsa cum ad lucrum deflexerit ad nichilum
redigitur. Quid vero per columbas nisi
spiritus sanctus accipitur qui sicut dum bap-
tizatur in columbe specie apparuit. Q-
uot sunt qui columbas vendunt.
nisi hii qui spiritum sanctum per manus impo-
sicionem ad precium tribuunt. Sed
deus cathedras vendencium columbas
evertit. quia talium sacerdocium
destruit. Quicumque episcopus graciam spiritus
sancti vendiderit. eciam si in conspec-
tu hominum pontificali stola fulgere
videatur. iam ante dei oculos sacerdo-
cio privatus est. Hinc et sacri ca-
nones symoniacam heresim anathe-
matizant. et sacerdocio privari pre-
cipiunt eos. qui pro impensa gracia
spirituali precium querunt. Moraliter
sicut in civitate templum ceteris edi-
ficiis preeminet. ita in plebe fidelium
vita religiosorum. Templum ergo
dei est ipsa mens fidelium apostolo di-
cente. Vos estis templum dei. et
spiritus sanctus habitat in vobis.
Hec igitur mens fidelis si relicta
innocencia in lesionem proximi per-

versas profert cogitaciones. spe-
lunca utique latronum efficitur. nec
iam domus oracionis vocatur. sed la-
tibulum latronum. unde illud me-
dicum agere. unde possit primo
nocere. Non ergo sit in domo
nostri pectoris negociacio. non emen-
cium vendenciumque comercia in-
tratus ihesus inveniet. et flagello
districte severitatis puniat
conversacionis sordes sue mansionis.
Et accesserunt ad eum ceci et claudi
in templo et curavit eos. Hic et
indignis et profanatoribus templi
cecos et claudos mirabiliter sana-
vit. ut per hoc virtutis sue suis
adversariis daret indicium. et ut
vocem sibi laudancium puerorum. osan-
na in excelsis clamancium tali
testimonio confirmaret. ostenderet
opere. quod illi vocibus consonabat
simul eciam ut visa christi tanta po-
tencia. converterentur et crederent
Ideo enim illis cecis mentibus cecos il-
luminavit. ut illi fidei lumine re-
ciperent. Ideo claudos dominus direxit
ut ipsi claudicacionem mentibus ab-
icerent. et meliores pedes in
recta operacione habere inciperent.
Videntes autem pueros in templo
clamantes osanna. benedictus
qui venit in nomine domini. dixerunt.
audis quid isti dicunt. Indigne
ferentes. quod christo quasi homini
divinas laudes. et que soli deo
conveniunt acclamarent. Verum
dominus ita responsum suum deum ex-

parte premunivit ita quod diceret temperavit, ut nec calumpniatorum insidiis pateret, nec laudes illas quasi a pueris errantibus sibi deferrentur abiceret. Non enim respondebat quod illi audire volebant: Benedicunt pueri, iuste de me sic sentiunt; nec rursus ait: Errant pueri, delictis ignoscite infancie etati. Sed respondit: Audio. Dictisque vocibus illorum testimonio psalmiste confirmavit dicens: Numquam legistis: Ex ore infancium et lactencium perfecisti laudem. Deus enim pater ex ore infancium et lactancium laudem perfecit, quia per simplices et innocentes filio suo testimonium perhibuit, quod inimicos suos iudeos infestissimos persecutores evidentissime confudit. Et relictis illis abiit foras in bethaniam et cetera. Reliquit calumpniatores incredulos et exiit in bethaniam, que domus obediencie interpretatur. Quo iam premonstrabatur quia synagogam erat relicturus et ad domum obediencie, hoc est ad ecclesiam gencium transiturus. Simul et illud intuendum, quod ita pauper erat ut nec tugurium haberet, ita nulli adulabatur, ut in tanta urbe tamque populosa a nemine reciperetur. Et die quidem in iherusalem predicabat, sero vero revertebatur bethaniam, ubi erat amicus eius lazarus cum martha et maria sororibus. Felices certe multumque beati qui dominum hospitem habere meruerunt, cuius presencia tristia cuncta submovebantur, salubria iocundaque omnia prebebantur. Sed et illi in celo nunc felicissimi; sunt quoque beatissimi qui ita se ab omni malicia castis mentibus custodiunt, ut illis dominus inhabitare et apud eos manere dignetur. Hoc ergo votis sedulis, hoc fratres desideriis exposcamus, ut ita in nobis universa vicia et quodque fedi quodque affectibus suis est indignum expurget, sic nos virtutum floribus exornet, quatinus penetralia nostri cordis acceptissimum sibi habitaculum dignetur efficere, dominus et redemptor noster, qui vivit et regnat.

Accesserunt ad ihesum quidam de scribis et phariseis. Et reliqua.

Narratur in superioribus quomodo dominus demoniacum qui erat cecus et mutus triplici miraculo sanaverit. Sed scribe et pharisei qui adhuc semper domino adherebant, ut illius admiranda opera vel negarent vel sinistra interpretacione depravarent, ceperunt blasphemantes dicere quod in belzebub principe demonum eiceret demones. Contra quos cum longa dominus disputacione disseruisset, sicut ewangelista dicit: Responderunt quidam de scribis dicentes: Magister, volumus a te signum videre. Et in simulacione signa postulabant, quasi illa que in domino non recepta signa fuerint. Magistrum eciam subdole appellabant, cui aperta malicia repugnabant. Que vero signa vel unde postulauerint, alius ewangelista apercius ostendit dicens. Volumus signum de celo. Volebant igitur vel in morem helie ignem descendere preciperet de celo, vel eciam in similitudinem samuelis estiuo tempore faceret mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ~~ruge~~ ruere. tamquam illa que dominus fecerat non de celo fuissent, sed opera potius beelzebub. Sed qui illa calumpniabatur que pre manibus habebant et sine utilitate senciebant, multo magis illa calumpniaretur, et diceret hec non virtute christi, sed variis aeris passionibus accidisse. Fortassis eciam dicturi erant, similiter magos in egipto multa signa fecisse de celo. Sunt qui dicunt illos petisse a domino ut manna plueret de celo, quia secundum aliam ewangelistam dixerunt. Quod signum ostendis nobis. Patres nostri manna manducauerunt in deserto. Sed siue hoc, siue illud pecierint, intencione struende calumpnie absque dubio fecerunt. Verum videamus quid eis dominus responderit. Et respondens ait illis. Generacio mala et adultera signum querit. Egregie satis adulteram vocat generacionem iudeorum, que legitimum virum dimiserat, et iuxta ezechielis vaticinium multis se amatoribus copulauerat. Et signum inquit non dabitur ei nisi signum ione prophete. Quia enim illi signum de celo temptando pecierant, respondet eis dominus non se signum de celo daturum eis, quod indigni erant accipere, sed tale, quale ionas naufragus et ceto sorbente vocatus, in inspiracione dei liberatus, et accepit et dedit. Non enim merebant accipere signum ~~[illegible]~~ diuinitatis, sed humanitatis, passionis, non glorificacionis. Discipulis vero suis dominus signum dedit de celo, quibus et eterne diuinitatis gloriam et prius in monte transfiguratus, et post in celum ascendendo sublevatus ostendit. Sicut enim fuit ionas in ventre ceti tribus diebus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terre tribus diebus et tribus noctibus. Manifestissimum est hoc loco ionam prophetam typum domini saluatoris gestasse. Ionas namque interpretatur columba siue dolens. Que nomina utique competunt redemptori, super quem baptizatum spiritus sanctus in specie columbe descendit. Et de quo ysaias dicit. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portauit. Ionas missus est ad predicandum niniuen, que interpretatur speciosa, et saluator ad salutem gencium missus est, ut illis ad fidem conuersis sibi aptaret ecclesiam quam preciosa sanguine mundaret et de turpi speciosam faceret. Piscis autem qui ionam vorauit in pelago significat mortem quam dominus pertulit in mundo. Ionas in ventre ceti fuit tribus diebus et tribus noctibus. sic et corpus christi in sepulchro iacuit tribus diebus totidemque noctibus. Et sicut ionas in ventre ceti non permansit sed eiectus est in arida. ita saluatoris nostri anima non est relicta in inferno. nec caro eius vidit corruptionem. sed per gloriam resurrectionis productus est ad arida immortalitatis. Quo exemplo declarat [illegible] iudeos sic quondam niniuite fuerant grauibus peccatis suis obnoxios. et nisi penituerint. subuersioni proximos. Verum sicut niniuitis ita quoque dari et adhuc iudeis tempus penitencie. nec eos debere desperare si vellent penitenciam agere. Oritur porro hoc loco non contempnenda questio quare dicatur dominus tribus diebus et tribus noctibus fuisse in corde terre cum sicut euangelium loquitur. parasceue hora sexta sit crucifixus. et circa horam nonam inclinato capite spiritum emiserit. sabbato in sepulchro quieuerit. et prima sabbati valde diluculo a mortuis surrexerit. Sed hoc sinedochicos accipiendum est. a parte videlicet totum. Nam si partem parasceue cum preterita nocte qua comprehensus est accipias. itemque sabbatum cum sua nichilominus nocte. et rursus noctem dominicam cum eodem die quo illucescente surrexit. inuenies perfecto integrum triduum. et tres noctes. Sciendum etiam quod dupla erat mors nostra in anima videlicet et in corpore. Domini vero mors simpla fuit. quia peccatum quod est mors anime non admisit. sic et eius resurrectio simpla extitit. Dominus autem xxxvi horis iacuit in sepulchro uno videlicet die et duabus noctibus. Duodecim vero hore diei ad xxiiii^or horis noctium simplum ad duplum sunt. Et duodecim quidem hore diurne simplici morti nostri redemptoris conueniunt. xxiiii^or autem hore nocturne ad duplam nostram consentiunt mortem. Magno ergo sacramento una die et duabus noctibus iacuit in sepulchro quia luce simplicis mortis sue tenebris duplicis nostre mortis adiunxit. Veniens enim ad nos qui in morte carnis et spiritus eramus. unam suam id est carnis mortem detulit. et duas nostras absoluit. Simplam suam duplici nostre contulit. et duplam nostram subegit. Viri niniuite surgent in iudicio cum generatione ista et cetera usque plus quam iona hic. Condempnabunt niniuite generationem iudeorum. non potestate sed comparatione correctionis vite. Egerunt enim penitenciam in predicatione ione. Et quia iudei ad predicationem domini non fecerunt. merito illorum comparatione dampnabunt. et ecce plus quam Iona hic. Ionas paucis diebus predicavit, Christus tribus annis. Ionas missus est ad assyrios qui barbari et increduli erant. Christus ad iudeos qui domestici et populus dei esse debuerant. Ille exteris gentibus, iste civibus locutus est. Ionas tantum voce predicavit nullum signorum exhibuit. Christus tot miracula ubique faciens non recipiebatur, sed etiam Beelzebub calumpniam sustinebat. Plus ergo Iona hic, id est in medio vestrum. Hic enim loci adverbium est. Regina austri surget in iudicio cum ista generatione. Et ecce plus quam Salomon hic. Scriptura libri regum refert quomodo regina Saba gente sua et imperii dignitate relicta per tot difficultates itineris venerit in iudeam volens audire sapientiam Salomonis quodque multa munera ei obtulerit, sed et plura recepit. Iuste ergo iudeos in iudicio condempnabit, quia ipsa a finibus terre requisivit eum, quem sapientie singularis domo noverat esse famosum. Iudei secum habentes dominum qui est virtus et sapientia dei patris, non modo eum non audiebant, verum blasphemabant. Regina austri inquit surget in iudicio cum generatione ista. Patet ex hoc loco una bonorum malorumque resurrectio. Cum regina electa dicitur resurrectura cum reprobis. Et ecce plus quam Salomon hic. Hoc est in presenciarum inter vos conversatur qui Salomoni incomparabiliter prestancior est. Ninive in ninivitis penitentibus et electa regina austri fides ecclesie predicatur. et israhelitis prefertur. Ecclesia enim ex duabus partibus congregatur. Altera eorum qui non peccaverunt. Altera illorum qui peccare desierunt. Cum immundus spiritus exierit ab homine, et reliqua usque et non inveniens. Potest quidem simpliciter intelligi quod hoc dominus ad ostendendam distinctionem suorum et sathane operum adiunxerit. quia videlicet ipse polluta mundare velit, sathanas vero ea que mundata fuerint gravioribus sordibus querat contaminare. Convenienter potest de quolibet heretico vel scismatico sive falso catholico non inconvenienter accipi. Immundus namque spiritus exit ab homine quando in baptismo per confessionem fidei catholice et abrenunciacionem mundanorum actuum ab heretico vel scismatico diabolus egreditur. Ambulat per loca arida et inaquosa id est circuit corda sanctorum que ab humore fluxe cogitationis purgata sunt. Querens requiem. id est investigans si quos in eis nequicie sue gressus figere possit. Sed non inveniens. quia in castis et mundis mentibus locum habere non potest sed solum in pravorum cordibus gratam habet quietem. Hinc et ad Iob de diabolo dominus sub specie leviathan dicit: Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus. Quia immundus spiritus in tenebrosis ac simulatricibus conscientiis quiescit, et lascivis ac luxuriosis mentibus delectatur. Tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Hoc est: requiram hereticos quos in baptismo dimisi. Valde autem timendus est hic versiculus, ne forte culpa quam nos dimissam credebamus, per incuriam vacantibus a bonis operibus opprimat. Et veniens invenit scopis mundatam et ornatam. Vel secundum alium evangelistam: scopis mundatam, vacantem et ornatam. Revertens enim malignus spiritus domum, id est mentem talis hominis, invenit scopis mundatam. Hoc est gratia baptismatis a peccatis originalibus ablutam, vacantem a bonis operibus, ornatam simulatis virtutibus. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi. Solet septenarius numerus in sacro eloquio pro universitate accipi, quia omne seculi tempus per septem dies volvitur. Per septem ergo alios nequiores spiritus universitatem omnium viciorum designat. Septem ergo nequiores spiritus ingrediuntur, quia quicumque post percepta in baptismo remissione peccatorum vel heretica pravitate vel seculi cupiditatis arripuerit, omnium servus fiat viciorum. Unde bene nequiores spiritus dicuntur, quia talis cum septem capitalibus viciis plenus sit, ipsas tamen virtutes se habere simulabit. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Quia melius erat viam veritatis non agnoscere quam post agnitionem retrorsum converti. Sic erit et generationi huic pessime. Quibus verbis apte ostenditur hec similitudo specialiter ad iudeos pertinere. Quod inquit specialiter in uno quolibet geri solere narravi, generaliter in hac generatione iudeorum fieri non desinit. Immundus namque spiritus exiit a iudeis, quando in monte Sinai legem accipientes dixerunt: Omnia que precepit dominus faciemus et obedientes erimus. Ambulavit per loca arida querens requiem, quia expulsus a iudeis ambulavit per solitudines gentium que arebant cultu viciorum, et pinguedinem fidei non habebat, quam devotus optabat psalmista dicens: Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. Que cum postea domino credidissent, ille non inveniens locum in eis dixit: Revertar in domum meam unde exivi. Hoc est possidebo iudeos quos ante dimiseram. Et veniens invenit scopis mundatam per circumcisionem. Vacantem, hoc est celesti auxilio deserta, et Christum hospitem non habentem, qui dicit: Relinquetur vobis domus vestra deserta. Ornatam superstitiosis tradicionibus et ypocrisi phariseorum. Revertitur ergo ad eos diabolus. quia tales erant. et addita septenaria omnium demonum plenitudine. habitat pristinam domum. et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Multo enim deteriores sunt nunc iudei xpistum in synagogis suis cottidie blasphemantes. quam erant olim in egypto ydola colentes. Tercius quippe est non suscipere eum qui venit quam non credere venturum. Adhuc eo loquente ad turbas. ecce mater eius et fratres stabant foris. querentes loqui ei/ Occupato domino in officio predicacionis. stabant foris mater et fratres eius querentes loqui ei. Cui quidam nunciavit. Mater inquiens tua et fratres stant foris volentes loqui tibi. Non simpliciter iste hoc domino nunciasse putandus est sed subdole. experiri volens. utrum opere divino affectum carnalium preferret propinquorum. Dominus prudentissime se matrem nosse dissimulat. ut ostendat pocius se cognoscere et amare eos qui per cognicionem spiritus propinqui sunt. quam qui per cognacionem carnis/ Unde sequitur. At ipse respondens. dicenti sibi ait/ Que est mater mea. et qui sunt fratres mei/ Non autem dubius in eterne pietatis respuit officium qui per legem precepit dicens. Honora patrem tuum et matrem. sed dei patris ministeria maternis propensius affectibus. Hinc alibi dicit Qui amat patrem aut matrem super me non est me dignus/ nec condempnit fratres sed cognacioni carnis opus preferendum docet esse predicacionis// Nemo autem turbetur cum audit fratres. quia fratres domini in ewangelio vocantur consobrini eius. filii scilicet marie matertere ipsius. que fertur fuisse mater iacobi minoris. et ioseph et iude. quos et in alio ewangelio fratres domini legimus appellatos. Mysterio mater domini synagoga intelligitur de cuius carne editus est/ Fratres autem populus est iudeorum. Salvatore igitur intus posito. mater eius et fratres stant foris. quia cum iudei in xpistum credere nollent. dum ad eum qui ad illorum salutem missus fuerat intrare per fidem negligerent turba gencium preoccupat ingressa est. et nunc domini sermonibus fruitur et doctrina illius foris stantibus. et circa terrena legis intelligencia et littere custodia diversantibus. quippe quantum ipsis est magis xpistum ad docenda carnalia foras cogunt exire quam ipsi ad discenda spiritualia volunt intrare/ Et extendens manum in discipulos dixit ecce mater mea et fratres mei. Matrem et fratres apostolos dicit in completores paterne voluntatis. qui a deo patre illum missum credebat quippe predicacionibus illius credebant, paratissimo quoque animo intendebant. Nec negavit matrem de qua carnem assumpserat sicut insaniunt Marcioniste et Manichei, qui eum dicunt non habuisse verum corpus sed fantasticum, sed spiritalem propinquitatem carnis pretulit consanguinitati, ut et nos doceret in causa dei nullum de affectione carnis recognoscere. Unde adhuc sequitur: Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in celis est, ipse meus frater et soror et mater est. Cum dominus eum qui voluntatem patris sui fecerit fratrem ac sororem vocat, propter utrumque sexum qui ad fidem colligitur, non est mirum. Valde autem mirum et quesitu dignum est quomodo etiam mater domini dici possit. Nam et discipulos fratres dignatus est appellare post resurrectionem: ite nuntiate fratribus meis. Qui ergo frater est mei credendo et patris voluntatem implendo, quomodo etiam mater fieri possit investigandum est. Sciendum quia sicut quis frater domini efficitur in eum credendo, ita etiam mater predicando. Quasi enim mater quis efficitur cum per cuius predicationem amor domini in proximi mente generatur. Magna dignatio inestimabilis bonitatis inenarrabilis misericordie homini qui servus vocari dignus non erat fratrem domini appellari. Quam quia ex equo propendere non valemus, saltem digne venerari satagamus, omnique industria laboremus ne aliquo vitiorum feditate degeneres et tanto nomine iudicemur indigni. Defendamus nos moribus ad quod nomine vocamur, ne nos non intelligentes honorem divine filiationis comparemur iumentis insipientibus et similes illis simus. Et ut ea que loquimur opere impleamus, illius semper adiutorium nobis adesse poscamus qui cum esset unicus filius dei, propter nos dignatus est esse filius hominis Ihesus Christus dominus noster, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum amen.

Dicebat Ihesus ad eos qui crediderant ei Iudeis: Si vos manseritis in sermone meo vere discipuli mei eritis. Et reliqua.

Loquente ad turbas domino et divinitatis sue mysteria annuntiante, superius sanctus Iohannes evangelista dicit: multi crediderunt in eum. Iam multi in eum non tamen omnes credebant, quia nec dum omnibus predictum fuerat, nec dum in omnem terram apostolice predicationis sonus exierat, nec dum apostolis preceptum erat: ite docete omnes gentes. Ad hos ergo qui in se crediderant loquebatur dominus: Si vos manseritis in sermone meo vere discipuli mei eritis. Iam doctrina spiritali initiati erant, verbi ac ceperunt et ideo dicit: Si manseritis in sermone meo. Hoc est in fide que in vobis credentibus inde capit initium vere discipuli mei eritis/ Discipuli utique bonitatis/ discipuli iusticie et summe veritatis/ Sed quomodo perveniendum est. Nam fides fundamentum est/ Ex hoc fundamento ad quam celsitudinem perficiemus. Cognoscetis inquit veritatem. Veritas inquit Christus est qui dicit. ego sum via. veritas et vita/ Qui ergo veritatem cognoscit. deum cognoscit/ Pensandum ergo quantum sit premium cognoscere illud/ quod nec oculus vidit nec auris audivit. nec in cor hominis ascendit/ Nam fides est quod non vides credere. veritas vero quod credidisti videre/ Hinc ipse alibi dicit/ Qui diligit me diligetur a patre meo. et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum/ Hec ergo premium/ Hanc satietatem nobis in suo sermone permanentibus dominus promittit. quam psalmista exoptabat dicens/ Saciabor. dum manifestabitur gloria tua. Et veritas liberabit vos. Hoc est liberos faciet. ut liberati ab [illegible] seculi. deum qui solus super omnia diligendus est securi ametis. et cum psalmista dicatis. michi autem deo adherere bonum est/ Responderunt ergo iudei ad eum/ Semen abrahe sumus et nemini servivimus umquam/ Non hoc illi dicebant qui crediderant. sed inter eos quidam qui non credebant. quippe cum audissent dominum libertatem sibi promittentem, unde gravati sunt et subditi esse debuerunt inde magis indignati sunt quasi servos eos denotavit. quibus libertatem pollicebatur. Et revera servi erant peccati. a qua pessima servitute non nisi per veritatem liberari poterunt/ Verum illi sola carnis libertate cogitantes. ceperunt se de nobilitate carnis extollere. dicentes semen abrahe sumus. et nemini servivimus umquam/ Stulta et vana superbia. quod de se dicunt. nemini servivimus umquam. Ioseph quippe in egypto servivit de quo scriptum est. manus eius in cophino servierunt/ Hec etiam iudaicus populus in egyptum translatus gravissima servitute. non solum auri et argenti. sed luti et lateris. a pharaone et egyptiis oppressus est. Unde et sepissime illis dominus imputat. quod eos de domo servitutis. et fornace ferrea egipti eduxerit. Et forte dicturi erant patres suos. non autem se servisse. quibus dominus tunc loquebatur. Et quid est quod romanis tributa solvebant. nam hinc domino laqueum calumpnie tetenderant. quando eum in dolo interrogabant dicentes. Licet censum dari cesari an non/ Audiamus iam. quid dominus mentientibus et de vana libertate tumentibus respondeat/ Amen amen dico vobis. quia omnis qui facit peccatum servus est peccati. Amen hebreus sermo. latine verum interpretatur. Est autem si dici fas est iuramentum domini. Quod verbum solus ewangelista iohannes legitur subinde iterasse et apud omnes itidem invenitur interpretes. nec ab ullo in aliam translatum est linguam propter honorem et reverentiam dominici sacramenti. Ingeminat vero amen amen ut ipsa iteratione attentos faciat audientes. Sententia hec cum magno timore audienda est. Quis enim non contremiscat. quod dominus dicit. omnis qui facit peccatum. servus est peccati. Nam quis est homo qui se audeat dicere peccatorem non esse. Si ergo omnis homo peccator. utique omnis homo servus peccati. Miserabilis plane condicio servum esse peccati. servum et diaboli qui est auctor peccati. Et homines quidem servi. plerumque duros et iniquos dominos fugiunt. fugiendo requiescunt. Servus vero peccati quo fugiat non habet. Sequitur enim iudex consciencia. ac semper ei inheret excrucians eum. nec vel ad modicum cessat gravissimis exagitare stimulis. quos subministrat recordacio peccatorum. Cum ergo omnis qui facit peccatum. servus est peccati. que potest spes super esse libertatis. Sed audivimus dominum terrentem. audiamus etiam consolantem. Ita enim timorem incutit. ut afferat securitatem. Nam sequitur. Servus autem non manet in domo in eternum. filius manet in eternum. Domus dei est ecclesia dei. Apostolus enim fidelibus loquitur dicens. Templum dei sanctum est. quod estis vos. Servus ergo peccati non manet in domo in eternum. quia qui manet in peccato non permanet in ecclesia. Ecce aperte ostendit. quale vero est peccare. aliud esse servum peccati. Nemo enim potest non esse peccator. sed potest non esse servus peccati. Amare enim peccatum. hoc est servum esse peccati. Servus vero non manet in domo in eternum. quia et si mali intus videantur esse positi. iam tamen in dei cuncta cernentis presencia ab ecclesia proiecti. et novissime in die iudicii ab electorum societate segregati ad sinistram sunt statuendi. Omnis quisque ergo qui se recognoscit servum esse peccati. studeat abicere iugum durissime servitutis. Credat in filium dei. obtemperet preceptis filii dei. ut possit et ipse effici filius dei. Hanc enim gratiam dedit suis credentibus et se diligentibus unicus filius dei. ut ipsi quoque mererentur fieri filii dei. Si ergo filius vos liberaverit. vere liberi eritis. Hec est vera spes. ut a libero liberemur. et liberati a peccato. servi christi efficiamur. liberati a cupiditate. servi efficiamur caritatis. Hec vera et libera est libertas deo christo servire. ipsum qui diligere. qui nos de servitute tenebrarum eripuit. vocavit in libertatem glorie filiorum dei. Sed iudei carnis sue nobilitate superbientes dedignati sunt fieri liberi cum cent servi peccati. Ideo consequenter ait eis dominus. Scio quia filii abrahe estis. Ac si diceret filii quidem abrahe estis secundum carnem, sed non estis filii abrahe per imitationem. Agnosco in vobis originem carnis, sed non agnosco fidem. Sed queritis me interficere. Ecce unde degeneres. Ecce unde filii non abrahe. Queritis inquit me occidere. Quod certe nunquam cogitaretis si filii abrahe essetis. Quia sermo meus non capit in vobis, id est non habet locum in cordibus vestris. Non inquit capit in vobis, hoc est non recipitur a vobis. Si enim caperetur a vobis, caperet utique vos. Ego quod vidi apud patrem meum hoc loquor. Quid viderat Christus apud patrem? Veritatem vidit. Si ipsum utique vidit, quia ipse est verbum quod erat in principio apud deum. Veritatem ergo vidit apud patrem, veritatem loquebatur in mundo, quia se et deum patrem annunciabat mundo. Et vos que vidistis apud patrem vestrum facitis. Quid facerent superius eis exposuerat. Queritis inquit me occidere. Sed hoc apud habraham non viderunt, quem amicum fuisse dei scriptura testatur. De quo ergo nunc predicat cuius opera facerent iudei, in sequentibus apertissime manifestabit. Dicturus est enim patrem eorum esse diabolum, non quod ab eo geniti aut creati essent, sed tamen filii eius erant in quantum mali erant. Filii eius erant utique per imitationem, non per creationem. Cum apud hunc patrem viderant opera que faciebant, imitatores diaboli facti erant, cum non solum nollent filium dei recipere, verum etiam meditarentur occidere. Responderunt et dixerunt ei: Pater noster abraha est. Tu inquiunt arguis nos facere opera patris nostri? Certe pater noster abraha est. Quasi ut aliquid possis dicere contra abraha, aut in aliquo ~~respondere~~ reprehendere. Sed dominus non de abraha dicebat, quia abraha non fuit talis qui reprehenderetur, sed qui potius a domino laudaretur. Sed isti eum provocabant ut diceret aliquid contra abraham, quatinus possent in eum vindicare tanquam inimicum abrahe. Sed audiamus quid eis dominus responderit. Abraham laudans, istos vero dampnans. Si filii abrahe essetis opera abrahe faceretis. Nunc autem queritis me occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a deo. Hoc abraham non fecit. Iudeis abraham patrem iactantibus et ex hac calumpniam domino struentibus, non respondit dominus quod illi audire nolebant. Non enim dixit: Ego dominus sum abrahe. Sed si diceret verum certe diceret. Sed noluit illis locum calumpnie dare. Interim quod videbat quod eum plus modo reputabant, dominus hominem se appellavit. Ait ergo: Si filii abrahe essetis opera abrahe faceretis, id est sicut me amaretis sic de mea presentia gauderetis. Sic abraham. qui exultauit ut uideret diem meum. et uidit et gauisus est. Nunc autem probatis uos non filios esse abrahe. quia queritis me interficere. hominem qui ueritatem locutus sum uobis. Veritatem illis loquebatur cum se et patrem illius annunciaret. et hanc ueritatem a deo audierat. quia ipse qui est ueritas a deo patre genitus erat. Audire enim illi nichil est aliud. quam esse a patre. Queritis inquit me interficere. Hoc abraham non fecit. Ergo eius filios uos non esse conuincitis. dum ei contraria opera agitis. Quia enim dixerat Scio quia filii abrahe estis. probas in illis originem carnis abrahe. Multo enim melius christiani dicuntur filii abrahe imitatores fidei et operum abrahe. quam iudei quorum carne ille erat. uita autem non erat. Vos inquit facitis opera patris uestri id est diaboli. quia ille ab inicio homicida est. et uos sequaces eius queritis me interficere. Dixerunt itaque ei. Nos ex fornicatione non sumus nati. unum patrem habemus deum. Tacentes nobilitatem generis abrahe proferentes. tacentesque conuicti quod non essent filii abrahe. tandem ceperunt intelligere dominum non de carnis generacione. sed uite similitudine. morumque imitacione dicere. Quasi enim ad inuicem loquebantur. Quociens nominauerimus abraham dicturus est. quare non illum imitamini. de cuius genere gloriamini. Dicamus deum patrem nostrum. et uideamus quid nobis respondeat. Nos autem ex fornicacione non sumus nati. Legerat in scripturis fornicacionem spiritalem appellari ydolatriam. per quam misera anima demonibus quasi prostituta subiacet. Idcirco dixerunt. Nos ex fornicacione non sumus nati. Iactant ergo se quod semper deum coluerint. quemque ipsi suum unigenitum filium appellauit. Sed audiamus quid illis responderit. Si deus pater uester esset. diligeretis utique me. ac si diceret. Iactatis uos deum habere patrem. agnoscite me uel sic. Et si non dominum me ut deum aut dei filium ueneramini uultis. saltem me ut fratrem diligitis. Ego enim ex deo processi et ueni. Processio ista eterna est et ineffabilis absque tempore. qua filius processit a patre ut deus. ut equalis. ut filius. et uerbum patris. Processit ex deo et uenit. quia uerbum quod erat in principio. caro factum est et habitauit in nobis. Venire enim humanitatis est. sic manere diuinitatis. Processit ex patre et uenit. quia a patre in mundum missus. sicut ipse dicit Non enim a me ipso ueni. sed ille me misit. Que missio utique incarnacio intellegenda est. Quare loquelam meam non agnoscitis. quia non potestis audire sermonem meum. Quare sermonem eius audire non poterant. nisi quia in eum credere. et a sua impietate corrigi nolebant. Adhuc quare non poterant audire. quia filii diaboli elegerant manere. Unde sequitur

Vos ex patre diabolo estis. Filios diaboli dicit Iudeos non nascendo sed imitando. Nam consuetudinis est sacre scripture ex imitatione vel similitudine filios appellare. Unde quod Ezechiel propheta loquitur ad Iudeam: Pater tuus Amorreus et mater tua Cethea. Quia enim Iudei imitati fuerant impietates Amorreorum et Ceteorum, ut parentes illos habuisse dicantur de quibus nascerentur, et cum quibus in similitudine sceleris damnarentur. Omnis ergo homo in quantum a deo creatus est bonus est, in quantum vero per liberum arbitrium peccando se subicit diabolo, patrem habet diabolum. Nam et ipse diabolus in quantum naturalem habet substantiam, et in quantum creatus est a deo, factus est et bonus est. In quantum vero superbiendo et malefaciendo prolapsus est, diabolus factus est et malus est. Diabolus enim interpretatur deorsum ruens. Ait ergo dominus Iudeis diaboli imitatoribus: Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri perficere vultis. Que erant desideria patris illorum? Audistis autem: queritis me occidere. Hec enim sunt desideria diaboli, quia et ipse invidit homini et occidit. Nam Evam per serpentem seduxit, et per illam decepit virum. Sic quoque occidit eum, quia constitutum fecit peccatorem, ex immortali fecit mortalem. Ille inquit homicida erat ab initio. Diabolus contra primum hominem non ferro armatus, sed letifera persuasione armatus venit, nec cum gladio sed verbo necavit. Omnis ergo qui alteri homini mala persuadet, dum illud ad peccatum pertrahit, occidit. De talibus psalmista dicit: Filii hominum dentes eorum arma et sagitte, et lingua eorum gladius acutus. Et in veritate non stetit, quia prolapsus est a veritate, non voluit permanere in sue originis sanctitate. Factus enim fuerat ad imaginem et similitudinem dei, sed superbiendo retinuit quidem imaginem, quia non perdidit naturam immortalitatis, dimisit veritatem similitudinis, quia constituto et bono angelo diabolus in ipso et malus factus est. De quo adhuc subditur: Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est. Et pater eius subauditur mendacii. Diabolus a semetipso mendax fuit, et ipse genuit mendacium suum. Ideo cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia a nemine prius audivit et didicit mendacium. Et ideo mendax est et pater mendacii, sicut deus verax pater est veritatis. Et quare mendax est? Quia in veritate non stetit. Hec enim in deo non mansit, quia deus est veritas. Nam et homo quia et ipse a veritate declinavit et peccando a deo discessit mendax vocatur. Psalmista dicente: Omnis homo mendax. Et quia homo a diabolo deceptus et mendax effectus fuerat, ideo filius diaboli erat non natura ut dictum est sed imitatione. Quis ex vobis arguet me de peccato. Qui enim ipse eos redarguerat de eorum peccato, dat eis optionem ut si possint ipsi quoque eum de suo peccato reprehendant. Et considerandum quanta sit humilitas nostri redemptoris. Ad relaxanda hominum peccata venerat et tamen non dedignatur ostendere se peccatorem non esse, qui ex potentia divinitatis poterat peccatores iustificare. Si veritatem dico quare vos non creditis mihi. Veritas Christus est. Et quid aliud veritas quam veritate loqueretur. Veritate loquebatur cum diceret: Ego ex deo processi et veni. Quare vos non creditis mihi. Quare nisi quia ex parte diabolo estis et in parte mendacii permanere elegistis. Qui est ex deo verba dei audit. Audire verba dei est preceptis illius que per scripturas suas loquitur obedire. Proinde si verba dei audit qui ex illo est et audire verba eius non potest quisquis ex illo non est, interroget se unusquisque utrum verba dei aure cordis perceperit et intelligit unde sit. Iubet enim deus celestis patria desiderari, carnis desideria conteri, mundi gloriam fugere, aliena non rapere, propria largiri. Hanc dei vocem si quis in suo cordis aure convaluisse cognoverit, gaudens cognoscat quod ex deo sit. Sed quid non inmemorare dici potest. Sunt nonnulli qui verbum dei nec aure quidem corporis percipere dignantur. Quid isti aliud nisi patenter indicant quia membra diaboli sunt, et in cuius sorte potius quam in dei permanere elegerunt. Cotidie dominus per scripturas suas clamat, nobisque ut perituri mundi oblectamenta fugiamus et ad ea que finiri nesciunt perennium honorum gaudia mentibus desiderio transeamus invitat. Studeamus ergo ne vocantem et admonentem si qui ne si modo loquentibus verba contempnimus, eundem iudicem in maiestate venientem ab illo quasi ignoti et alieni contempnamur. Qui potius eum omni puritate audire et preceptis eius obedire festinemus, quatenus ab eo in beatam patriam tribus mansionem recipi mereamur, prestante domino nostro Jhesu Christo.

rat dies festus iudeorum et ascendit Jhesus Iherusolima. Et reliqua.

n ewangelica lectione quam modo audivimus duo nobis miracula recitata sunt. Unum visibile per angelicas administrationem patratum. alterum per divinam presenciam invisibiliter exhibitum. Ergo utriusque nobis sunt breviter exponenda misteria. Erat inquit evangelista dies festus iudeorum. et ascendit ihesus iherusalem. Quia enim deus pro hominibus homo factus erat. cum hominibus solempnitates dei lege constitutas celebrat. Erat autem iherusalem probatica piscina que cognominabatur hebraice bethsaida. quinque porticus habens. et cetera usque expectancium aque motum. Probatica grece. latine dicitur pecualis. probaton quippe dicitur ovis. Et piscina illa probatica vocatur. quia ibi sacerdotes hostiarum quas in templo dei immolabant cadavera abluebant. Mystice probatica piscina que quinque porticibus cingebatur. significat populum iudeorum legis custodia undique ne peccare deberent munitum. Quinque enim porticus legem que in quinque libris moysi continetur insinuat. Et bene ipse populus per aquam signatur piscine. quia sicut aqua piscine nunc placidis ventis stare. nunc eisdem ventis irruentibus turbari solet. ita ille populus in quibusdam vite mundicia servare in quibusdam immundorum spirituum solebat temptacionibus agitari. Apte quoque eadem piscina probatica vocatur quia nimirum erant quidam in illo populo qui merito simplicis et innocentis vite deo placere et cum psalmista dicere poterant. nos autem populus tuus. et oves pascue tue. Multitudo languencium que in memoratis porticibus iacebat aque motum expectans. designat eos qui legis verba audientes hanc suis viribus implere non possent dolebant atque ideo divine gracie auxilium totis animi affectibus expetebant. Iacebat inquit ibi multitudo cecorum. claudorum. aridorum. Ceci erant qui nec dum fidei lumen non habebant. Claudi qui bona que agenda erant noverant. sed adimplenda ea bonorum operum gressibus assurgere non valebant. Aridi qui oculum quidem sciencie habent. sed spei et dilectionis pinguedine egent. Tales in quinque porticibus iacebant. sed non nisi angelo in piscinam descendente sanari poterant. quia per legem cognicionem peccati. graciam vero remissionis non nisi per christum poterat dari. Quem recte designabat angelus. qui invisibiliter descendens in piscinam aquam movebat. eique vim sanandi suggerebat. Motus enim aque passionem domini que turbata gente iudeorum facta est insinuat. Descendit ergo carne indutus. hic magni consilii angelus id est paterne voluntatis nuncius in piscinam populi iudeorum. Movit ergo illos miraculis et doctrina sua ut eum morte crucis afficeret. quod genus humanum non solum a languoribus peccatorum sanare, sed etiam ab ipsa morte eterna sufficeret liberare. Descendentibus ergo in aquam piscine turbatam sanabantur, quia per passionem domini quam motus aque designat, redempti sumus de maledicto legis. Lex siquidem moysi, que quid agendum quidve cavendum esset docuit, neminem tamen ad perfectum adduxit, et quasi eductas de sedibus ignorancie prorsus in porticibus continebat languidos, nec tamen sanabat. Gratia autem et fides dominice passionis sanat omnes infirmitates iniquitatum nostrarum, et quasi eiectos de porticibus in aquam piscine turbatam immittit, quia peccata que lex ostenderat per aquam baptismatis abluit modo quod apostolus dicit: Quicumque baptizati sumus in christo ihesu in morte ipsius baptizati sumus. Notandum vero nobis est quod dicitur quia qui primus descendisset in piscinam post motionem aque sanus fiebat a quocumque languore detineretur. Unus in qua ergo tanta languencium multitudine sanabatur, quia unus deus, una fides, unum baptisma. Quicumque ergo in unitate catholice fidei misteriis christi in baptismo imbuitur, ab omni prorsus peccatorum languore sanatur. Qui vero ab unitate sancte ecclesie discrepat, salutem que ab uno et unius est habere non meretur. Hiis de primo miraculo quod per angelum invisibiliter fiebat premissis, nunc de sequenti quod per verum angelum christum ipsum visibiliter patratum est paucis loquamur, quo etiam similiter unus sanatus est. Poterat quidem dominus omnes qui ibi erant infirmos sanare, sed unum tantum certi causa misterii sanare voluit, ut perfecto ostenderet preter ecclesiam non locum patere salutis. Erat ibi homo xxx et octo annos habens in infirmitate, et ad iussum sustulit grabatum suum et ambulabat. Sanaturus dominus infirmum diuturno languore tabescentem interrogavit utrum vellet sanus fieri, non quo eum velle ignoraret, sed ut eum ad maius sanitatis desiderium accenderet, qui iam longa decubitione pene salute desperaverat, nec saltem pro sua restauratione rogare noverat. Unde et ille causam impossibilitatis cepit ostendere et conqueri quod hominem non haberet qui eum post motum aque in piscinam mitteret. Dominus languentibus ministratus in humilitate, pie quod in sua simplicitate dixit illi: Surge tolle lectulum et ambula. Ille continuo recuperatis viribus etiam dudum amissis pristinis recens robur tulit in quo iacebat et abiit in domum suam. Iuxta spiritalem intelligenciam homo iste multorum annorum infirmitate detentus designat peccatorem multorum et gravium scelerum numerositate depressum. Nam et ipse tempus quantitas quo languidus decubabat. Huic significationi congruit. Nam triginta et octo annos in infirmitate habuisse dicitur. duo minus habens numero de quadraginta. Quadragenarius autem numerus qui de denario quater ducto consistit perfectionem recte operationis in scripturis accipi solet. Ille enim recte vivit qui decalogum legis per quatuor sancti evangelii libros implere studuerit. A qua perfectione duo minus habet quisquis dilectionem dei et proximi quam lege et evangelio precipue scripta commendat servare neglegit. Quod et dominus signanter expressit qui sanaturus infirmum precepit dicens. Surge tolle lectum tuum et ambula. Lectus autem proximus intelligitur qui nobis in corporis vel animi infirmitate solatium exhibuit. Quem sanati portare precipimur ut ei quoque in suis necessitatibus adiutorium subministremus. Ait ergo dominus ei quem sanabat Surge tolle lectum tuum et ambula. Surge inquit. viciorum torpore quo diu sustinuisti languores excute et ad exercicium virtutum erige. Tolle lectum tuum porta proximum tuum. eius infirma pacienter tolerando. a quo et diu multumque tu adhuc sub gravi fasce temptationum generis sustentatus. Huic et apostolus dicit Alter alterius onera portate. Ambula vero. cottidianis bonorum operum profectibus de virtute in virtutem progredere. Surge. peccata relinquendo. tolle lectum tuum. fratri succurrendo. Ambula superna patria desiderando. et advidenda creatoris facie festinando. Erat autem sabbatum in illa die. Dicebant ergo iudei ei qui sanatus fuerat. Sabbatum est non licet tibi tollere grabatum tuum. Mira et vehementer stupenda perfidorum demencia. Cum enim ad eam inopinata hominis diu languentis sanitate credere. et divina potencia laudare debuerant. econtra scandalizantur. et salvatorem pariter et quem salvavit calumniabantur. Salvatorem quidem quod die sabbati hominem curasset. lectum suum tollere precepit. Salvatum vero reprehendunt. quia sabbato grabatum portavit. Dicebant ergo ei qui sanatus fuerat. Sabbatum est non licet tibi tollere grabatum tuum. Legis literas sollicitissime defendebant ignorantes dispensationem domini salvatoris. qui iam legem quondam per servum dederat. Hic nunc per semetipsum veniens. eandem legem in gratiam sancti evangelii mutare disponebat. ut quanta nos littera carnaliter a carnalibus observabatur. Deinceps spirituales spiritualiter observandum suscepere/ Denique die septimo populus ab omni opere servili vacare preceptus fuerat/ Spiritualis vero sabbati observatio est in luce spiritus septiformis gratie sancti/ Ab omni peccato quod vere servile opus accipitur. non una die sed omni vite nostre tempore feriati et preceptum nec solum a servilibus operibus abstinere sed etiam bonis operibus insistere velimus. Quod et in huius hominis sanatione liquido monstratum est. cum dominus eum quem a languore liberabat. non solum surgere verum etiam lectum suum tollere precepit. videlicet aperte insinuans. eos qui volunt a viciorum tabe surgere. discusso torpore negligentie cum firma caritatis pignore ad visionem sui conditoris debere properare. nec malorum contradictionibus seu persecutionibus a cepto bonorum operum studio absistere. Ita et homo iste a iudeis contradicitur. cumque in lectum ferret prohiberent dicentes. Sabbatum est non licet tibi tollere grabatum tuum. non ideo lectum deposuit. sed fiducialiter ceptis insistens respondit/ Qui me sanum fecit ille mihi precepit tolle grabatum tuum et ambula/ Illius potius volens obtemperare mandatis a quo sanatus fuerat. quam illorum falsi religionem cedere. qui eius sanitati et domini gloriam invidebant/ Et interroganti eum quis est ille homo qui dixit tibi tolle grabatum tuum et ambula/ Ille autem. ut euangelista ignorabat quis esset. Iam salvatus erat/ sed adhuc salvatorem suum ignorabat. Dignus tamen erat cui se salvator ostenderet cuius imperio sic devotus obtemperasset/ Ihesus autem declinavit a turba constituta in loco/ Declinavit inquit a turba constituta. Dum nos eos deserendo auxilio munivit tue virtutibus obstinata malicia conabantur resistere/ Postea invenit illum ihesus in templo. et dixit illi Ecce sanus factus es/ Per hoc quod ihesus qui sanatus fuerat ihesum non in turba sed templo cognoscit. insinuat nobis scilicet. ut si gratiam conditoris nostri cognoscere. et ad eius visionem desideramus pervenire. fugiamus turbas cogitationum. et affectuum pravorum. Declinemus sollicite conventicula hominum impiorum. qui bonum nostrum propositum vel mala exempla demonstranda vel iniqua opera deridendo aut etiam prohibendo conantur impedire/ Confugiamus devoti ad templum dei ubi illi de preceptis suis crebrius gratias agere ac percipiendis quoque orare satagamus. ut nos quoque templum dei in quo misericorditer venire et mansionem facere dignetur preparare curem. Attendere autem debemus quid ad sanatum dominus dicit. Ecce sanus factus es. Quibus verbis ostenditur quod propter peccata sua languebat. nec enim illis dimissis sanari potuerat. Verendum nobis est quod dominus qui eum sanavit exterius ab infirmitate. intus etiam absolvit a scelere. Unde et eum dominus caute premonuit ne ulterius peccaret ne iterum peccando gravioris sententia dampnacionis mereretur. Non autem semper propter sola peccata datur hominibus infirmitas. Quinque enim modi a sanctis doctoribus deprehensi sunt. quibus infirmitas hominibus contingit. Aliquando enim datur infirmitas hominibus pro gloria dei manifestando. sicut illi ceco nato et sic lazaro. de quo dominus dixit. Infirmitas hec non est ad mortem. sed ut glorificetur filius dei per eam. Nonnumquam ad probacionem et virtutum augmentum. sicut beato iob et tobie. qui cum in flagellum fuerint constituti. sanctiores ex flagello et probaciores apparuerunt. Datur plerumque infirmitas ad custodiam virtutum. sicut beato paulo apostolo. Datur pro peccatis infirmitas hominibus ob delicti castigacionem sicut huic qui triginta et octo annis decubuerat languens et sic illi paralitico cui dominus dixit. confide fili dimittuntur tibi peccata tua. De qualibus dicitur. Flagellat deus omnem filium quem recipit. Quintus modus reproborum est quibus datur infirmitas. ut hic torqueri incipiant et per hec tormenta temporalia transeant ad eterna. quemadmodum contigit antiocho et herodi in quibus impletum est quod scriptum est. duplici contricione contere eos. Quocumque ergo modo divina providencia nos iubeat infirmari. discamus sub flagellis pii patris humiliter subdi et iudicia illius iustissima venerari. arbitrantes nos minus quam meremur sustinere. illius sententie memores. Beatus homo qui corripitur a deo. Hoc enim agentibus et in presenti de eius verbere proficere. et in futuro ad eternam requiem post flagella merebimur pervenire prestante domino nostro ihesu christo

Post dies sex. assumpsit ihesus petrum et iacobum et iohannem fratrem eius. Et reliqua.

Paulo superius premissum est a beato matheo evangelista. quia cum dominus discipulis multa de sua passione dixisset. eosque ad sequenda sua vestigia ad contempnenda mundi prospera prolixius hortatus fuisset. atque ad ultimum filium hominis in gloriam patris cum angelis venturum promisisset tandem aliquando subiunxit et ait. Amen dico vobis sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem. donec videat filium hominis venientem in regno suo. Continuoque subiungit evangelista matheus/ Post dies sex corporaliter quam promissa sue assumpsit ihesus petrum et iacobum et iohannem fratrem eius/ Quia enim promiserat quosdam discipulis non ante mortem gustaturos quam eum glorificatum viderent/ Dignatus est hoc non post multos dies implere coram discipulis. quos ad hoc videndum dignos iudicavit transfiguratus/ Quod nimirum pia provisione gestum est. ut contemplacione sempiterne glorie. tamen et si ad breve momentum. et in transitu perspecta fortiores contra mundi adversa redderentur/ Ipso autem pariter unde quod lucas evangelista. hoc non post dies sex. sed post dies octo factum commemorat dicens. Factum est post hec fere dies octo/ Queritur ergo quomodo veritati possit congruere quod matheus et marcus post sex dies. et lucas post octo discipulos assumptos dicat a domino. Sed facilis patet esse solucio. quia matheus et marcus medios tantum ponunt dies. lucas vero primum quo hoc dominus promisit et ultimum quo sua promissa complevit/ Et ideo circumspecto absolute post dies octo. sed temperantius loquens. fere ait dies octo/ Utrumque autem fulget sacrati racione misterii/ Nam matheus significat post sex seculi etates. sanctis omnibus ab omni labore esse quiescendum. lucas vero octava innuit resurgendum. Cui illud quoque congruit. quod sexti psalmi exordium est/ Domine ne in furore tuo arguas me. pro octava scilicet. Quia nimirum post sex huius seculi etates peractis et bonis operibus est insistendum. ne in octava a iusto et districto iudice corripiamur/ Hoc etiam ipse ipse dominus voluit demonstrare. qui secundum lucam ut in monte oraret ascendit/ In monte namque oraturus ascendit. et sic transfigurandus ascendit ut ostendat eos qui futuram resurrectionem expectant. qui deum mundo placatum videre desiderant. mente in celestibus habitare. et assiduis precibus debere insistere/ Tres vero tantum discipulos assumpsit quibus gloriam sue transfigurationis ostenderet. quia videlicet qui hic fidem sancte trinitatis incorrupta mente servaverint. tunc beata eius merebuntur visione letari/ Et pauci assumuntur. quia ut alibi dicit. multi vocati pauci electi. Bene autem cum dixisset duxit illos in montem excelsum addidit seorsum ut ostenderet sanctos. et in presenti quamvis malorum iniquis et pravis mentibus permaneant. animo tamen ab illis esse sequestratos. et in futuro plenius esse separandos. Cum eos abscondet in abdito faciei sue a conturbatione hominum/ Et transfiguratus est ante eos/ Transfiguratus dicitur non de[illegible] tare pristina cum forma amisisse uel abiecisse corporis ueritatem ut spirituale uel aerium assumeret / Transfiguratus est enim non substanciam ueri corporis amittendo. sed gloriam future resurrectionis in se ostendendo. Nam qualis tunc apostolis apparuit. talis post iudicium omnibus electis apparebit. Impiis autem in iudicio in forma serui quam pro nobis suscepit bonis simul et malis uidebitur ut uideant in quem compunxerunt / Videbunt enim iudei quem negauerunt. milites qui crucifixerunt herodes et pylatus qui iudicauerunt. postremo omnes reprobi qui eum contempserunt. Et resplenduit facies eius sicut sol. uestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix / Alibi dominus de electis dicit. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum / Quod ergo de domino dicitur. resplenduit facies eius sicut sol. non est putandum quod domini et sanctorum eius similis possit esse gloria maxime cum apostolus dicat. Stella autem ab stella differt in claritate sic et resurrectio mortuorum / Sed nichil sole splendidius uidere solimus. et ideo circa dominum et sanctorum in resurrectione gloria solis claritati comparatur. quia clarius sole aliquid unde exemplum daretur. minime poterat inueniri / Qua de re uestimenta quoque domini sicut nix alba fuisse dicuntur. quia nunc candidius nichil cui uestimentum domini assimularet euangelista potuit reperire. Per faciem uero domini que sicut sol resplenduit. diuinitas illius intelligitur. quia scriptum est caput christi deus in qua pro certo in iudicio ab electis uidendus est / Per uestimenta autem domini recte sancti accipiuntur. apostolo teste qui dicit / Quicumque baptizati estis in christo christum induistis / Hec uestimenta eo in terris consistente despecta utque aliorum similia uidebantur. sed domino monte ascendente nouo candore refulgent. quia ut Iohannes dicit. nunc filii dei sumus. et nondum apparuit quid erimus / Scimus quia cum apparuerit. similes ei erimus. uidebimus enim eum sicuti est / Vnde bene de eisdem uestimentis domini per marcum dicitur quod facta sunt candida nimis sicut nix qualia fullo non potest facere super terram. Quis enim iste est fullo. nisi ille quem psalmista precatur dicens. Amplius laua me ab iniquitate mea. et a peccato meo munda me / Sed hic fullo id est dominus mundator animarum nequaquam potest fidelibus suis tam clare claritate in terris dum adhuc mortali carne circumdati sunt. quanta eis conseruatur in celis / Nemo enim est qui sine attactu alicuius peccati sup tram viuere possit. Potest etiam in illo aliquis doctor et animarum emundator ~~carnis~~ corporibus intelligi, qui tamen non potest porcia maculis carere peccatorum, nec aliorum tias doctrina et predicacione mundare. Sed quod iste non potest facere, ipse tamen deus faciet in celo, qui etiam suam emundabit ab omni inquinamento carnis et spiritus, insuper et eterne beatitudinis luce faciet resplendere. Et ecce apparuerunt illis Moyses et Helyas cum eo loquentes. Quales apparuerint vel quid cum domino locuti sint, Lucas euangelista manifestat dicens: quia erant Moyses et Helias visi in maiestate et dicebant excessum eius quem completurus erat in Iherosalem. Mystice vero Moyses et Helyas legem et prophetas significabant, que dominum oraculis et simbolis ac signis, unde simbolum signum militare dicitur, passurum ac resurrecturum predixerunt. Et hinc Moyses et Helyas cum domino transfigurato in monte videntur, quia lex et prophetia in domino completa et nunc quibuscumque fidelibus et doctis patent et in futuro manifestius reuelabuntur. Quid vero in maiestate visi dicuntur, quia videlicet magna veritatis sublimitate scripturarum diuinarum sensus et sermo prolatus est. Possumus quoque in Moyse et Helya omnes sanctos qui cum domino regnaturi sunt accipere. Nam per Moysen, qui mortuus est et sepultus, designantur sancti qui ab initio mundi usque ad tempus iudicii defuncti et in ipso iudicio resuscitandi sunt. Per Helyam vero, qui necdum mortis debitum soluit, illi intelliguntur qui in aduentu domini in carne viui inueniendi sunt. Qui vtrique uno momento rapientur Christo obuiam in aera, moxque peracto iudicio ad vitam introducentur eternam, et sic semper cum domino erunt. Quid vero in maiestate visi dicuntur, quia sancti insigni munere a domino sunt coronandi. Quod vero excessum eius dicebant quem completurus erat in Iherusalem, significat hoc omnes sanctos dominum in sempiterna laudaturos, qui pro eorum salute pati dignatus est. Quanto quippe eius amplius recordabuntur, tanto amplius eum deuota confessione laudabunt. Quod cum videret Petrus dixit: Domine bonum est nos hic esse etc. et cetera. Magna felicitas summaque beatitudo est visionem omnipotentis dei inter angelorum choros adesse, hinc illud in circumscriptu carnis nec iam mortem vel morti annexa supplicia formidare, quin pocius de eterna incorrupcione et immortalitate gaudere. Ad hanc talem tantamque beatitudinem beatus Petrus se putabat peruenisse, ideo quod dicebat: Domine bonum est nos hic esse etc. Si vis faciamus hic tria tabernacula, et cetera. Multiplici beatus Petrus errore detentus fuerat. Primo quidem quia oblitus erat sibi regnum a domino non in terris sed in celis esse promissum. Secundo quia putabat se et coapostolos suos adhuc mortali carne circumdatos immortalis vite statum posse subire. Tercio quia volebat servos domino conferre, cum similiter dicebat Moysi et Helye tabernacula facienda quomodo Christo dicens: Si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Helye unum. Humano enim timore correptus nesciebat quid diceret, sicut alius ewangelista testatur. Iusticie tamen sui affectus dat indicium. Unde et dominus ad eius suggestionem non respondit, ostendens non quidem improbabile esse sed inordinatum quod cupiebat, cum utique salvari mundus nisi per Christi passionem non posset. Si vis inquit faciamus hic tria tabernacula. Valde errabat beatus Petrus qui in illa superne civitatis conversatione domum manufactam requirebat ubi nullus aura adustatis metuenda remanebit. Divine visionis luce omnia tuta pacificata. Unde quod beatus Iohannes in apocalypsi eius superne Ierusalem templum describens dicit: Et templum non vidi in ea. Dominus enim omnipotens templum illius est et agnus. Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos. Qui materiale tabernaculum edificare volebat nube lucida obumbratus est, ut aperte daretur intelligi se post resurrectionem non domorum tegmine sed spiritus sancti gloria protegendos. De quo psalmista dicit: Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Et ecce vox de nube dicens. Quia beatus Petrus imprudenter interrogaverat, non ei dominus respondit, sed vox patris de nube procedens pro filio testimonium dicit, que ipsum Petrum et in Petro ceteros apostolos sublato errore doceret veritatem. Hic est ait filius meus dilectus et cetera. Hic est filius meus dilectus, huic tabernaculum figere, huic obtemperare debetis. Hic est filius meus, Moyses vero et Helyas servi sunt, quibus non debetis tabernacula facere, sed ipsi vobiscum in suis cordibus debent domino habitaculum preparare. Et notandum quod deus qui primo hominem peccantem dixerat: Penitet me hominem fecisse super terram, in filio suo sibi beneplacitum fuisse dicit, quem suscepto homine ab omni peccato immunem esse cognovit. Ipsum audite. Hic locus concordat cum verbis Moysi quibus incarnationem dominicam pronuncians dixit: Prophetam vobis suscitabit dominus deus de fratribus vestris tamquam me, ipsum audietis iuxta omnia que preceperit vobis. Quem ergo Moyses cum venerit ab omnibus audiri debere premonuit. Hunc

Deus pater iam veniente in carne suum filium ex voce celitus emissa signavit. eumque discipulis audiendum ostendit. Hic est inquit filius meus dilectus / Ac si aperte dicat / Hic est ille quem vobis moyses iste sepius in mundum nasciturum predixit. Nunc ergo ipsum pre preceptum moysi audite et omnes qui salvari volunt eum auscultare monete. Et notandum quod sicut baptizato domino in iordane. sic etiam eo in monte clarificato tocius sancte trinitatis misterium declarat / Nam deus pater sonat in voce. filius apparet in transfigurato homine. spiritus sanctus ostenditur in lucida nube / Trinitatis ergo misterium in transfiguratione christi ostensum est. quod in mira gloriam sancte trinitatis quam credentes in baptismo confitemur in resurrectione videbimus / Nec vacat quod spiritus sanctus qui in baptismo domini in specie columbe apparuerat in eius transfiguratione apparuit in lucida nube. quia qui hic nunc fidem quam percepit simplici corde custodire satagit illic aperta luce quod crediderat intuebitur. eiusque lucis qua illustrabitur gratia in perpetuum protegetur. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde / Hec sentencia qua de moise et helia sub argumentacionibus affirmatur non facile scripturarum testimonio roboratur / Humane fragilitatis familiare est ut altiora si videns expavescat. et destituta corporis viribus ad terram decidat. Cum ergo apostoli non de patris tantummodo tremuere. sed de filii maiestate / Et accessit ihesus et tetigit eos / Quia enim illi consternati iacebant et surgere non valebant ipse clementer accessit et tetigit eos. ut tactu suo timorem pelleret. eosque ad figuram pristinam revocaret / Et dixit eis / Surgite et nolite timere / Quos manu tangens sanavit. eis imperat ut surgant. primum quod timorem eorum expellit ut postea doctrina imbuat / Mens enim pavida et diversa cogitans quod dicat audire non potest. donec metu ablato libencius auditui admittitur. Levantes autem oculos suos neminem viderunt nisi solum ihesum / Ideo non moysen et heliam sed ihesum vident ne videlicet si moyses et helyas cum domino apparerent incertum foret cui potissimum vox patris testimonium daret. Vident ergo ihesum iam ablata iam nube. evanescentibus moyse et helia christi terminus. quia legis et prophetarum umbra discedente verum lumen coruscans iam gratia evangelii reperitur / Et descendentibus illis de monte. precepit eis dicens / Nemini dixeritis visionem. donec filius hominis a mortuis resurgat / Quia dominus ac redemptor noster in proximo pro salute generis humani passurus erat. ideo providens precepit apostolis. ut nemini sua diceret glorificacionem. ne videlicet hoc incredibile incredibile viderent cum post hec omnia eum pati et mori posse viderent. sicque rudibus adhuc mentibus scandalum fieret/ Noluit ergo hoc predicari ante mortem suam. quia videlicet pertinerat tempus post suam resurreccionem. quando ea scire. diuinitatis illius opera per apostolos predicanda erant/ Hinc est quod alibi cum interrogasset apostolos quem eum esse dicerent et illi hunc esse filium dei respondissent/ Precepit illis ne manifestum eum facerent/ Parcens utique iudeis omnibus secundum carnem suis ne grauius in eum peccarent. postea eum quem filium dei esse nouerant cruci figendum/ Sed nec hoc est indiscussum pretereundum quod a nonnullis queri solet/ De moyse et helia. qui cum domino in transfiguracione apparuerunt. utrum videlicet in corpore an in anima apparuerint/ De qua re sciendum nequaquam illorum ibi vel animas tantum vel corpora non apparuisse/ Nam moysi siquidem corpus in monte nabo a domino sepultum fuerat. et anima in secreta requie aduentum filii dei expectabat/ Helias vero adhuc viuus in corpore paradisum incolebat nec ulla auctoritate subnixum est. cum tot terrarum spacia graui mole corporis in puncto temporis transisse. et ad locum dominice transfiguracionis venisse/ Credibile tamen est dominum ex subiecta aliqua creatura illa corpora et potencia qua cuncta creauit formasse. que personas moysi et helie representarent. sicut et illa columba que super eum baptizatum apparuit. ex subiecta creatura videlicet ex aere formata est. non tamen de semine aliarum columbarum nata. Potest et illud dici angelico ministerio id factum esse. ut videlicet angeli eorum personas assumpserint. sicque apostolis moyses et helias apparuerint/ Apostolus enim dicit angelos esse administratorios spiritus ad ministerium missos propter eos qui hereditatem capiunt salutis/ Ergo tanta circa nos diuine pietatis habundancia cognoscentes/ agamus assidue gracias misericordissimo conditori qui [illegible] memor salutis. hoc quod nobis in premio in fine seculi daturus est/ Adhuc mortalis et passibilis dignatus est demonstrare. quo per hoc maiori desiderio ad contemplandum claritatis eius speciem succenderemur/ Nulla igitur nos terrena desideria nulla seculi labentis gaudia impediant/ Abiciamus omnia uite mortalis impedimenta et posthabitis infimarum rerum cupiditatibus in monte virtutum cum domino conscendamus, quatinus ad illa felicissima divine visionis festivitatis ipso opitulante pervenire mereamur. Amen.

4
ebdom. due [illegible]
Reminiscere

Egressus Ihesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et reliqua

Superior sermo evangelicus describit questionem fuisse contra dominum scribis et phariseis, quod discipuli illius transgrederentur traditiones seniorum suorum. Quibus dominus digna redargutione convictis egressus inde, hoc est de Galilea, ubi nimirum eorum pertulerat, secessit, ut sicut hic dicitur in partes Tyri et Sidonis, ut salutem quam iudei spernebant gentiles consequerentur. Tyrus autem et Sidon civitates sunt maritime, quondam siquidem israhelitis in sortem possessionis distribute, sed nequiciis eorum cum gentilibus ab eis postea sicut et alie multe civitates amisse. Quod autem dicitur quia secessit in partes Tyri et Sidonis, et in sequentibus legitur mulier chananea a finibus illis egressa, patet dominum civitates gentilium ingressum non esse, sed partes earundem fortassis vicinas clementia peragrasse. Quod ideo dominus in partibus gentilium predicabat, sed civitates eorum non introibat, idcirco hoc agebat ut et gentiles qui longe remoti erant sibi occurrere potuissent et predicationem verbi illius percipere, et tamen iudei occasionem reperire non potuissent recedendi ab ipso dicentes: ecce nos relinquit et ad gentes predicavit, idcirco noluimus credere in illum. Aliter. Solent homines probis alienis proprias hereditates afferre, ut negligentibus filiis metum incutiat, quo animos parentum suorum offendentes metuant ne hereditate paterna iniuriis fiant, si incepta pertinacia duraverint. Secundum hanc comparationem potest intelligi dominus ea ratione a iudeis migrasse ad gentium civitates, ut eos iudeorum ad sui amoris magnitudinem pro hoc invitaret, dum gratiam dei propriam sibi oblatam a se recedere et gentibus tribui formidarent. Angustia autem hec civitatum Tyri videlicet que angustia interpretatur, et Sidon que venatio interpretatur, mutabilis dicitur conventicula gentium significat, que ante perpetua fuit angustia infidelitatis congerebant, quas scilicet diabolus publicatrice fraude venebat ad mortem. Quod ergo dominus a iudeis egressus ad gentilium properat civitates, significat quia iudeos ob perfidiam sui erat relicturus et ad gentes digna immigratione transiturus. Unde et illis alibi dicit: auferetur a vobis regnum dei et dabitur genti facienti fructus eius. Et ecce mulier chananea a finibus illis egressa. Et reliqua. Aliter est scribendum quod mulier chananea atque aliter

T [illegible]

Symon chananeus. Illud aspiratur, hoc vero sine aspiratione profertur. Iste enim a Cana vico Galilee ubi Dominus aquas in vinum convertit nomen invenit; illa vero a Chanaan filio Cham qui fuit filius Noe vocabulum traxit, a quo et gens Chananeorum duxit originem. Que gens habitavit in provincia Phenice in qua sunt civitates Tyrus et Sydon et alie multe. Hanc autem mulierem alius evangelista Marcus videlicet Syrophenissam appellat. Et hec composito nomine a Syria et Phenice, eo quod parentes illius de Syria que est iuxta mare rubrum advenerunt in terram repromissionis. Phenissa autem dicitur a rubro mari quod incoluerunt parentes eius sub qua ex Syria transissent in Phenicem. Nam phenicium appellatur rubrum. Unde et Pheni dicuntur afri id est rubri a rubro mari quod aliquando incoluerunt. Sed multo queritur unde Dominum Ihesum Christum filium David vocare noverat, cum gentilis id est chananea fuisse memoretur. Tamen quia Tyrus et Sydon civitates contigue sunt terre repromissionis et ista mulier in finibus prefatarum urbium habitabat, potest non improbabiliter intelligi quod eo Iherosolymam civitatem promissio que ad Iudeos de Christi nativitate facta fuerat, qui de progenie David ortus est, fama vulgante tam ad alios Tyrios Sydoniosque tum etiam ad istam mulierem devenerit, presertim cum legamus predictas urbes Israhelitis familiaritate maxima antiquo tempore federatas. Precipue temporibus David et Salomonis filii eius ut hystoria narrat. Hyram rex Tyri preciosissima ligna lapidesque diversi generis ad fabricam domus Domini implenda gratissime administravit, rependentibus illis congruam vicem in impensis frumenti et vini et olei, que per singulos annos iam dicto Tyriorum regi tribuebant. Ex huiusmodi igitur causa hec mulier edocta credidit Dominum de stirpe David dudum fuisse nasciturum. Que ut prodentibus miraculis advenisse cognovit, de finibus suis egressa eum sicut hic dicitur filium David inclamabat. Ac si aperte diceret: Recordare quesumus amicitiarum et misteriorum que parentes tui genti mee impenderunt, et michi in presentibus necessitatibus subvenito. Filia mea male a demonio vexatur. Et reliqua. Ubicumque in evangelio mencio gentilium inducitur, pociores fidei quam Iudei fuisse demonstrantur. Et quidem ut multis exemplis affirmari potest, sicut quando aliquibus Iudeorum Christum pro infirmitate filii vel filie interpellabat, presenciam illius ut infirmum corporaliter visitaret exigebat, tamquam quod Dei filius impotens esset.

sine corporali presencia releuare infirmos, sicuti expeticione reguli facile comprobatur. At contra gentiles pro egrotantibus supplicaturi non carnis presenciam requirebant, sed ope diuinitatis fide pleni poscebant, ut de centurione legitur. Unde et hec mulier pro filia postulans non illam secum adducit, nec dominum ad eam uenire precatur, sed tantummodo incommoditatem illius supplicibus uerbis indicat, confidens quod eam uerbo restaurare posset ad salutem. Iuxta spiritualem intellectum mulier ista typum tenet ecclesie de gentibus congregate. Unde mulier Chananea dicitur et egressa de finibus suis perhibetur. Chanaan quippe zelus interpretatur. Et ecclesia zelo fidei premonita de finibus suis egressa est. Hoc est pristine conuersacionis ydolatria dereliquit et ad Christi fidem suscipiendam promptissime occurrit. Filia autem istius mulieris significat populos nondum in Christo credentes, pro quibus ut ab erroribus liberentur ecclesia supplicat domino iugiter precatur. Qui non respondit ei uerbum. Non est arbitrandum quod dominus more superborum phariseorum despiciente despexerit mulierem, cum scriptum sit desiderium pauperum exaudiuit dominus, sed idcirco prime peticioni illius responsionem distulit ne sue sententie contrarius existeret qua dixerat in uiam gencium ne abieritis et cetera, atque ideo uellet fidem illius suscipere recusarent. Uel certe ad hoc ei non respondit ut constanciam illius qua in precibus perseuerauit nobis imitabilem redderet, quatinus sicut illa a precibus non cessauit donec a domino salutem filie impetraret, ita et nos redemptorem nostrum et omnes sanctos instantissimis precibus pulsemus quousque animarum nostrarum salutem ab ipso percipere mereamur. Et accesserunt ad eum discipuli dicentes: Dimitte eam quia clamat post nos. Discipuli ignari dominice dispensacionis tedio clamantis post se mulieris affecti supplicabant pro ea domino dicentes: Dimitte eam, id est fac quod petitur. Aut alio intellectu causa pietatis hoc dixerunt. Neque enim misericordia carere poterant qui fontem misericordie secum habebant. Inter hec notandum quod alius euangelista dicit hanc mulierem in domo ad dominum accessisse. Matheus autem sic loquitur quasi post ambulantem dominum in itinere ista clamauerit. Quod ita concordat si intelligamus eam primum in domum uenisse. Sed quia ibi nullum responsum accepit, egredientem dominum secuta est, donec quod petebat meruit impetrare. Allegorice autem mulier ista post dominum clamans ecclesiam signat ex gentibus ut dictum est. quia dominum in carne presente non vidit et tamen ascendente illo ad celos post eum clamavit non solum ipsa credendo sed et aliis utiliter predicando. Quibus ille dixit / Non sum missus nisi ad oves que perierunt domus israhel. Omnis scriptura veteris testamenti sic predixit xpistum venturum ad salutem iudeorum. sic etiam prefigurat per xpistum implendam vocationem gentium. Unde scriptum est dicente iacob. Et ipse erit expectacio gencium / Et iheremias. Quis non timebit te o rex gencium. Et multa similia / Quid est ergo quod nunc dicit. non sum missus nisi ad oves que perierunt domus israel. Sed dicendum est quia xpistus per se primo iudeis missus est predicare post autem et gentibus / Sed ipse qui per se iudeos docuit. per suos postmodum predicatores gentes ad vitam vocavit Quas etiam oves suas appellavit. ubi dixit. Et alias oves habeo que non sunt ex hoc ovili. Illa venit. et adoravit eum dicens. Domine adiuva me / Et cetera / Filios hoc in loco iudeos appellat propter dei noticiam. legis quoque percepcionem / Canes autem gentiles vocat propter immundiciam ydolatrie. Panem quoque semetipsum nuncupat. sicut et alibi dicit / Ego sum panis vivus. Et est sensus: Incongruum est ut ego qui de iudeis carnem sumpsi illos deseram. et ad vos gentiles qui canes estis emigrem. Sed hec vocabula miro rerum ordine secundum dignitatem meritorum postea sunt commutata. Nam et israhel qui quondam filius fuit ut scriptum est. filius meus primogenitus israhel. Nunc postquam suas in filium dei manus misit et eum morti tradidit. canum nomine vocatur. ut de iudeis dicitur. Circumdederunt me canes multi / Nos autem qui canes eramus. per domini misericordiam ad fidem conversi filii nuncupamur. ut iohannes dicit. Dedit eis potestatem filios dei fieri. hiis qui credunt in nomine eius / Item. Nunc filii dei sumus / Etiam domine. quod dicis veraciter ita est ut asseris quia non est bonum salutem populo israhelitico celitus missam sumere et dare eam gentibus / Nam et catelli edunt de micis que cadunt de mensa dominorum suorum / Mulier ista de qua sermo agitur tribus principalibus virtutibus insignis fuisse comprobatur. fide. videlicet paciencia. et humilitate. / Fidem namque habuit cum a domino ihesu xpisto potenter filiam suam sanari posse non diffidit. Paciencia quoque tenuit cum tot vocabus se repulsam sciens, nequaquam a peticione cessavit, sed constans in precibus perstitit. Huius humilitatis nichilominus egregia observatrix fuit, que canibus comparata non solum non contradixit, sed ipsam quoque domini sententiam humilitate confirmavit dicens: Etiam domine, nam et catelli edunt de micis que cadunt de mensa dominorum suorum. Scio me inquit panem filiorum non mereri, nec integros posse capere cibos, nec sede admissam cum pre. Sed contenta sum reliquiis catellorum, ut per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem. In quibus verbis mulier ista que typum tenet sancte ecclesie a domino se illuminatam esse ostendit, que ex consciencia sermonis illius inspirata cum illo mistico iam alloquio sermocinatur. Catelli namque mistice nos gentiles sumus, filii canum, id est ydolatrarum patrum nostrorum. Mensa vero sacra scriptura est, que nobis cibum spiritualis alimonie cottidie ministrat. De qua mensa sub persona ecclesie dicit ad dominum propheta: Parasti in conspectu tuo mensam. Et bene per mensam significatur sacra scriptura, quia sicut in mensa diversi cibi et potus ponuntur, ut unusquisque secundum qualitatem stomachi sui sumat quod desiderat, ita in scriptura sacra omnes inveniunt quod unicuique convenit. Ibi enim invenit iustus quomodo in sua iusticia debeat permanere. Ibi invenit peccator quomodo penitencia debeat agi. Ibi invenit vir qualiter uxorem suam et familiam debeat regere. Ibi audit mulier quomodo suo marito subiecta debet esse, vel quomodo caste debeat vivere. Sic et de ceteris est intelligendum. Mice vero significant interna misteria scripturarum. Catelli ergo sub mensa non crustis sed micis vescuntur, quia conversi gentiles ad fidem Christi non iam superficiem litere in scripturis, sed spiritualis intelligencie medullam qua perfici possint perquirunt. Iudei quasi crustas comedunt, dum circumcisionem carnaliter observant. Nos micis vescimur, cum spiritualiter vicia mentibus et corporibus abscidimus. Illi crustas comedunt, quando agnum quarta decima die ad vesperam carnaliter edunt. Nos vero subtilitate micarum pascimur, cum cottidie de micis ad virtutes transitum facientibus corpus et sanguinem domini in veritate sumimus ad nostram redempcionem. Et recte non super mensam sed sub mensa catelli edere describuntur, quia fideles exigentibus humilitatis devocione pleni omnia officia corporis sui ad intelligenda atque adimplenda divina precepta supponunt. Dicit ei Ihesus: O mulier magna est fides tua. Magna certe fides istius mulieris fuit, que nec prophetarum edocta vaticiniis nec ipsius domini provocata miraculis salutem filie a Christo etiam multociens repulsa instanter proposcit. Magna utique fides est sancte ecclesie, que cum Christum presentem in carne non viderit, mox tamen ubi apostolica predicatione conventa est, perfectam salutem sibi suisque optinuit. Fiat tibi sicut vis. Datur intelligi quod perfecta fides omnia que recte desiderat adipisci potest, iuxta quod dominus dicit: Omnia possibilia sunt credenti. Et sanata est filia eius in illa hora. Perpendendum quod propter magnam fidem matris filia plena sospitate recipere meruit. Quo loco forma catezizandorum infantium apte tribuitur, qui tempore quo ad baptismum venerint ignari boni malive non sua sed parentum fide salvantur. Dignum namque est ut qui aliorum peccato sunt rei aliorum etiam fide sint absoluti. Observandum vero est, ut beatus Iheronimus, quod filia chananee mulieris xvmo signo sive miraculo secundum Mattheum curatum esse refertur. Qui numerus sacramento perspicuo redolet. Creatur enim ex septenario et octonario. Quorum alter id est septenarius ad vetus testamentum pertinet propter sabbatum antiquo populo insigne. Alter autem id est octonarius ad novum ob resurrectionem Christi octava die celebratam. Cum ergo ista in xvmo ponatur loco, indicatur quod sive ecclesia sive fidelis quecumque anima tunc plena sanitate consequitur, cum et veteris ac novi testamenti doctrinam inoffenso tenore et precepta efficaciter studuerit observare. Hinc Salomon suis auditoribus loquitur: Da partes septem nec non et octo. Id est da ; in universitate actionis tue non tam veteris testamenti dicta sequere, quam novi monitis obtemperare. Quod vero septenarius monade addito in octonarium surgit, possumus ad misterium trahere, quia tunc scilicet filia chananee, hoc est vel generaliter ecclesia vel specialiter unaqueque anima, perfecta in calamitatibus sublatis incommoditatibus perfructu septenario octonarius successerit, id est cum peracto istius vite curriculo, quod vii volvitur diebus, octavus dies hoc est universalis resurrectionis tempus advenerit, quando sibi recipientibus corpus indumenta absorbebitur mors in victoria. Moraliter filia istius mulieris unaqueque anima est demoniacis suasionibus male capta. cum saluti mater ecclesia a christo iugiter exposcit. ut quam ipsa per se non valet corrigere ipse interius inspirando convertat. et amicis omnibus faciat commendatam. Possumus hoc et ad nos referre. Si cuius enim nostrum conscientia vitiorum succumbit oneribus. filiam habet que male a demonio vexatur. pro cuius sospitate sedulo divinam debemus interpellare clementiam. et in eius conductu sanctorum nobis patrocinia pudendo querere. sic et apostoli leguntur pro ista muliere intercessisse. quatinus eorum precibus filie incolumitate anime nostre divina misericordia valeamus invenire.

Feria quarta post reminiscere

Ego vado et queritis me. Et reliqua.

Refert superius sanctus ewangelista Iohannes. quod cum doceret dominus in gazophilacio templi et divinitatis sue misteria apertissime populis panderet. voluerunt eum iudei apprehendere. sed nemo misit in eum manus. quia nondum venerit hora eius. Nondum venerat voluntatis ipsius et dispositionis hora. quia sicut voluntate natus sit et voluntate passus est. Quia ergo illi dominum apprehendere voluerant. ut ostenderet inefficaciter illos conari quamdiu ipse nollet. ideo dominus dixit eis quod modo audivimus. Ego vado et queretis me. Ac si aliis verbis diceret. frustra me persequimini. incassum vestris manibus inire temptatis. Ego enim proprium tempus. quando pro humani generis salute pati debeam. Egomet vado. ego volens ad passionem pergo. Vos autem nec modo mali adimplendi potestas fiet. quia ego nolo. Et queretis non amore sed odio. Denique postquam christus de mundo discessit. postquam per passionem oculis se hominum absentavit. quesierunt eum iudei persequendo in apostolis et ceteris credentibus. Unde et Saulo persecutori dictum est. Saule Saule quid me persequeris. Quesierunt etiam sancti apostoli amatores ipsius illum presentem habere cupientes. et desiderio visionis eius estuantes. Hoc ergo modo eum querere debemus. quo eum quesierunt apostoli. ut eum semper diligamus. dicatque illi cor nostrum. Exquisivi vultum tuum. vultum tuum domine requiram. ne avertas faciem tuam a me. Hoc modo requiramus animas christi. non illo quo eum quesierunt iudei inimici christi. Illi enim querebant ut haberent ipsum ut perderent. Unde et minatur bene illos eum quesituros invenire. Et in peccato vestro moriemini. Ille in peccato suo moritur. qui permanet in peccato ipsorum usque ad mortem. Et quia providebat illos in sua malitia perseveraturos, ideo dixit in peccato vestro moriemini. Et quia videbat in illis omnibus unam voluntatem similemque malitiam, ideo singulari numero dixit in peccato. Plurali autem vestro, quia pari affectu omnes eum perdere volebant, qui ad salvandos eos venerat. Quo ego vado vos non potestis venire. Non poterant venire quo ibat, quia in eum credere nolebant, quia eum non diligebant, atque ideo ad illam gloriam ad quam ille per mortem festinabat, ipsi venire non poterant. Hoc ipsum alibi apostolis loquens dixit: Quo ego vado vos non potestis venire. Neque enim tunc quo ipse ibat venire poterant, quia nec dum pro illo pati idonei erant, sed postea venturi erant. Non ergo abstulit eis spem, sed predixit dilationem. Iudei vero nunquam quo ibat venturi erant, quia in eum credere nolebant, et idcirco audierunt: In peccato vestro moriemini. Sed audiamus quid responderunt verbo domini, carnaliter tantum audientes et non intellegentes. Numquid interficiet semetipsum, quia dicit: Quo ego vado vos non potestis venire? Qua cecitate mentis et sensus tenebris obscurata. Numquid enim si dominus se interficeret, sequi eum ad mortem non poterant? Aut numquid mori ipsi non valebant? Ergo quo ego vado dixit, ideo quo ibat ad mortem, sed ideo quo venturus erat post mortem. Hoc est de gloria ad quam per passionem et mortem properabat, et ad hanc illi pervenire nullo modo poterant. Sed iam videamus quid his dominus responderit. Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. De deorsum inquit estis: terrena sapitis, terrenis delectamini, terrenis inhiatis, sursum cor non levatis. Ego de supernis sum, hoc est a patre quo nichil est superius, quia pater de nullo est. De supernis, id est de patre deo erat, quia verbum eius erat, et ab illo coeternus et consubstancialis genitus erat ante omnem creaturam, ante tempus vel quidquid in tempore cogitari potest. Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo. De hoc mundo erant, quia peccatores, quia iniqui et infideles erant. Sed numquid apostoli et ceteri sancti de hoc mundo non erant? De mundo erant, quia de Adam nati fuerant, sed de mundo, id est de carnali conversatione, a domino electi erant, iuxta quod alibi dicit: Ego vos elegi de mundo. De mundo ergo fuerant, sed iam non erant de mundo, quia electi erant de mundo, et ad eum pertinebant per quem factus est mundus. Iudei vero, quia perseverabant in peccato, permanebant in mundo.

Propterea eis dictum est: moriemini in peccato vestro. Reddit illis spem et ostendit quomodo possint non mori in peccato suo, videlicet si in eum credant. Ergo inter eos quibus dominus loquebatur erant plurimi qui non erant credituri, erant et alii qui credituri erant. Atque ideo illi in peccato suo morituri erant, isti vero a peccato suo liberandi erant. Notandum quod dicit: si non credideritis quia ego sum, nec addit quid est. Non dixit: si non credideritis quia ego sum Christus, vel ego sum filius dei, vel ego sum quem prophete predixerunt. Nichil horum dixit, sed tantum: ego sum. Nimirum ut ostenderet se ~~[illegible]~~ illum esse qui olim moysi dixerat: Ego sum qui sum. Eodem verbo essencie usus est loquens populo iudeorum, quo tunc usus est ad moysen loquens per angelum quem dirigebat ad liberandum populum suum. Ac si diceret: Ego qui tunc veni per angelum ut mitterem moysen ad liberandum populum meum, ego ipse promitto memet ipsum venire liberare genus humanum. Nisi ergo credideritis quia ego sum deus, moriemini in peccato vestro. Sed illi in sua stulticia perseverantibus et subtilitatem verborum domini non intelligentibus responderunt: Tu quis es? Sed dominus ad instruendum eos qui in eum credituri erant respondit: Principium qui et loquor vobis. Principium se dominus appellat quia omnia per ipsum facta sunt. Ipse est enim dei sapiencia, de qua psalmista deo patri dicit: omnia in sapiencia fecisti. Si igitur omnia fecit in sapiencia, id est in filio suo, utique ipse est principium omnium rerum quas per eum deus pater creavit. Dicitur et pater principium, quia in principio erat verbum, id est in patre erat filius. Non tamen duo principia pater et filius, quia unus est deus pater et filius. Principium autem qui et loquor vobis, ac si diceret: Ego sum deus qui propter vos humilis factus ad hoc descendi ut vobis loqui possem per susceptam servi formam. Credite ergo me esse principium, quia ut hoc credatis loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui et iudicare. In alio evangelii loco dixit: ego non ~~[illegible]~~ iudico quemquam. Quid est quod nunc dicit: multa habeo de vobis loqui et iudicare? Sed illud de primo suo adventu dixit, quia non venit ut iudicaret mundum, sed ut salvaret. Quod autem nunc dicit: multa habeo loqui et iudicare, secundum adventum suum significat quando ad iudicandos uiuos et mortuos uenturus est. Sed qui me misit uerax est. Ac si diceret: Idcirco ueritatem dico quia filius sum ueritatis. Pater enim uerax est, filius ueritatis. Et sicut est filius a patre, sic ueritas a ueritate. Et attendendum quod omnem gloriam dat deo patri unicus filius ut nos tali instruat exemplo. Quia ipse qui est coeternus filius omnem gloriam dat ei a quo est, multo magis nos deum in suis operibus glorificare debemus, cum serui simus. Et ego que audiui apud eum hec loquor in mundo. Quid audierat apud patrem nisi ueritatem. Ueritatem ergo audierat, ueritatem loquebatur. Audiuit autem apud patrem quia a patre. Nichil enim illi est aliud audisse nisi esse, quia ab illo habet audienciam a quo habet essenciam. Et non cognouerunt quia de patre ~~eius~~ eis diceret. Quia non cognouerunt quia adhuc carnalibus inherebant necdum oculos cordis apertos habebant quibus patris et filii equalitatem intelligere ualerent. Dixit ergo eis: Cum exaltaueritis filium hominis tunc cognoscetis quia ego sum. Exaltacionem hoc loco passionem suam uocat quia exaltatus est in cruce. Hec namque exaltacio humiliacionis fuit non glorificacionis, secundum quam humiliauit semetipsum factus obediens patri usque ad mortem. Dixit ergo: Cum exaltaueritis filium hominis tunc cognoscetis quia ego sum. Uiderat enim ibi quosdam quos ante mundi constitucionem predestinauerat post suam passionem credituros. De quibus in actibus apostolorum legimus quia predicante Petro una die crediderunt tria milia, alia die quinque milia, et deinceps multa milia. Tunc inquit cognoscetis quia ego sum. Ac si diceret: Idcirco differo fidem uestram ut impleo passionem meam. Cum uero me in cruce exaltaueritis, sicut quondam Moyses serpentem exaltauit in deserto, tunc cognoscetis me deum unius cum patre substancie. Et a me ipso facio nichil, quia nec sum a me ipso. Ab ipso est michi operacio a quo et generacio. Et sicut docuit me pater hec loquor in mundo. Non sic docuit pater filium quasi indoctum genuerit, sed hoc docuit scientem genuit. Simplex enim natura ueritatis, et hoc illi esse quod nosse, et ab illo habet scienciam a quo habet essenciam. Et qui me misit mecum est. Deus pater filium misit quia eum incarnari constituit. Missio enim eius ipsa incarnacio est. Deus ergo pater cum filio est quia unum sunt pater et filius, una est illis substancia, eademque deitas, indiuisa maiestas. Et tamen cum filio sit, solus filius missus est, hoc est solus filius incarnatus est, sicut et solus filius passus est. Deus ergo pater semper cum filio fuit et non cum

Fra tertia post dominicam Reminiscere

reliquit. et tamen ut dictum est solius filii persona carnem assumpsit et passioni ac morti subiacuit. Dei autem patris persona ab ista incarnatione et passionis iniuria aliena fuit. Ut enim aliquo utar exemplo. sicut arbor aliqua radium solis in se suscipiens ferro inciditur. cum tamen radius solis nec incidi possit. nec ab arbore separari. ita deus pater et ipsa in Christo divinitas pati non potuit. sed sola humanitas corporis passibilis fuit. Quia que placita sunt ei facio semper. Que deo prius placita erant semper faciebat. quia voluntatem eius salute humani generis operando adimplebat. et peccati totius pretio corporis sui omnes quos preservabat. Qui peccatum non fecit. nec dolus inventus est in ore eius. Quapropter et nos si membra eius esse volumus. capitis nostri exempla imitari studeamus. Agamus que deo placita sunt. castificemus animum ab omni concupiscencia. edomemus illicitos carnis appetitus. Mala que nos perpetrasse meminimus lacrimis penitencie deluamus. et bonis in quantum possumus operibus insistamus. quatinus deum et in presenti presure adiutorem et protectorem habere et in futuro ad illud summi boni visionis eius mereamur feliciter pervenire. Amen.

a Ascendens Ihesus Iherosolimam assumpsit duodecim discipulos suos secreto et ait. Ecce ascendimus. Et cetera.

b Nb ac redemptor noster providens discipulorum animos de sua passione turbandos. longe ante eis et penam eiusdem passionis et gloriam sue resurrectionis predicere voluit. ut cum eum morientem cernerent. resurrecturum quoque. sicut eis predixerat. minime dubitarent. Et crebro quidem hoc ipsum eis prenunciavit. Sed quia temporis accessu quod audierant labi a memoria poterat. idcirco iturus ad passionem et secum eos ducturus iterato futura predicat. quatinus eos contra vehementem temptacionem prepararet. ne vehementi crucis persecucione et passionis ignominia terrerentur. Minus enim afficiunt mala que presciuntur. Illa subiti casus eciam fortissimos quosque obruere solent. Assumpsit inquit duodecim discipulos suos. Initio sue predicationis plures dominus voluit habere discipulos. Et quibus xii elegit. quos et apostolos nominavit. quibus evangelii sacramenta committeret. et per quos totum mundum ad sua fidem convocaret. Quibus et alibi dicit. Vos estis qui permansistis mecum in temptacionibus meis

Hys ergo assumptis secreto ait illis. Ecce ascendimus iherosolimam et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et condempnabunt eum morti. Attendendum quod dominus filium hominis tradendum et morti condempnandum dixit. Cum tamen sit idem filius dei et filius hominis dominus ihesus xpistus. Filius tamen filius hominis ratione humanitatis assumpte tradi et comprehendi ac passioni et morti subiacere potuit. Similiter et illud considerandum est quod pene in omnibus sancti ewangelii locis vocans se dominus filium hominis quam filium dei appellat. ut videlicet nobis ad memoriam reducat quod pro nobis factus sit. Nam qui erat deus excelsus super omnia. factus est homo humilis inter omnia. Sed quanto magis ille humanitatis sue infirma comendat. tanto magis nos sublimia divinitatis eius venerari ac glorificari oportet.

Tradetur autem principibus sacerdotum. Primum enim ad annam socerum. deinde ad caypham domum adductus est qui erat pontifex anni illius. Et condempnabunt eum morte. Morte eum condempnaverunt. Quando clamaverunt dicentes. Reus est mortis. et tolle. crucifige eum. Et tradent eum gentibus ad illudendum. Traditus est gentibus. quia sicut textus passionis eius aperte loquitur. vinctum adduxerunt eum. et tradiderunt poncio pylato presidi qui utique iudeus non erat. Ipse vero flagellatum tradidit militibus romanis ad crucifigendum. Sciendum autem a multis dominum fuisse traditum. Tradidit namque eum deus pater. unde quod apostolus dicit. Qui proprio filio suo non pepercit. sed pro nobis omnibus tradidit illum. Tradidit se ipse filius eodem apostolo dicente. Qui dilexit nos. et tradidit semetipsum pro nobis. Tradidit eum iudas iudeis. Iudei multipliciter tradiderunt eum pylato. Pylatus ut dictum est. tradidit eum militibus. Si ergo eum deus pater tradidit. et si se ipse tradidit. quid iudas et iudei peccaverunt. quid tantum sceleris admiserunt. ut sic execracioni et horrori sint omnibus in xpistum credentibus. Sed in re una dispar fuit affectus. Quod enim deus pater eum coeterno sibi filio fecit amore et dilectione humani generis. hoc fecit iudas. hoc et iudei fecerunt odio et invidia. Ideoque deus pater dignissime cum ipso filio suo benedicitur. et continuis laudibus predicatur. illi vero eterna maledictione et supplicio condempnantur. Tradetur inquit gentibus ad illudendum et flagellandum. Illusus est dominus. quando sicut ewangelium refert suscipientes eum milites velaverunt faciem eius. et induerunt eum

// uenientes

purpura. et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius. et arundinem in dextera eius. et dixerunt. Ave rex iudeorum. Et dabant ei alapas. Flagellatus est ad columpnam religatus in qua hodieque sui cruoris indicia feruntur apparere. Sed vero prius flagellatus. deinde crucifixus est. ex romano more factum est. qui reos et morti iudicatos. primum flagellis verberabat. deinde securi cedebant. Et die tertia resurget. Solet scriptura divina tristibus leta subiungere. Unde et dominus predictam sue passionis ignominiam. resurrectionis e vestigio future gloria evacuavit subdens. Die tertia resurget. et iure die tertia. quia auctor vite. diu a morte teneri non potuit. De quo psalmista dicit. De torrente in via bibit. quia in die legis mortem nostram in transitu gustavit. et caro illius corruptionem non vidit. Tunc accessit ad eum mater filiorum zebedei cum filiis suis adorans. et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid vis. Ait illi. Dic ut sedeant hii duo filii mei. unus ad dexteram tuam. et unus ad sinistram tuam. in regno tuo. Mater filiorum zebedei. ipsa est maria mater iacobi et iohannis. cuius et in resurrectione domini mencio agitur. Sed cum dominus superius suam loquatur predixisse passionem. quod inde licet tradendus. et illudendus esset. querendum unde mater filiorum zebedei ad hanc regni opinionem inducta sit. ut filiis cum domino regnandi gloriam quereret. Ea enim que dominus mox implenda predixerat. contraria videbantur glorie regni. Sed quia dominus subiunxerat se die tertia resurrecturum. putavit hec mulier post resurrectionem illico eum in mundo regnaturum. Arbitrans in primo adventu domini implendum. quod in secundo promittitur. Avidaque immemor fuit futurorum aviditate feminea presentem gloriam concupiscit. Sed et usque hodie iudeorum opinio est. Christum suum cum venerit per mille annos feliciter in mundo regnaturum. omnibusque gentibus imperaturum. ipsosque iudeos cum pace et prosperitate gavisuros. atque omnibus populis esse venerandos. Hac opinione arrepta fuit hec mulier. ideoque errore muliebri. et affectu materno. filiis volebat regnum impetrare. Sed vero interrogat dominus quid illa vellet. non de ignorancia facit. sed ex dispensatione ut videlicet illius peticio nota omnibus fieret. sicque ei dominus competenter responderet. Respondens ihesus dixit. Nescitis quid petatis. Matre postulante non matri dominus sed filiis respondit. quia non videt matris precibus sed voluntati filiorum venire. Nesciebant enim quid peterent qui conregnare et consedere Christo volebant, quod necdum merebantur. Necdum enim pro Christo pati poterant, ut apostolus dicit: Si compatimur et conregnabimus. Delectat ergo eos culmen honoris, sed prius debebant viam exercere laboris. Iam desiderabant sublimius regnare cum Christo, sed prius debebant pati pro Christo. Bonum certe erat eorum desiderium, sed inconsiderata peticio. atque ideo Dominus non voluntatem aut propositum illorum culpavit, quod de caritatis amore nascebatur, sed solam ignoranciam reprehendit dicens: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum. Nomine calicis vel baptismi in sancto evangelio labor martirii solet designari. Unde alibi Dominus dicit: Baptismate habeo baptizari, et quomodo coartor usque dum perficiatur. In passione quoque patri dicit: Si vis transfer calicem istum a me. Interrogat ergo illos si possent bibere calicem quem ipse erat bibiturus, per hoc scilicet et illos per passionem insinuans consummandos. Et illi intelligentes responderunt: Possumus. Et Dominus: Calicem inquit meum bibetis. Queri solet quomodo ambo hii fratres Iohannes videlicet et Iacobus calicem Domini biberint, cum solum Iacobum legamus pro Christo ab Herode capite cesum, Iohannem vero in pace quievisse et propria morte vita functum fuisse. Sed legimus in historiis ecclesiasticis quoque causa nominis Christi multa sustinuisse. Nam et cum ceteris apostolis cesum fuisse in actibus apostolorum invenimus, et deinceps a Domiciano cesare in ferventis olei dolium missus. Itemque ab eodem principe propter invictam evangelizandi constanciam in Pathmos insula exilio narratur fuisse relegatus. Videmus ergo non defuisse animum martirio, et ipsum quoque bibisse calicem passionis, quamvis persecutor non fuderit eius sanguinem. Sedere autem ad dexteram meam et sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a patre meo. Quod dicit non est meum dare vobis, ita sentiri potest: non est meum sed vestrum. Non est meum dare, quia regnum celorum accipientibus est potestate. Unusquisque enim talem se exhibuerit ut dignus sit regno celorum, hic talis illud accipiet, quia regnum celorum non personam sed vitam consequitur. Si itaque et vos tales fueritis ut digni sitis accipere illud regnum quod Deus pro solis victoribus et usque in finem in bono perseverantibus preparavit, vos quoque illud absque dubio accipietis. Sive eciam alio sensu: non est meum dare vobis, hoc est non est meum dare illud regnum superbis et elatis, quod adhuc eratis. Si ergo illud multis accipere: nolite esse excelsi, id est nolite esse elati, quia tales indigni sunt accipere regnum celorum. Ergo prius humiliamini, et tunc vobis quoque preparabitur regnum celorum. Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus. Non contra matrem indignantur, sed ad filios refertur presumpcionem huiusce postulacionis, quod quasi ignorantes mensuram sui immoderata cupiditate ad petendum regnum exarserunt. Unde non dubium quod super non petenti matri sed tacentibus filiis respondit: nescitis quid petatis. Ex qua domini responsione et decem apostolorum indignacione datur intelligi quod filii matrem instigaverunt ad grandia petenda. Ihesus autem vocavit eos ad se et ait: Scitis quia principes reges gencium dominantur eorum, et cetera usque vester servus. Humilis ac benignus magister, forma quoque omnium magistrorum, nec illos duos de immoderata et irracionabili peticione nec hos decem de indignacione et livore quem contra illos habebant redarguit. Sed tale ponit exemplum, quo manifeste doceat illum inter eos esse maiorem qui minorem se exhibuerit, illumque existere primum qui fuerit servus omnium. Qui ergo vult fratrem pregrandiendo prevenire, preveniat eum se humiliando; vincat eum obsequio qui vult vincere dignitate. Frustra igitur illi grandia querebant, frustra et isti de illorum insolenti desiderio indignantur, cum a domino doceantur ad summe dignitatis culmen non potencia sed humilitate conscendendum. Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam redempcionem pro multis. Ponit illis exemplum ipse forma discende humilitatis, ut si docentis verba parvipenderent, imitarentur exempla. Non venit inquit filius hominis ministrari, id est ut ministraretur ei, sed ministrare. Si ego inquit qui cum sim dei filius et deus propter vos homo factus non ad hoc in mundum veni ut hominum obsequia vel ministeria mihi requirerem, sed ut ipse pocius vobis obsequerer vobisque ministrarem, quare vos homines ab hominibus, mortales a mortalibus superba servicia requiritis, non ut nature cui satis parva sufficiunt necessitatibus subveniatis, sed ut maiores et celsiores ceteris appareatis. Attendant hoc ecclesiarum prepositi, et caveant, audientes a domino quia gentilis et non christiane consuetudinis est subiectis dominari, et super eos quibus prelati sunt potestatis dominium exercere. Discant igitur boni magistri exemplo non se factum superbum super minores extollere, sed pocius illis se contemperare atque equales in omnibus se ex feria quinta post dominicam Reminiscere

hibere studeant quatinus ab illo qui non venit ministrari sed ministrare celestem mereantur consequi magistratum. Ministrauit autem dominus quando in cena linteo se precinxit et omnium discipulorum pedes lauit. Ministrauit etiam cum in crucis altari se ipsum pro nostra redempcione deo patri hostiam obtulit. Vnde sequitur et dare animam suam redempcionem pro multis. Commendandum memorie quod non pro omnibus sed pro multis se dicit animam dare. pro hiis videlicet qui credere voluerint. pro hiis qui sunt de numero saluandorum et ad vitam eternam predestinatorum.

Non possum a me ipso facere quicquam. sed sicut audio iudico. Et reliqua.

Prudentibus sancti euangelii lectoribus ac honestis expositoribus familiare est subsequencia precedentibus iungere quatinus ex circumstancia precedencium sibi et subsequencium in tractu lectionis capere valeant intellectum. Vnde ad ea que supra in sancti Iohannis euangelio posita sunt recurrendum est ubi refert quomodo dominus hominem triginta et octo annis decubentem in sabbato sanauit. Sed iudei veterno superbie et inuidie tumentes de impensa hominis sanitate grauius ceperunt egrotare. deumque reprehendere quasi contra legem faceret quod languidum in sabbato curasset. Verum cum dominus multa contra iudeos disputasset. ostendissetque ipsum patrem non sex tantum diebus. sicut illi putabant operatum et sabbato quieuisse. sed usque modo operari regendo ac gubernando que creata sunt. subiunxit. adiciens hoc quod modo audiuimus. Non possum ego a me ipso facere quicquam. Quod aliis est dicere verbis. Cum ego a me ipso nichil faciam ergo pater sanauit hunc hominem in sabbato. quem me fecisse culpatis. Cauendum est ergo vobis. ne mea reprehensio usque ad dei patris redundet iniuriam qui in me filio suo operatur. Et dum me ~~Re~~ reprehenditis. ipsi deo conuincimini derogare. Non possum a me ipso quicquam facere. Non poterat quicquam facere a se ipso. qui non erat a semetipso. sed a patre. In sancta enim trinitate pater solus de nullo est. filius a patre est. Ab illo ergo habet aliquid facere a quo habet esse. Vnde ad hoc sequitur. Sed sicut audio iudico. Sicut audit iudicat. quia unum opus est patris et filii. Audire enim filio est esse a patre. quia ab illo audit a quo est. Sicut inquit audio. id est sicut scio iudico. Esse et audire et scire filio tantundem est. quia a quo illi est essencia. ab illo et audiencia. que nichil aliud est quam sciencia. Potest etiam hoc quod dicit sicut audio iudico, ad proprietatem referre humanitatis, secundum quam nichil sibi tribuit, sed deo patri concedit. Sicut ergo audit iudicat, quia in suis iudiciis non sicut alii homines sua voluntate, sed patris attendebat imperium, atque ideo in suis iudiciis non errabat, quia dei patris precepto parebat. Unde et subdit: Et iudicium meum iustum est. Unde hominis iudicium iustum esset subsequenter annexuit: Quia non quero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Sicut iam supra dictum est, quia missio filii incarnatio est. Non ergo sua voluntate querebat, sed eius qui miserat illum, id est patris qui illum incarnari constituerit. Unde et instante passionis eius articulo dicebat: Non mea sed tua pater voluntas fiat. Sane revincuntur hoc loco illi qui dixerunt Christum non habuisse animam, sed divinitatem illi fuisse pro anima. Voluntas enim anime est. Cum ergo dicit non quero voluntatem meam, ostendit utique se veram habere animam. Que tamen ita unita est divinitati, ut tota fieret spiritualis. Hoc enim dicens ad illum hominem voluit referre intencionem nostram, qui voluntatem suam querendo non eius a quo factus est, non habuit iustum iudicium de ipso, sed iustum iudicium habitum est de ipso. Ipse quippe faciens voluntatem suam non dei, moriturum se esse non credidit. Sed hoc iudicium fuit eius non iustum fuit. Denique fecit et mortuus est. Quia iudicium dei iustum est. Ad iudicium fuit dei filius non querendo voluntatem suam, cum sit etiam hominis filius, quia non proprius in iudicando nulla voluntas est. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. Quia dominus et redemptor noster deus est et homo, ad circo secundum utriusque nature sue proprietatem loqui solet, nunc in se id quod ex hominibus assumpsit ostendens, nunc iterum secundum divinitatis maiestatem deo patri se equalem demonstrans. Nam quod dicit: ego et pater unum sumus, et: ego in patre et pater in me, et: qui me videt videt et patrem, quod iterum ait: Si ego perhibeo de me testimonium, testimonium meum est verum, aliaque huius generis plura, deitati eius qua patri est equalis conveniunt. Quod vero ait: ego non iudico quemquam, et iterum: non veni facere voluntatem meam, et: mea doctrina non est mea, pro parte humanitatis accipienda sunt, secundum quam etiam hoc accipiendum est quod nunc ait: Si ego perhibeo de me testimonium, testimonium meum non est verum.

tamen non desperat filium neque a deo patre seiungit. Et est sensus: Si ego solus de me testimonium perhibeo et perhibet testimonium pater de me, non est verum testimonium meum. Unde sequitur: Alius est qui testimonium perhibet de me. His verbis deum patrem ostendit, de quo apertius in sequentibus dicit: Qui misit me pater ipse testimonium perhibet de me. Perhibuit vero pater testimonium filio quando in baptismo vox patris super eum celitus venit: Hic est filius meus dilectus in quo michi bene complacui. Perhibuit quoque simile testimonium pater filio in monte transfigurato coram tribus discipulis. Et scio inquit quia verum est testimonium eius. Nunquid aliud potest esse veritatis testimonium quam verum? Vos misistis ad Iohannem et testimonium perhibuit veritati. Miserunt enim iudei ad Iohannem, sicut ewangelica refert historia, sacerdotes et levitas ut interrogarent eum de ipso quis esset. Putabant enim ab hominibus quod ipse esset Christus. Sed ille non sibi sed veritati testimonium perhibuit, sicut predicatorem decebat veritatis. Confessus enim est non se esse Christum. Noluit usurpare falsum nomen Christi ut fieret verum membrum Christi. Perhibuit ergo veritati, id est Christo, testimonium cum eum videns ad suum baptisma properare dixit: Ecce agnus dei qui tollit peccata mundi. Perhibuit ei testimonium cum dicit. Cui hec responsio subsequitur: Ego autem ab homine testimonium non accipio, sed hec dico ut vos salvi sitis. Nimirum dominus probat neque refellit testimonium Iohannis. Neque enim Iohannem misisset si testimonium illius opus non haberet. Sed ostendit non ita debere homines in lucernam intendere ut iam non putent solem sibi necessarium esse, cum putant sibi lumine lucerne sufficere. Non ergo dominus supplium de Iohannis testimonio, sed vult ad se omnes festinare cui Iohannes testimonium perhibebat. Ille erat lucerna ardens et lucens. Iohannes lucerna erat, non lux. Christus est lux, de quo scriptum est: Erat lux vera que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ergo Iohannes lucerna erat gratia Christi illuminatus, ardens fide et dilectione, lucens verbo et actione. Premissus est Iohannes ante Christum tamquam lucerna ut suo testimonio eius confunderet inimicos. Nam enim psalmista dixit in persona dei patris: Paravi lucernam Christo meo, inimicos autem eius induam confusione. Vos autem voluistis ad horam exultare in lumine eius. Cum enim Iohannes baptizaret, cum in habitu et in victu ceteris hominibus se dissimilem exhiberet, ceperunt omnes existimare et cogitare in cordibus suis ne forte ipse esset Christus. Voluerunt ad horam exultare in lumine eius. eo illo renitente et contradicente. et dicente se non esse christum. illi sponte eum christum esse putabant. Mirabantur lucernam, exultabat in lumine lucerne. sed lucerna ad solem in quo exultare deberent illos remittebat. Ego autem habeo testimonium maius ~~testimonium~~ iohanne. Patris utique testimonium prefert testimonio iohannis. Hinc est quod iohannes scriptor huius ewangelii dicit. Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est. Si enim recipimus testimonium iohannis de christo, multo magis testimonium dei patris quod de filio perhibuit, quod utique maius est, recipere debemus. Et quale sit illud testimonium subsequenter adiunxit. Opera que dedit pater ut perficiam ea, ipsa testimonium perhibent de me, quia pater me misit. Illa nimirum opera, que a seculis nunquam visa ~~erant~~ fuerant, cum videlicet illuminaret cecos, surdorum aures aperiret obstrusas, mutorum ora resolveret, aridos artus in flexibilem usum revocaret, claudorum distortos gressus dirigeret, paraliticos curaret, fugaret demonia, postremo etiam quadriduanos et fetentes mortuos suscitaret. Ista certe opera que nisi deus facere non poterat testimonium deo perhibebant. Deinde adiunxit et ait. Et testimonium perhibet de me qui misit me pater, a quo nimirum accepit ut hec opera faceret. Perhibent ergo opera eius de eo testimonium. Perhibet et deus pater qui misit illum. Neque vocem eius unquam audistis neque speciem eius vidistis. Iudei soliti sunt iactare quod audierint vocem dei patris in syna loquentis. eumque in specie ignis viderint. Sed convincuntur a domino nunquam vocem eius audisse. Substancia enim divinitatis que incomprehensibilis et invisibilis est, non exterioribus oculis videri potest. et vox eius non carnalibus auribus, sed spirituali intelligencia per graciam spiritus sancti audiri potest. Non ergo audierunt vocem eius, quia eum amare et preceptis eius noluerunt obedire. Et verbum eius non habetis in vobis manens. Verbum dei patris filius est de quo dictum est. in principio erat verbum. Hoc verbum in se manens non habent, qui verbum dei quod audiunt et memoria retinere et opere adimplere contempnunt. Scrutamini scripturas, in quibus vos putatis vitam eternam habere. Aliud dat de se testimonium, ex lege dei que data est per moysen famulum dei. Ipsas inquit scripturas in quibus vos vitam eternam habere putatis ipsas scrutamini. et in eis invenietis testimonium michi perhiberi. Sed quia non vultis recipere non in eis vitam eternam habetis. sed perpetuam dampnacionem acquiritis. Et unde defendetes et proferentes moysen iudicabatur repudiare christum tamquam moysi contrarium. Dominus autem econtrario ipsius moysi utitur prophete testimonio et quasi de altera lucha confundit utrumque iudeos. Moyses enim ei testimonium perhibebat cum diceret Prophetam vobis suscitabit dominus deus vester de fratribus vestris tamquam me ipsum audietis. Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis id est non vultis credere mihi. Omnis enim scriptura perhibet testimonium de christo sive per figuras sive per prophetias sive per angelorum ministeria. Sed hiis tamen testimoniis iudei non credunt de christo et ideo vitam habere non possunt id est placere ei qui dixit Ego sum via veritas et vita. Et ad patrem alibi dicit Hec est vita eterna ut cognoscant te verum deum et quem misisti ihesum christum. Claritatem ab hominibus non accipio. Claritas est gloria ab uno nomine greco quod est doxa. Claritatem ab hominibus non accipiebat quia gloriam et laudem humanam non querebat. Non enim venerat ut honorem carnalem ab hominibus acciperet sed ut honorem celestem in se credentibus daret. Sed cognovi vos quia dilectionem dei non habetis in vobis. Non enim volebat recipere eum qui a deo patre missus non venerat facere voluntatem suam sed patris. Si enim dilectionem dei in se haberent illum utique deus quem misit diligerent. Unde adhuc sequitur Ego veni in nomine patris mei et non accepistis me. In nomine patris sui venerat quia non a se venerat sed ab illo missus. Illi omnem gloriam tribuebat illius voluntatem semper implebat. Sed eum non susceperunt quia in eum credere noluerunt qui ad hoc venerat ut nomen patris sui glorificaret. Si alius venerit in nomine suo illum accipietis. Quis iste est qui venit in nomine suo nisi antichristus qui propriam gloriam et non dei est quesiturus. Quia enim noluerunt recipere christum pena peccati eius contingit ut recipiant antichristum. Noluerunt credere veritati credent mendacio. Quomodo potestis vos credere qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam que a deo solo est non queritis. Ex hoc loco advertere possumus quam grave sit malum iactantie quamque mortifera sit humane laudis ambitio. Ecce enim dominus id circo dicit iudeos non posse credere quia laudis humane cupidi erant. Superba enim mens laudari desiderat vultque estimari de se id quod non est et super id quod est desiderat apparere. Contra humile cor dei solius gloriam querit eique solum placere appetit. Hinc est quod salvator iohannem baptistam laudavit. quod non esset harundo vento agitata. quia nec laude alicuius ad gratiam nec vituperatione inflectebatur ad iram / Quia igitur ab hominibus gloriam non quesivit. idcirco excellentius a deo laudari meruit / Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud patrem / Est qui accusat vos moyses in quo vos speratis / Non inquit vos accusabo. quia neminem veni condempnare sed omnes salvare. Moyses vos accusabit. quia increduli estis vocibus illius / Ille enim de me scripsit. fallso ergo deo confiditis. cui de me scribenti credere non vultis. Legistis illum predixisse. Prophetam suscitabit vobis deus de fratribus vestris tamquam me. illum audietis. sed non vultis eius recipere testimonium. ut in me credatis / Et cum michi non creditis. nec ipsi moysi credere comprobamini. Si enim crederetis moysi. crederetis forsitan et michi / Omnis scriptura legis et prophetarum christo fert testimonium. Si ergo legi et prophetis suis credidissent / credidissent utique christo / Quod vero dictum forsitan more suo accipiendum est / Ceterum nulla in christo dubietas cadit. apud quem perfecta est omnium rerum sciencia. Si ergo legis et prophetarum scriptis non credebant. profecto nec christo qui a lege et prophetis predictus fuerat credere poterant / Hoc quoque liquido

telligitur. quia qui legis precepta implere negligunt. nunquam dicta sancti evangelii que perfectiora et subtiliora sunt implere valebunt / In lege enim rapina. in evangelio tenacia multatur / Ibi homicidium hic ira facit reum / Qui ergo ut deum est illa non implet. nec ista que perfectiora sunt poterit observare / Sed et illud paulo latius pertractandum. quod dominus superius dixit iudeis est qui accusat vos. moyses in quo vos speratis. Sunt enim hodieque multi iudeis similes. qui sanctos venerari videntur quos nolunt imitari. et quibus sperant ab illis adiuvari. quorum vel sacra corpora vel reliquias honorabiliter excolant. quorum vite et moribus contraria agunt. Metuendum quoque circa tales est. ne a sanctis in quibus spem fiducie se habere videntur potius accusentur quam adiuventur quo minus accepta est sanctis veneracio que exterius exhibetur insiciacia morum ac vite similitudine contemnendetur. Si ergo illos digne et utiliter venerari volumus. tamen et si virtute ac meritu illorum equari non possumus. imitari in quantum fragilitas nostra patitur satagamus. sed dei pietatis et dilectionis illorum vestigia sequi prestante domino nostro ihesu christo

[H]omo erat pater familias qui plantavit vineam. Et reliqua.

[P]assurus pro salute hominum dei filius venit iherusalem triumphali pompa et ab exultantibus turbis exceptus. quo tali gloria inimicorum suorum animos ad suam necem maturandam amplius incitaret. ubique per quinque non cessavit docens populum. et propositis similitudinibus scribarum et phariseorum scelera redarguens. Nam quia ipsi interrogaverunt eum cum eos de templo mirabili auctoritate eiceret. in qua potestate ista faceret. eique in sermone laqueos tetenderant. cum simulata veneracione interrogabant utrum liceret dari cesari censum an non. videntes ipsi suis artibus superari a domino et in parabolis audiunt. quod aperte non merebantur audire. Hec denique similitudo iudeorum invidiam qua contra salvatorem conceperant et passionis eius totum complectitur sacramentum. Homo enim iste pater familias deus omnipotens est. qui sic homines in mundo. quasi dominus suos famulos possidet in domo. Hic est ille pater familias. qui habuit duos filios. quique secundum alterius loci parabolam conducit operarios in vineam suam. qui plantavit vineam plebem videlicet israheliticam quam de omnibus gentibus in populum sibi peculiarem elegit. Hec est illa vinea de qua ysaias in cantico locutus ad ultimum addidit. Vinea domini sabaoth domus israel est. De qua et psalmista dicit. Vineam de egypto transtulisti. eiecisti gentes et plantasti eam. Et sepem circumdedit ei. et fodit in ea torcular. et edificavit turrim. et locavit eam agricolis. Sepes vel murum urbis vel angelica presidia designat. Sepe ergo vineam circumdedit. quia et munimine murorum. et auxilio angelorum illam plebem vallavit. Torcular altare. quia sicut in torculari vina exprimuntur. ita in altari deo hostie immolantur. Hec sunt illa torcularia. quorum titulo tres psalmi prenotantur. ita. In finem pro torcularibus. Edificavit turrim. templum scilicet. Hec est illa turris ad quam loquitur michea propheta dicens. Et tu turris gregis nebulosa filia syon. Locavit eam agricolis. Agricolas principes iudeorum dicit. quibus deus vel templumque et universam simul plebem tradidit gubernandam. Et peregre profectus est. Profectus est peregre non loci mutacione. Nam quo potest recedere. qui per prophetam loquitur. celum et terram impleo. Et alibi. Deus de prope ego sum. et non deus de longe. Sed abisse dicitur. liberum illis relinquendo arbitrium. utrum vellet operari in vinea an non. Cum autem tempus fructuum appropinquasset

Tempus fructuum fuit ex quo interfectis hostibus terram repromissionis securi manere ceperunt. Et pulchre hoc proventuum, sed tempus dicit fructuum, quia nullus huius vinee proventus, nullus protervi populi contigit boni operis fructus. Misit servos suos ad agricolas ut acciperent fructus eius. Et agricole apprehensis servis eius alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Servi qui primum ad agricolas missi sunt, moyses legislator et aaron et reliqui sacerdotes intelliguntur, qui per quadraginta annos continuos in deserto fructum legis quam illis deus dederat exigebat. Sed agricole missos ad se servos occiderunt flagellantes illos verberibus linguarum. Scriptum est enim: Irritaverunt moysen in castris, aaron sanctum domini. Et iterum: Vexatus est moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum eius. De qua vinea quid ipse moyses senciat in cantico deuteronomii declarat dicens: De vinea sodomorum vinea eorum, et de suburbanis gomorre. Uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus. Notandum quod alius evangelista dicit alium in capite percusserunt. Per hunc namque servum intelligitur david, qui et ipse servus patrisfamilias erat, qui eundem populum ad superna desideria incitabat, iocundam psalmorum melodiam concinendo. Sed hunc in capite percusserunt qui ipsum spiritualis misterii repertorem abiecerunt dicentes: Non est pars in david, neque hereditas in filio ysai. Nobile quoque regnum eius ignobili tradiderunt, et religionem impietate mutaverunt. Sed ille huius iniurie immemor pro hac vinea hunc patremfamilias precabatur dicens: Domine deus virtutum convertere, respice de celo et vide et visita vineam istam. Iterum misit alios servos plures prioribus. Per servos qui secundo loco missi sunt choros prophetarum debemus accipere, qui suis oraculis populum conveniebant et que huic vinee imminerent predicabant. Sed et hos similiter persecuti sunt, et occiderunt eos qui prenunciabant de adventu iusti. Audiamus quid ysaias de huius vinee sterilitate queratur: Ego te plantavi vineam electam, omne semen verum; quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliene. Fecerunt inquit illis similiter. Quosdam enim lapidaverunt, ut ezechielem in caldea, iheremiam in egypto. Alios occiderunt ut micheam. Alios secuerunt ut ysaiam. Nonnullos vero ferro perculerunt ut amos. Et ostendit hic pacienciam et sustentacionem domini, qui crebrius servos suos ad malos colonos direxit, quatinus ab illis communiti penitenciam agerent. Sed illi contempnentes iram sibi in die ire the sauriza(ue)rit / Novissime misit ad eos filium suum dicens / Verebuntur filium meum / Novissime inquit misit filium suum quia sicut apostolus dicit ubi venit plenitudo temporis misit deus filium suum natum ex muliere / Non autem misit ut de malis et pene obnoxiis condignam sententiam iudicialem ferret sed adhuc post tanta scelera post servorum suorum iniquas mortes locum venie misericorditer reservaret / Verebuntur filium meum / Et quasi ambigens dicit. verebuntur filium meum non ita est accipiendum quasi ignorans hoc ~~diceret~~ dixerit / Nam quid deus qui cuncta singulariter et simul novit ignorare possit / Sed dubitare dicitur ut in hoc filii potestas liberi arbitrii demonstretur / Agricole autem videntes filium dixerunt. hic est heres venite occidamus eum et habebimus hereditatem eius / Ex hoc loco manifestissime comprobatur principes iudeorum non per ignorantiam sed per invidiam crucifixisse redemptorem / Noverant enim eum esse filium dei intelligebant hunc esse illum cui loquitur deus pater / postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam. et possessionem tuam terminos terre / Agnoscebant eum adhoc venisse in mundum ut omnes gentes ad suam fidem converteret / Ideoque quasi consulentes sibi dicebant / Ecce mundus totus post eum abiit / Et si dimittimus eum sic. omnes credent in eum / Hereditas autem filii ecclesia est. in cunctis ei data nacionibus. quam non moriens pater ei reliquit sed ipse morte sua illam misericorditer adquesivit / atque a mortuis resurgendo illam sub testamento vite eterne possedit / De qua apostolus / Attendite inquit gregi in quo vos posuit spiritus sanctus regere ecclesiam. quam adquesivit sanguine suo / Nam hereditate. nequa coloni occiso herede properare cupiebant. quia adhuc persequebantur christum. ut fidem que per eum est extinguerent. et carnale misterium legis iusticie evangelii preferrent / atque omnibus gentibus imbuendis inferrent / Et apprehensum inquit eum. eiecerunt extra vineam et occiderunt / Extra vineam vinee heres occiditur. quia christus extra civitatem in loco qui golgotha id est calvarie dicitur crucifixus / Unde apostolus / Ihesus autem ut sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est / Sive eiecerunt eum extra vineam et occiderunt. quia prius per incredulitatem a suis cordibus expulerunt. ac sic crucis supplicio affecerunt / Hoc olim presignabat. quod Moyses in tabernaculo dei altare holocausti in quo victimarum sanguis effundebatur. non intra tabernaculum sed ad hostium posuit. mistice innuens. quia crucis ara extra portam Iherusalem erigenda erat. et Christus dei patris filius non in domo iudeorum. hoc est in mentibus illorum recipiendus. sed foris erat immolandus / Quod autem Marcus mutato ordine dicit. et apprehendentes occiderunt eum. et eiecerunt eum extra vineam. pertinaciam infelicitatis illorum denotat. qui nec post eius passionem et resurrectionem credere voluerunt. sed quasi cadaver mutilatum proiecerunt. predicatores verbi illius a suis finibus excludentes. et ad nationum populos transmittentes / Cum ergo venerit dominus vinee quid faciet agricolis illis / Interrogat eos non quo ignoret quid illi responsuri erant. sed ut eos propria responsione condempnet / Aiunt illi. Malos male perdet. et vineam suam locabit aliis agricolis / Et cetera / Veniens dominus malos male perdidit. quia incredulos et crudeles sui homicidas digna ultione puniit locum. gentem. simul et regnum ab eis auferendo et per omnes mundi terminos longe lateque disseminando / Locavit eam vineam aliis agricolis. quia nobis scripturarum mysteria et sua cognicionem tribuit. ea condicione. ut suis temporibus fructum reddamus id est noverimus quid unoquoque tempore loqui vel agere conveniat / Et hoc quod illi dixerunt. quod scilicet malos male perderet. et vineam aliis agricolis locaret / Dominus ipse divinitus procuratum prophetico ostendit exemplo respondens / Nunquam legistis in scripturis. lapidem quem reprobaverunt edificantes hic factus est in caput anguli / A domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris / Ipse quos superius colonos vocaverat nunc edificantes appellat / quia principes et sacerdotes iudeorum subditam plebem ad offerendos iusticie fructus quasi vineam excolere. ipsi etiam hanc ut deo inhabitatore digna fieret quasi domum construere et exornare debuerunt / Nam et apostolus huic sensui astipulatur. fidelibus loquens. Dei agricultura estis. dei edificatio estis / Sed illi quasi mali coloni fructus vinee reddere noluerunt. et quasi mali cementarii electum et preciosum lapidem vel in fundamento vel in angulo domus dei ponendum subtrahere / Hoc est fidem Christi auditoribus conabantur eripere / Aut ergo Nunquam legistis. lapidem quem reprobaverunt edificantes. Et cetera / Ac si diceret. Quomodo implebitur hec prophetia quia lapidem ab edificantibus

·repbatu̅ in caput anguli factu̅ dicat / nisi xpc a uobis repbatus et occasus credituris gentibus p dicat᷑ / Ipe em quasi lapis preciosꝰ mota qd apostolus dicit / Petra erat xpus in caput anguli factus est · ex duobus parietibus circucisionis et pputii in sua fide copulauit / et unam ecclam ex duobꝫ ppłis constituit / Ideo dico uobis / Auferetur a uobis regnu̅ dei · et dabitur genti facienti fructus eius / Regnu̅ dei hoc loco sc̃e scripture intelligend· sunt· qua dns in fidelibus iudeis abstulit · et nobis tradidit ut earum fructu faciamus / Ista est illa uinea que quoda locata est agcolis / sȝ illi nomie tantu̅ scpturarꝫ habuerunt · ffructu̅ uo illarꝫ nullu̅ consequi meruerunt / Et qui ceciderit sup lapide̅ istum confringetur / Sup que uo ceciderit conteret eum / Multu̅ distat inter eu qui p fragilitatem aut ignorancia peccando offendit xpm et eu qui p supbia negat xpm Qui ergo credens in xpm · peccat· sup lapidem cadit et confringitur Sȝ no omnino conteritur · ex respua ad penitenciam · Si uo quis negauerit xpm · cadet / ide irruet sup illu̅ lapis iste · et ita conteret eu̅ ·etno interitu · ut ne testa quide remaneat · in qua paru̅ aque de fouea hauriatur / Potest · et hoc dici · qd illi sup lapidem cadebant · qui eu̅ cu̅ p simplicitate et ignorancia contempnebant · et iniuriis afficiebant / Ideo conquassati sunt · no tamen penitus contriti / Qui uo illu̅ scientes dei filiu̅ p inuidia negabant · et contra sua̅ conscientia eius opa belzebub assignabat · sup hos irruet lapis et conteret eos sempiterna pdicione atqȝ comminuet · ut sint impii sicut puluis an facie uenti / Et cu̅ audissent pncipes sacerdotu̅ et pharisei · cognouerunt qd de eis diceret / Principes sacerdotu̅ · et scribe · ppria redarguti consciencia querebant interfice dnm quasi mencientē contra se / Sed hoc agentes · p bant uera ee que dixerat / Ipe em erat heres cuius mors iniusta uindicanda erat a patre / Ipi uero erant nequa coloni · qui ab occidendo filio dei ad modicu̅ quidē humano timore retardari poterant · donec hora eius ueniret · nunqꝫ uero diuino timore aut amore cohiberi uoluerunt / Hec uero que de hac parabola sup malicia iudeorum exposuimus morali intellectu ad unu̅ queqꝫ nrm referre possumus / Cu̅ enim alicui

[illegible]

fidelin misteriu baptismi qd operando exercere debeat comittit/ quasi ei vinea qua excolat locat Mittit unus. et alter servus. et tertius. qui fructus accipiant cu legit lex. phetia. et psalmi/ quoru monitis instructus. bonoru fructus operu reddere debeat/ Sed servus cotumeliis affectus eicitu sermo dei vel contempnit vel etia qd gravius est blasphemat Insup et heredem quantu in se est occidit. qui immemor in fide omnipotentis dei. ipm filiu dei respuit. et spui sancto quo regeneratus est contumelia facit/ pter qd malis agricolis male pditis. dat alteri vinea. qz dono gre qd ingratus spernit/ humilis quisqz ditat/ Sed et hoc qd de illis in fine evangelii dictu est. qz querentes tenere eu timore turbaru pcedunt cottidie videmus agi in ecclia/ Multi enim sunt in ecclia solo nomine fres qui ecclastice fidei et pacis unitatem qua no diligunt. pr cohabitanciu bonoru frm multitudine aut erubescunt aut timent impugnare Sed hii sic dns ad eos de destructione loquit cu tempus fuit malitie erigunt. qua nacta occasione. etiam pstpui. et xpm cu phariseis cruci addicere. et ostentui conant haberi/ Ptimescere debemus. ipi qui loquim et audi ne exempla phariseoz sequamur/ Curemus sollicite. ne solo nomine tantu simus xpiani. nec sub specie pietatis. impietatis titulum subeamus. Agamus dno gras. qui scripturaz scientia in qua quonda iudei florebant illis p irrevocabili malicia abstulit et nobis p sola misericordia largitus est/ Veneremur eu no sicut simplices turbe ut pphetam. sz ut deu et dnm pphetaru salvatore et redemptorem nrm. qui vivit et regnat

h omo quidam habuit duos filios/ Et reliqua/

orbis et pharisaeis contra auctore nre salutis murmurantibus. sicut requisita que hanc ~~pcedit~~ pcedit sci evangelii lco declarat. posuit dns duas parabolas. alteram hominis de inventione pdita gaudentis. alteram mulieris sup pdita et repta dragma gratulabunde exultantis. ostendens in conclusione pabole. quantu sit gaudiu in celo sup conversis pccoribus/ Deinde dixit et hanc similitudine no solu sui de conversis peccoribus gaudiu demonstrans. veru etiam invidentiu murmuracione reprehendens/ Ait ergo/ Homo quida huit duos filios. Homo iste deus ompc pr intelligit. qui duos habuit filios. qz ipe est genitor ac creator diuorum populorum. Et maior iudeos designat qui in cultura unius dei permanserunt. Et minor uero populus significat gencium qui relicto creatore colendo creaturam eciam usque ad ipsum dei inimicum dyabolum adorandum peruenit. Et dixit adolescencior ex illis patri. Da michi porcionem substancie que me contingit. Et diuisit illis substanciam. Substancia que inter fratres diuisa est sensus racionalis homini a deo attributus intelligitur. Nam uiuere intelligere meminisse ingenio aliquo prominere diuini muneris substancia est. Qua substancia tunc minor filius a patre excepit cum homo in sua uolens esse potestate proprium liberum arbitrium sibi regere conatus est, sicque donum conditoris sui quesiuit superbus abicere. Diuisit ergo illis substanciam quia a fidelibus suscepcionis graciam qua desiderabant impertiuit, infidelibus uero naturalis tantum ingenii beneficium quod sibi sufficere putabant attribuit. Et non post multos dies congregatis omnibus adolescencior filius peregre profectus est in regionem longinquam. Et non post multos dies congregatis omnibus profectus est, designat quia non multo post institucionem humani generis uisum est anime ut bona sue nature que per se ad bona opera facienda infirma et impotens est nisi eius qui eam dedit auxilio fulciatur ad explenda sua desideria sibi aggregaret uel attribueret. Viuendo autem luxuriose dicit amando hanc uitam prodigam que pompis exterioribus spaciari gaudet, intus non metuit marcescere. Longe uero profectus est non locis sed animi mutacione. Quanto enim quis amplius delinquit tanto longius a dei sui conditoris gracia recedit. Et postquam omnia consummasset facta est fames ualida in regione illa. Fames in longinqua regione indigenciam designat uerbi dei in regione longinqua id est in obliuione conditoris de qua dominus per prophetam minatur: Mittam famem super terram non famem panis neque sitim aque sed audiendi uerbi dei. Et ipse cepit egere. Et abiit et adhesit uni ciuium regionis illius. Merito egere cepit qui thesauros diuine sapiencie et diuiciarum celestium reliquit. Vnus ciuium regionis illius cui iste prodigus adhesit diabolus est quem dominus principem huius mundi appellat qui merito peruersitatis sue terrenis concupiscenciis prepositus est. Et misit illum in uillam suam ut pasceret porcos / Villa carnalem concupiscenciam designat / De qua hic qui invitatus ad spiritales epulas se excusat dicit / Villam emi. et necesse habeo exire et videre illam / In villam ergo mitti est cupiditatibus mundi subiugari / Porcos vero pascere est ea quibus maligni spiritus delectantur operari / Qui merito immundicie et impuritatis designantur per animal sordibus et ceno semper gaudens / Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabat / Siliqua genus est leguminis follibus maximum et sonorum. sed granorum paucitate sterile et pene vacuum / Ideoque per siliquas designantur doctrine seculares sterili suavitate resonantes. in quibus laudes ydolorum id est fabule et carmina concrepant poetarum. quibus porci id est demones delectantur / Hinc prodigus iste saturari cupiebat. quia aliquid solidum. et quod ad beatam vitam pertineret. in talibus invenire volebat. nec poterat / Hoc est enim quod subiungitur / Et nemo illi dabat / In se autem reversus dixit / Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus ego autem hic fame pereo / In se inquit reversus / Unde iste reversus fuerat / Ab hiis nimirum que foris per oblectamenta noxia illiciunt et seducunt ad consciencie interiora mentis intentione redierat / Quanti mercenarii Et reliqua / Licet enim gentes in magna veri ignorancia. et tempore cultus dei versabantur. tamen predicantibus apostolis ceperunt quidam a malis resipiscere. et ad agnicionem sue medie verbi saturitate perfecta revocari / Mercenarii autem sunt. qui intuitu superne mercedis digna satagunt operari / Hii mercenarii in domo patris panibus habundant. quia tales in ecclesia spiritalis gratie reficiuntur alimoniis / At vero hii qui extra edes huius patris familias positi sunt fame verbi dei pereunt. et ventrem siliquis implere cupiunt. quia scientiam veritatis non habentes. beatam vitam in studiis inanibus philosophie requirunt / Sicut enim panis quo cor hominum confirmatur verbo dei merito comparatur. ita siliqua que foris mollis intus vacua est. nec reficiens corpus sed onerat. seculari sciencie comparatur. que est sermone sonora utilitate vacua / Surgam inquit. quia pessime iacere me sentio / Ibo ad patrem meum a quo longe recessi. Ad patrem inquit ibo. quia sub porcorum principe miserabili egestate tabesco. Et quasi primum in se dum novat patrem. quem quasi offensum. quia magnis sceleribus irritatus non dedignatur patris audire vocabulo / peccavi inquit in celum. hoc est in angelis. et in sanctis animabus qui sunt sedes dei / Anima inquit iusti sedes penitencie / Et dns dicit Celum michi sedes est / Addidit et coram te hoc est in ipso interioris consciencie secreto. quo dei solius oculi penetrare possunt / Et iam non sum dignus vocari filius tuus fac me sicut unum ex mercenariis tuis / Agnoscit se et filium et per affectum cuncta que patris sunt. sua fore non ambigit. sed forte ignorancie memor. ad hec nequaquam assumere presumit. ideoque sicut mercenarium se fieri poscit. pro pretio mercede non pro hereditate serviturus. fac me inquiens sicut unum ex mercenariis tuis / Verum ne hoc quidem nisi paterna dignacione promereri posse testatur / Quapropter taceant pelagiani. qui temerario ore garriunt. hominem sua virtute sine dei adiutorio posse salvari. cum aptissime veritas dicat. sine me nichil potestis facere / Et surgens venit ad patrem suum / Ad patrem venire est ad ecclesie societatem accedere per fidem. ubi est legitima et fructuosa peccatorum confessio / Cum autem adhuc longe esset hoc est cum nondum adhuc deum intelligeret. sed iam pia devotione quereret. vidit illum pater. hoc est misertus est illius / Videre namque dni misereri est. sicut et de petro scriptum est / Respexit dns petrum Et misericordia motus accurrit. Revertenti filio pater accurrit / quia deus semper fuit cum unigenito filio suo / Et licet filius pro nostra salute carnem assumpserit. tamen in eo deus pater semper mansit. et cum eo ad hanc nostram peregrinacionem descendit / Apostolus enim dicit / Deus erat in christo. mundum reconcilians sibi Hinc ipse salvator ait / Qui me misit mecum est. et non relinquet me solum. Et alibi pater in me manens ipse facit opera / Et cecidit inquit super collum eius. et osculatus est eum / Super collum filii cadere est, in amplexus eius brachium inclinare / Brachium autem dei patris filius est dicente propheta Et brachium dni cui revelatum est. Deus ergo pater super redeuntis filii collum cecidit. quia brachium suum hoc est verbum suum. ad hec mundi infima in inmensa misericordia fudit. Osculatus est enim eum. videlicet ad spem venie peccatorum ubique gratie reduxit / cum per filium dicit. Penitenciam agite. appropinquabit enim regnum celorum / Dixit filius ad patrem Pater peccavi coram in celum et coram te. et iam non sum dignus vocari filius tuus / Postquam ad patrem reversus est. hoc est in ecclesia iam positus. incipit peccata confiteri sed non dicit omnia. que se facturum super promiserit / Dixit enim iam non sum dignus vocari filius tuus. nec addidit que superius se dicturum meditabatur: fac me sicut unum de mercenariis tuis. Cum enim adhuc longe esset et patrem non haberet, appellat ut mercenarius esset. Sed postquam patris osculo meruit honorari generosissime, iam dedignatur mercenarius esse. Multa namque intelligitur distancia esse inter servum, mercenarium et filium. Servus namque est qui adhuc metu penarum gehenne vel legum mundanarum formidine a viciis abstinet. Mercenarius vero est qui desiderio ac spe regni celestis bona agit. Filius vero est qui affectu boni et virtutum amore delectabiliter deo per caritatem famulatur, que summa et perfectione omnium virtutum apostolus commemorat dicens: Nunc autem manent fides, spes et caritas, tria hec, maior autem horum est caritas. Ergo prodigus iste primo quasi servus ad se reversus dire famis cepit supplicia formidare; mox reverti ad patrem volens de statu mercenarii cepit cogitare. Postquam vero accurrens pater amplexatus et osculatus est eum, oblitus statum servi, oblitus et mercedum mercenarii, de sola iam hereditate cepit sollicitatus esse petentis. Et hoc est quod apostolus dicit: perfecta caritas foras mittit timorem. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam et induite illum. Stola prima hec vestis est innocencia, quam prothoplastus Adam bene a deo conditus accepit, sed a diabolo male deceptus amisit. Unde et post culpam prevaricationis primi homines cognoverunt se esse nudos, et amissa immortalitatis gloria pellicium id est mortale acceperunt indumentum. Servi quibus hoc precipitur sunt sancti predicatores qui protulerunt primam stolam, quando homines deo reconciliatos predicabant esse tanta gratia sublimandos ut non solum cives angelorum sed etiam heredes dei et coheredes fierent Christi. Et date anulum in manu eius. Anulo solet res secreta signari. Per anulum ergo signaculum fidei debemus accipere, quo cuncta dei promissa in fidelium cordibus confirmantur. Anulo etiam sponsa nupciali federe pignoratur. Ideoque per anulum intelligitur pignus nupciarum Christi et ecclesie. Anulum ergo prodigus filius accepit cum per fidem Christi ecclesiam ex gentibus sibi sociavit. Et bene in manu datur anulus ut opera fidei astruant, ipsa opera fidem confirment. Dantur et calciamenta in pedes. Per calciamenta officium evangelizandi signatur. Scriptum est enim: Quam speciosi pedes evangelizancium pacem, evangelizancium bona. Et apostolus: Calciati inquit pedes in preparatione evangelii pacis. Filio ergo ad pristinam dignitatem reverso manus et pedes ornantur. Manibus quidem ut quique fideles recte uiuant. Pedibus uero ut prius sanctorum muniti exemplis ad eterna gaudia properemus. Et adducite uitulum saginatum et occidite. Uitulus saginatus ipse est filius dei dominus Ihesus Christus qui bene uitulus dicitur saginatus quia caro eius spirituali pinguedine et uirtute fertili opima est, adeo ut sola ~~sufficeret~~ sufficerent ad tollenda totius mundi peccata. Adducere autem uitulum precipit et occidere, mortem eius per apostolos predicari. Quasi enim tunc uitulus iste occiditur cum ab unoquoque occisus creditur. Tunc comeditur cum sacramentum passionis eius casto corpore et munda mente percipitur. Et manducemus et epulemur quia hic filius meus mortuus fuerat et reuixit, perierat et inuentus est. Intuendum quod pluraliter dicit manducemus et epulemur. Quod cum carne sacra sancti huius uituli non solum ille qui mortuus reuixerat, perditus inuentus erat, uerum pater et serui illius sunt epulati, ostenditur quia letitia patris est nostra salus, et illius gaudium est nostrorum remissio peccatorum. Nec solum patris sed et spiritus sancti, quia sancte trinitatis una est operatio, unum gaudium, una quoque dilectio. Hoc prefigurabat ~~cum~~ olim quod Abraham tribus angelicis hospitio receptis uitulum tenerrimum et optimum occidisse et eis legitur apposuisse, quia immolata pro nostra redemptione carne Christi totius trinitatis letitia est. Et ceperunt epulari. Epulis iste nunc ecclesia per totum orbem dilatata celebrantur. Cottidie enim in sancta ecclesia uitulus iste sacratissimus deo patri per sacerdotes offertur, et multa percipientes pascit etiam, quia cum ~~m~~ cottidie immolatur semper integer permanet et immaculatus et uiuus. Erat autem filius eius senior in agro. Filius senior populus iudeorum est, qui semper cognitionem habuit dei, quique a deo per prophetam primogenitus appellatus est filius. Qui ~~quam~~ quamuis a patre longe non discessisset, non tamen domi sed in agro erat, quia idem populus neque cultu creatoris ex toto propter ydola defuit, nec tamen legis sibi date interiora misteria penetrauit, sed superficie tantum littere delectatus exteriora id est terrena tantum operari et sperare nouerat. Unde et ei terrena promittebantur domino per prophetam dicente: Si uolueritis et audieritis me, bona terre comedetis. Et cum ueniret et appropinquaret domui, audiuit symphoniam et chorum. Sepe contingit ut aliquis diligens ac studiosus doctor iudeorum legis archana scrutari incipiat. Cumque ex ipsis scripturis ueritatem catholice percipit laborem servilis operis circa litteram legis observando intentus erat perhorruit / Hoc est enim quasi de agro redire et domui appropinquare. Audit symphoniam et chorum / Hoc est predicatores sancto spiritu plenos consonis vocibus intelligit predicare. Denique et apostolus. Obsecro vos inquit ut idipsum dicatis omnes / Et vocavit unum de servis et interrogavit que hec essent / Vo~~cavit~~ erat enim unus de servis ~~au~~ tu sumit ~~unum~~ in manibus ad legendum aliquem ex prophetis. qui sunt veri servi huius patrisfamilias. Et sollicitus investigans quasi requirit. que tam iocunda ecclesie festa sint. quibus se videt minime interesse / Ipse ei respondit. Frater tuus venit. et occidit pater tuus vitulum saginatum / Quod est aperte dicere / Gentilis populus deum eternum ignorans / qui per errorem longe a deo discesserat. nunc ex omnibus mundi partibus. ab extremis quoque terrarum finibus ad deum convertitur. et pro eius salute tanta exultatione novum deo canticum cantatur / Ipse quoque etiam occisus est ille vitulus pinguissimus. cui per psalmistam dicitur. Holocaustum tuum pingue fiat / Indignatus est autem. et nolebat introire / Obstinato adhuc animo Iudei foris sunt et nolunt fidem ecclesie intrare / Pater ergo illius egressus. cepit rogare illum

Novissimo seculi tempore implebitur vocatio Iudeorum. quia creditur sic ad predicationem Helye et Enoch / Hunc ergo circa illorum vocationem egressus pater vocat. Tunc enim quodammodo egreditur et rogabit eum ut ingressa gentium plenitudine quasi minori filio Omnis etiam israel salvus fiat / cui ex maxima parte cecitas contigit infidelitatis At ille respondens dixit patri suo. Ecce tot annis servio tibi. et numquam mandatum tuum preterivi / Cum frequentissime legamus illum populum contra mandatum domini ydola coluisse. quid est quod nunc dicit / numquam mandatum tuum preterivi. Sed hoc non de omnibus generaliter israhelitis pronunciavit. de quibusdam accipiendum est de hiis scilicet tantum qui semper deum coluerunt. et numquam ad ydola defluxerunt Hii tales enim quamvis terrena tantum delectarentur quasi in agro essent. quia tamen bona terrena a solo deo sperabant accipere. quod et testimonio spiritus prius confirmat / Cui respondet in sequentibus / Et numquam dedisti mihi hedum ut cum amicis meis epularer / Hedus animal olidum et petulcum in scripturis divinis peccatoris figura tenere solet. Sed hoc loco. hedi nomine christum debemus intelligere quem ille populus in similitudine carnis peccati venisse asseruerunt peccatorem confirmavit. Unde et ceco illuminato dicebant / Nos scimus quia hic homo peccator est. Et alibi samaritanum eum esse. et demonium halege blasphemabant. Nec mirum videri debet si hic per hedum christum significatum dicimus, cum etiam in lege hoc nomine legatur appellatus. Dicit enim: non coques hedum in lacte matris sue. Quod ergo dicit: non dedisti michi hedum, tale est ac si dicat: Illum quem in hedus videbat non dedisti michi. Hac de causa illum michi subtrahens quia hedus michi videbatur. Nam quia christum prevaricatorem legis et violatorem sabbati dicebant, ideo cum epulis eius iocundari non meruerunt. Sed id sequitur: ut cum amicis meis epularer. Ex principum persona accipiendum est, qui cum amicis, id est cum reliqua plebe epulari volebat. Potest et ex persona populi iherosolimitani dictum intelligi cum ceteris populis iudea. Sed postquam filius tuus hic qui devoravit substanciam suam cum meretricibus venit, occidisti illi vitulum saginatum. Meretrices cum quibus substanciam suam devorasse dicitur superstitiones gentilium et nefanda figmenta sunt, in quibus totum naturale ingenium expenderunt, et relicto deo quem virum anime habere debuerant cum turba demonum turpissima cupiditate fornicati sunt. At ipse dixit: Fili tu semper mecum es. Non redarguit quasi mencientem, sed eius perseveranciam in suo obsequio comprobans ad colletandum sibi simul quia pro filio epulandum invitat. Et omnia mea tua sunt.

Ad patrem loquens quodam loco filius: Et omnia mea tua sunt et omnia tua mea. Ecce hoc simillimum huic sentencie videtur: et omnia mea tua sunt. Sed distincte multumque dissimiliter omnia que patris sunt habet ille qui per naturam eius est filius dei, quam hii quos gratia fecit filios dei. Illius enim sunt omnia patris per naturam, istorum per donationem dei clemenciam. Ille sicut unicus habet omnia potestate, isti sicut adoptati concessa divinitus pietate. Ille habet omnia pro id quod de deo deus patri equalis natus est, isti pro hoc quia ex deo renati sunt. Sane cum dicit omnia mea tua sunt, non sic accipiendum quasi non sint et fratris. Nam in eterna hereditate que dei sunt angustie non sunt ut maior frater habere omnia si minor etiam partem habuerit. Sed in spiritualium et celestium bonorum hereditate sic a perfectis et immortalibus filiis omnia possidentur ut et singula sint omnium et omnia singulorum, operante in omnibus caritate que metas non novit cum angustia possidendi. Quam psalmista magna laude sublimans ait: Omnis consummacionis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Hanc igitur efficacissime tenere studeamus, per hanc mutuis profectibus congaudere discamus. Diligamus id quod est supra nos et quod intra nos.

Dominica oculi ewangelium que est dominica iija quadragesime

Diligamus quod est iuxta nos et quod infra nos. Diligamus deum qui est supra nos tota anima tota mente tota virtute. Diligamus quod est intra nos id est interiorem virum hominis animam videlicet nostram eamque deo studeamus subdere curemus. Diligamus quod est iuxta nos id est proximum sicut nosmetipsos. Diligamus quod est infra nos carnem videlicet nostram ut eius illicitos appetitus frangamus atque spiritui obtemperare cogamus. Christum sedulo poscentes ut spiritum animam simul et corpus sine querela in suo sibi adventu custodiat. Deus et dominus noster qui cum patre

rat ihesus eiciens demonium et illud erat mutum. Et reliqua.

nus et salvator noster homo inter homines conversans multa inter homines miracula operabatur ut qui verbo predicationis eius ad fidem venire nolebat vel ipsis miraculis crederet. Curabat paraliticos, leprosos mundabat, infirmos et languidos sanitati restituebat, mortuos quoque suscitabat, claudis gressum, mutis loquelam reddebat. Inter quos et istum de quo presens ewangelii locus narrat demoniacum curavit. Et sciendum quod iste demoniacus secundum matheum ewangelistam non tantum mutus sed et cecus fuisse describitur. Cum ergo a christo sanitati redditus narratur, tria miracula egregia in uno homine pariter facta esse demonstrantur. Cecus namque lumen recepit, mutus loquelam, captivatus demone libertatem. Et ideo per istum hominem non incongrue valemus gentilem populum intelligere, qui ad fidem veniens cecus erat et mutus atque a demonio possidebatur. Cecus erat quia lumen veritatis hoc est verum deum ignorabat. Mutus erat quia ad laudes sui creatoris os necdum aperuerat. Demoniacus nichilominus erat quia per ydolatriam demonibus serviebat.

Sciendum vero est quod quod in uno homine tunc dominus fecit cum eum a demonio liberavit, hoc etiam cottidie agit in ecclesia. Prius enim quam homo veniat ad baptismum a diabolo possidetur et cecus est et mutus quia nec deum intelligit nec illum ore confitetur. Sed tunc a demone liberatur cum in baptismo eum exsufflat et coniurat malignus spiritus a sacerdote per invocationem ihesu christi ut exeat et recedat ab eo et det locum deo vivo. Tunc redditur loquela cum interrogatus a sacerdote credat in deum patrem omnipotentem et in ihesum christum filium eius et spiritum sanctum respondet credo. atque in nomine sancte trinitatis trina illud submersione fontis purificat. Tunc recipit lumen cum precedentibus contemplationem incipit deum videre quem prius ignorabat. Est autem dici illud erat mutum / mutum fuisse dici demonium quod homines mutos facit non quod ipsum per se mutum sit. Qua locutione etiam non communi sermone frequentamus cum dicimus estus caniculas tristesque lupinos. non quod ipse canicule vel lupini tristes sint. sed quia homines tetros tristesque faciunt. per videlicet quod efficit illud quod efficitur designantes. Quidam autem ex eis dixerunt In beelzebub principe demoniorum eicit demonia. Hanc blasphemiam non turbe simplices domino obiecerunt. sed pro eius scribe et pharisei calumniatores divinorum operum. sicut alii evangeliste declarant. qui opera domini salvatoris vel negare vel si negare non possent. certe subdola et sinistra interpretatione pervertere laborabant. Nam turbas hoc dixisse manifestum est. que domini ihesu christi facta et miracula assidue mirabantur dicentes Hic est christus. et hic est propheta. et cetera que ad laudem filii dei pertinent. Beelzebub autem ydolum fuit apud diversas gentes diversis vocabulis nuncupatum. Ninus enim rex assyriorum conditor ninive civitatis magne ut refert beatus iheronimus post mortem beli patris sui composuit statuam in honorem ipsius eique divinos iussit honores persolvi ab hominibus. Cuius simulacri similitudinem chaldei suscipientes qui erant vicini eorum vocabant illud bel. ut in danielis volumine legitur. Iudei palestini illud accipientes appellabant baal. Moabite vero beelphegor. Unde et per diversitatem gentium diversa ei constat vocabula indita. Et iudei qui unius dei cognitionem habere videbantur nuncupabant illud beelzebub. ob contemptum derisionemque gentilium. Siquidem baal vir dicitur. zebub autem musca vocatur. unde quasi nomine composito beelzebub id est vir muscarum vel habens muscas cognominatur. Quia cum plurima ex pecoribus sacrificia in templo illius immolabantur. plurimos quoque necesse erat greges muscarum illuc undique confluere propter sordes sanguinis immolati. Asserebant quoque iudei in hoc simulacro principem demoniorum habitare per cuius potestatem dicebant demonia pelli. cuius etiam cultui patres eorum aliquando fuerant mancipati. Et alii temptantes signum de celo querebant ab eo. Quod signum quesierint hic non dicit. Beato autem iheronimo docente discimus quia putabant ignem de sublimibus celi descendere sicut factum legitur helye temporibus quando igne celitus misso duo quinquagenarii cum suis quinquaginta sunt perempti. Aut certe huiusmodi signum poposcisse credendi sunt. ut contra consuetudinem terre illius estiuo tempore tonitrua audirentur. imbres ruerent. fulgura discurrencia coruscarent. velut sub samuhele et saule rege superbissimo constat accidisse. Possumus et nos dicere. quia quesierunt sibi in signum manna de celo demitti. quo in deserto per quadraginta annos aliti sunt. Hoc enim et ewangelista iohannes eos postulasse commemorat. Que signa idcirco a christo tunc temporis non sunt exibita. quia et illa calumniantes dicerent ex occultis aeris passionibus contigisse. Proprium autem fuisse illi genti. ut semper signa quereret Paulus apostolus testatur cum dicit. Iudei signa petunt et greci sapienciam querunt. Ipse autem ut vidit cogitaciones eorum dixit. Secundum quod hoc sibi proprium omnipotens deus reseruauit ut cogitaciones hominum intueatur et iudicet. Quod nulli angelorum nulli hominum ex toto legimus ex concessu. Unde scriptum est. Dominus solus nouit cogitaciones hominum. Et sapientissimus orator dicit. Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum. Non ergo ad verba sed ad cogitaciones respondit ut vel sic potencie sue magnitudinem ostenderet. qui secreta cordium rimari posset. Ac si dicat. Ea potencia diuinitatis qua mentes vestras intueor eicio demones. Omne regnum in se ipsum idest contra se ipsum diuisum desolabitur. Omne regnum solidum et firmum si diuisum fuerit per partes sicut istud est desolabitur. idest in solitudinem redigetur et euacuabitur ab habitatoribus suis. Hoc iuxta literam exposicione non indiget. quia regni in se diuisio cum augetur cottidie desolacionem ruinasque multiplicat. Et domus supra domum cadet cum habitatoribus unius domus ab alterius domus familia vel in opprimuntur. vel infectione perimuntur. Quod autem hec spiritualiter tendant exponit cum adiungit. Si autem et sathanas et cetera usque demonia. Tunc quippe regnum dyaboli in se idest contra se diuisum esset si demones alii alios eicerent. Cuius diuisio utique nobis valde profuisset. quia dum maiora demonia minora pellerent. animus impugnacionibus quantuluncumque aspirarent. Ait ergo dominus in dictis. Si sathanas in se ipsum divisus est quomodo stabit regnum eius / Est ergo sensus. Si ego vestram sententiam in principe demoniorum demones expello. ergo regnum diaboli quod est divisum contra se. hoc est potestas malicie eius iam stare non potest / Nec autem regnum indissolubile semper probat quia super regnum diaboli id est super demones tanta in certaminibus habere potestatem / Vos autem diu in me non creditis. sine dubio in regno diaboli quod ita divisum est manetis / Eligite ergo quid vultis / Si demon alium demonem non potest eicere. falsum me dicitis in principe demoniorum demones ab hominibus eliminare Si autem potest sicut dicitis multo magis vobis providete. et de regno eius cedite / Quod quia divisum stare non potest. ne si ibi manseritis. in illius ruina vos pariter involuamini Si autem ego in beelzebub eicio demonia. et cetera / usque iudices vestri erunt / Filios iudeorum apostolos appellat. qui pariter facientes signorum a domino precepta inter alia miracula etiam demones expellebant / Unde et redeuntes de predicatione dicebant domine etiam demonia subiciuntur nobis in nomine tuo Sed quando faciebant non diabolo sed deo expulsionem demonum assignabant Unde dominus subiungit /

Ideo ipsi iudices vestri erunt / Et dicitur in eo. ipse quoque testatur qui eos iudeorum iudices futuros esse predixit / Sedebitis inquiens super sedes duodecim iudicantes xii tribus israhel / Possunt et aliter hunc locum intelligere. ut filios filios iudeorum exorcistas illius gentis accipiam quos refert etiam iosephus salomonem excogitasse exorcismum. id est adiurationem quandam qua filii iudeorum invocato dei nomine demones expellebant / De quorum numero et ordine fuisse referuntur vii sceve filii. ut in actibus apostolorum legitur / Sensus autem istorum verborum talis est. / Si inquit expulsio demonum in filiis vestris exorcistis non deputatur demonibus sed deo. quare mihi ego demonia eicio. id est operibus non ad eandem causam refertur / Ideo ipsi iudices vestri erunt. non potestate sed comparatione. dum ipsi opus quod agunt deo assignant. vos autem opus meum principi demoniorum deputatis / Porro si in digito dei eicio demonia profecto. nichil aliud est nisi convictio / Digitum dei spiritum sanctum appellat spiritus namque est digitus. quo tabule testamenti scripte referuntur. quemque magi in egypto confitentur dicentes Digitus dei est hic. id est spiritus sanctus

Non autem movere nos debet quod filius manus vel brachium dei patris, digitus vero spiritus sanctus appellatur, quia licet sit inequalitas in hiis membris, nam maior vel brachium digito manus est, tamen in misterio trinitatis inequalitas non est, quia pater et filius et spiritus sanctus unum sunt, similiterque omnipotencia coequales. Sed quia manu cum digito unum est, dum filius manus patris, spiritus autem sanctus digitus dei dicitur, unitas probatur individue trinitatis commendatur. Quamvis spiritus sanctus digitus notari propter differenciam variorum donorum que per spiritum sanctum hominibus largiuntur rectissime possit. Nulla membra corporis nostri atque ut digiti participationes recipiunt. Que dona spiritus sancti paulus apostolus commemorans dicit: Alii datur per spiritum sermo sapiencie et reliqua usque quo dicit: Hec omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult. Quod autem adiungit: pervenit in vos regnum dei, in hoc loco iudicium et discretionem debemus intelligere, quo dampnati reprobi in die iudicii separentur ab electis. Ut sit sensus: Si vos iudicio filiorum vestrorum, cum demones ab obsessis corporibus eiciunt, deo deputatis et non diabolo, spiritus autem immundos a spiritu sancto separatis, cur illud diabolo assignatis et non deo? profecto certe omnino pervenit in vos regnum dei. Hoc est iudicium dampnationis quo in die iudicii infideles et incredibili a sorte fidelium excludemini. Pervenit autem tempus preteritum positum est pro futuro, quod est perveniet, sicut in multis locis invenitur. Vel alio sensu regnum dei superna beatitudine designatur. Unde scriptum est: Penitenciam agite, appropinquabit enim regnum celorum. Dicitur ergo hoc dicere: Si ego in spiritu dei eicio demonia, aditum regni celestis credentibus patefactum esse scitote.

Cum fortis armatus custodit atrium suum. Hec sentencia diligenter inspecta ex precedentibus pendere cognoscitur. Superius namque scribe et pharisei dominum calumpniantes in cordibus suis dicebant non eiecisse demonia in virtute spiritus sancti, sed per potestatem diaboli, a quo illum possideri credebant. Ceterum si dominus fecisset operibus diaboli, procul dubio consentiret. Sed quod dominus mali, quo non possit diabolo consentire, in operibus omnibus suis contrarius illi esse constat, presenti comparatione quasi dicit: forte a forciore superari et vinci. Nullus enim cum illo consorcium et societatem habere desiderat, qui vincere et superare festinat. Fortem ergo appellat diabolum, atrium illius hunc mundum, in quo usque adventum filii dei sine alicuius contradictione

principatus est / Si autem fortior illo
Et cetera (usque distribuet / Fortiorem
se vocat qui nimirum vincens non
cum diabolo ut iudei blasphemabant
in suis operibus concordavit. sed maiori
immo singulari potencia ipsum stravit
mundumque eius a dominacione sub-
traxit / Arma autem diaboli que dominus
abstulit. callidissime sunt versucie
spiritalium nequiciarum / Spolia illius
sunt autem ab eo decepti / Intravit
ergo dominus in domum fortis. cum mundum
diaboli potestati mancipatum venit
per incarnacionis misterium / Et fortem
quidem iuxta aliud ewangelium fortem
alligavit. quia diabolica potestate
ne ulterius nocere posset prohibuit /
Arma eius abstulit. cum spiritales
nequicias illius fidelibus suis re-
velando annullavit / Spolia eius
distribuit. quia ascendens in altum
captivitatem illius captivam captivam
duxit. et mortalibus. quos quondam
diabolus deceperat. varia dona
divisit / Quosdam enim dedit apostolos
alios ewangelistas. alios pastores et
doctores / Querit aliquis. si dominus
sibi corpus potestati diaboli abstu-
lit. quare regnat modo in mundo
Ad hoc sciendum est. quia diabolus nulli
potest nocere. nisi adheserit illi pec-
cando Verbi gracia / Sicut canis
rabidus ligatus. nullum potest
hominem mordere nisi accesserit ad
eum. ita et diabolus nulli potest
nocere nisi accesserit ad eum / Qui non
est mecum adversum me est / Licet hec
hec verba ex superfluo de omnibus
hereticis et scismaticis intelligi
valeant / proprie tamen ad diabolum
sunt referenda. cuius opera salvato-
ris operibus semper contraria sunt / Di-
abolus enim non cum Christo est sed contra
Christum. quia Christus humilis et beni-
gnus est. ille superbus et invidus
Ille cupit animas perdere / iste salvare /
Et qui non congregat mecum disper-
git / Christus predicans congregat vir-
tutes / Diabolus autem accumulat
vicia. et virtutes spargere et dissi-
pare querens. quoscumque potest ab
unitate ecclesie. et consorcio bonorum
hominum cottidie subtrahere festinat
et in perdicionem mittere satagit / Cum
immundus spiritus. Et cetera / usque non in-
venit / Possumus simpliciter hec
dicta accipere ad distinctionem ope-
rum domini et sathane / quia videlicet opera
sordida semper mundat / Diabolus
autem mundata sordidare laborat /
Tamen quo hec sentencia generaliter ten-
dat / dominus secundum ewangelium mathei
ostendit. cum terminata parabola
annectit dicens / Sic erit et genera-
cioni huic pessime / Unde necesse

est. id est ad iudeos hoc reversurum. Spiritus namque immundus tunc exivit a iudeis quando accepta lege in monte Sinay dixerunt. Omnia que precepit dominus faciemus. Ambulavit per loca arida quia expulsus a cordibus exivit ad solitudines gencium. que aride erant a pinguedine spiritus sancti et dilectione dei et proximi. Sed ibi requiem non invenit. quia a cordibus eorum suscepta fide christi expulsus. Unde et dixit. Revertar in domum meam unde exivi. id est repetam iudeos quos ante dimisi. Et veniens invenit scopis mundatam hoc est plebem israheliticam circumcisione purificatam. non quod eo tempore quo diabolus cepit per fidem repelli a cordibus credencium ita tunc aliquid mundicie circumcisio legalis conferret que finem acceperat in adventu salvatoris qui est finis legis et prophetarum. sed secundum ipsorum opinionem dicit invenisse domum hoc est corda iudeorum scopis mundata. quia illo tempore quando a cordibus gentilium diabolus cepit repelli putabant se sicut et adhuc falso putant a peccatis mundari per circumcisionem. Hec est enim consuetudo scripture. ut ita quelibet res narretur sicut eo tempore credebatur quando id narratum est quod dicitur. Secundum vero alium evangelistam dicit. Et veniens invenit domum vacantem. id est a christi auxilio vacuatam. Et ornatam superfluis scilicet tradicionibus scribarum et phariseorum. Vacabat enim templum iudeorum. et christum hospitem non habebat dicente. Dimittetur vobis domus vestra deserta. et alibi in templo potestates angelice conclamasse dicuntur. Transeamus ex hiis sedibus. Cum igitur et angelorum presidia non habebant. et ornati erant superfluis observacionibus phariseorum. revertitur ad eos diabolus. et pristinam habitat domum. Unde sequitur. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se. id est universitatem omnium demonum et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Quia deteriores sunt modo israhelite blasphemantes christum in suis conventiculis. quam fuissent olim in egypto ante perceptam legem. Quia aliud est venturum dominum non credidisse. aliud venientem non suscepisse. Potest quoque et hoc singulariter ad unumquemque nostrum referri. qui post perceptam graciam baptismi bona operari negligit. Sed peccatis originalibus actualia peccata potius adicit. Immundus namque spiritus exit ab homine cum quilibet sacri regeneracionis la[illegible]ibus immergendo. pompis dialubricas maiorumque peccatorum illecebris abrenunciat / Cum ergo diabolus nas olim possessas deseruerit per loca inaquosa ambulat. id est corda sanctorum que ab omni mollicie fluxarum cogitacionum et humore libidinis inmunia sunt. callidus temptator explorat. si quomodo vestigia sue decepcionis in eis figere valeat / Unde et bene subditur querens requiem et non inveniens / Antiquus namque hostis qui pravis iniquorum cogitacionibus actibusque pascitur in mentibus fidelium requiem nulla racione accipit. Dum ab hys omnia temptacionum suarum argumenta prudentissime cassari perpendit / Tunc dicit / Revertar in domum meam unde exivi / Quod ut superius structure respondeat hunc habet sensum Fideam ad illius consciencia aque nuper per sacramentum baptismatis eliminatus fuerat et pristina possessione consueto dominio in subiciam / Et cum venerit et cetera / usque mundatam Id est cum huiuscemodi rebus delictis cogentibus repererit. invenit domum suam scopis mundatam / Hoc est consciencia peccatoris a viciis pristinis per baptismum mundatam. sed nulla bonorum operum industria cumulatam / Invenit et vacantem videlicet sanctis actionibus fucatam / Ornatam quoque hoc est simulatis bonis operibus per ypocrisin coloratam / Tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se / Septenario numero. crebro universitas illius rei designatur de qua agitur / Legimus namque in ysaia propheta. septem donis spiritus sancti super dominum ihesum cristum humanitus requievisse / Hoc est spiritum sapiencie et intellectus. spiritum consilii et fortitudinis. spiritum sciencie et pietatis. et spiritum timoris domini / Sicut ergo hic numerus cristo domino adiungitur propter septiforma spiritus sancti karismata. quibus plenitudo omnium bonorum designatur. que super illum ex tempore humanitatis. immo concepcionis eius requieverunt iuxta quod apostolus dicit. in cristo habitat omnis plenitudo divinitatis plenius / Sic eciam diabolo non incongrue temptaciones ob plenitudinem omnium viciorum. que a septem principalibus viciis auctore diabolo originem trahunt / Que sunt videlicet inanis gloria / invidia / ira / tristicia / avaricia / ventris ingluvies / luxuria / et octava mater omnium viciorum superbia / Hec enim septem crimina principalia in filios ade originalis dominavit postquam paradisi gaudiis expulsum est genus humanum

Et quia hiis septem superbie viciis nos captivos doluit redemptor noster idcirco ad plenitudinem spiritalis liberacionis spiritu septiformis gracie in hunc mundum plenus venit. Est ergo in hoc loco sensus ubi dicitur: tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, ut per septenarium nequam spirituum plenitudo omnium viciorum designetur. Qui spiritus ad eum nequiores diabolo esse dicuntur, quia cum diabolus totus malignus sit, illi tamen qui suis meritis impellentibus prefatis viciis mancipantur non modo mali sunt, sed etiam specie lenitatis affectatis virtutibus ypocrisim ostentare nituntur. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Sicut enim breviter diffinitur: melius erat homini viam veritatis non agnoscere quam post agnicionem retrorsum converti. Melius enim et utilius fuerat Symoni mago quem sub exemplo ponimus Christi fidem ignorasse, quam post perceptum baptisma per apostasiam ad artis magice rediviva vestigia remeasse.

Factum est autem et reliqua usque suxisti. Hec mulier magnam fidem habuit, que Iudeisque scribis et phariseis dominum blasphemantibus plena auctoritate fidei ipsam fidem ostendit.

In illo tempore loquente Ihesu ad turbas, extollens vocem quedam mulier de turba dixit ad illum: Beatus venter qui te portavit et ubera que suxisti. At ille dixit: Quinimmo beati qui audiunt verbum dei et custodiunt illud. Et reliqua.

In quibus verbis nimirum laudatur beata virgo Maria, que meruit dominum portare. Similiter etiam in hiis verbis destruit hereticorum pravitatem dicentium non fuisse dominum verum corpus. Quia si semen mulieris et lac eiusdem fonte producit ut phisici dicunt, si beata Maria pectore domino ministravit lac, potuit sibi et semen carnis. Quod si etiam ita est ut ille calumniatur, frustra venter qui Christum portavit et ubera que lactis alimonia illi prebuerunt beatificantur. Ad ista autem ille: Quinimmo beati qui audiunt verbum dei et custodiunt illud. Dicto et sapientes medici(?) perantes scribas et phariseos qui verbum dei nec audire nec custodire sed impugnare et blasphemare querebant. Et beata Maria non solum laudatur quod dominum meruit concipere atque portare, sed quia precepta divina in suis actibus studuit observare, atque secreta sibi a deo revelata intra secreta cordis sui retinendo, sicut scriptura dicit. Quamvis singulariter sit beata quod dei filium incarnatum in utero virginali digna fuit portare, parere atque nutrire, perpetuam tamen beatitudinem et ipsi sunt habituri in eadem vite perennis beatitudine qui eius fidem atque dilectione casto in corde conceperit, quisquis sedulam in mente preceptorum illius memoriam portaverit, et qui hanc in cordibus proximorum solerti exhortatione nutrire satagunt. Nempe omnes fideles et xpm mendici fidei concepit. et in expectatione bone operationis nutriunt. atque in corrigendis informandisque proximis salubriter pariunt. Hec mulier typum sancte ecclesie gessit. Sicut enim illa in medio turbarum confessa est dominum, ita nunc ecclesia in medio gentium posita laudat et confitetur creatorem suum. De qua ecclesia, hoc est de multitudine electorum suorum loquens dominus dicit: Beati qui custodiunt verbum dei. et audiunt illud. Illi enim beati sunt qui audientes et intelligentes verbum dei, id est precepta dei legis et prophetarum atque evangelii, opere adimplere laboraverunt. In quare notandum quod sicut illi a domino beatificantur qui audiunt precepta. et ea in corde retinentes opere adimplent, ita illi merito condempnantur qui mandata divina audientes intelligunt. sed opere adimplere negligunt. Quia enim deus non solum est pius et misericors. sed et iustus iudex, dicente propheta: Deus iudex iustus fortis et patiens. non tantum remunerat iustos. sed et iusto iudicio condempnat reprobos. Quod enim iustis bona retribuit, pietas est et misericordia. Quod vero impiis et peccatoribus penas irrogat. iustum iudicium exercet. Studeamus ergo mandata et precepta domini discere et opere exercere. ut cum ista sancta muliere illum conlaudantibus mereamur ab ipso in perpetuum beatificari. Illud affectu est cum hoc dicit et fecit. Clarissime siquidem dei hec mulier fuisse deprehenditur que inmundiciam sue devotionis phariseis neque dei filium blasphemantibus eiusmodi confessione ore proprio edidit. que et presentes argumentatores repelleret. et futuras heresum pestes integra et sanissima attestatione excluderet. Quemadmodum tunc hi. qui illi spectaculo astabant xpm dei filium denegabant. sic quemadmodum etiam pravorum dogmatum auctores convaluerunt. qui eundem xpm verum de virgine matre sumpsisse humanitatem negarent. Sed si ita est ut illi impie calumpniati sunt, frustra ergo uterus virginis qui xpm portavit. uberaque illi lactis alimonia prerogentur. beatificantur. Videndum. quanta assertione veridicam ipsius mulieris vocem auctoritas divina confirmavit. Respondit namque sibi testimonium perhibenti et ait: Quinimmo beati qui audiunt verbum dei. et custodiunt illud. Quibus verbis et sapientes iudeorum clam pervertit. qui verbum dei non audire et custodire sed negare et blasphemare querebant / et beatam mariam non inde beatam consistere affirmat quod dei filium proprii ventris receptaculo carnaliter edidit. sed quia preceptorum divinorum archana decrevit ac spiritalibus in suis actionibus conservavit / Ac si aperte diceret. quamvis singulare privilegium habeat beatitudinis que dei filium incarnatum in utero virginali gestare. parere ac nutrire digna fuit / Precipuum tamen in eadem perennis beatitudine locum et ipsi habituri qui eius fidem ac dilectionem casto corde conceperint. quique sedula in mente preceptorum illius memoriam portant. et qui hanc in corde proximorum solerti exhortatione nutrire satagunt / Nempe omnes fideles et christum in auditu fidei concipiunt. et in exercitione boni operacionibus alunt atque erudiendis informandisque proximis. decenter salubriterque pariunt / Prorsus nos quicumque ex populo largiente sancte fidei sumimus vocem confessionis cum hac devota muliere tollamus. magnificantes eum qui ob reparacionem humani generis dignatus est secundum carnem fieri filius virginis cum esset patri consimilis in gloria maiestatis. ut qui erat angelorum angelorum panis lactaretur uberibus matris. quique celo et terra non capitur artissimis uteri spaciis clauderetur ihesus christus dominus noster //

[D]ixerunt pharisei ad ihesum Quanta audivimus facta in capharnaum. fac et hic in patria tua / Et reliqua

[R]efert supra evangelista quod venisset dominus nazareth et in synagoga lectoris functus officio ab omnibus intenta studiosaque intentione auditus fuisset / omnes quoque mirantur in verbis gracie que procedebant de ore illius / ceperunt scribe et pharisei invidentes dicere / Nonne hic est filius ioseph fabri. Quorum quanta esset cecitas / Hinc liquido cognoscimus quod dominum quem in verbis factisque mirabantur et christum agnoscebant solam generis noticia contempnebant. quem scilicet illum apud se nutritum et per etatis tempora profecisse viderant / Unde et eum qui de virgine natus fuerat filium ioseph appellabant. quem sponsum integerrime matris eius et baiulum ac nutritorem fuerat ipsius / Sed ait illis dominus / Utique dicetis michi medice cura te ipsum / Quid autem hoc vulgari continetur proverbio evangelista consequenter subiungit / Quanta audivimus facta in capharnaum fac et hic in patria tua / Quod est dicere plurima inquiunt in capharnaum plurimis

te curasse famam vulgante comperi-
mus. cura etiam teipsum id est fac si-
militer in patria. id est in tua civitate. Pa-
tria enim vel civitas domini nazareth
erat. in qua secundum assumptum hominem
et conceptus est et nutritus. Et in-
tuere quod sicut superius christum fabrum
vel filium fabri. ita nunc eadem erroris
insania medicum cognominant. Sed
error iste insanus plenus est sane
fidei et veritatis. Revera enim filius
erat fabri illius. qui in principio
celum terramque fabricatus est. quamquam
sicut verus faber igni operatur et
spiritu. unde quod de christo tamquam fabri filio
iohannes dicit. Ipse vos baptizabit
in spiritu sancto et igni. Hic faber in
magna huius mundi domo. facit diversi
generis vasa. aliud quidem in honorem.
aliud vero in contumeliam. Ipse etiam vasa
ire spiritus sancti igne molliendo. in
vasa convertit misericordie. unde quod malach-
ias ex persona dei patris de christo loquitur.
Et sedebit conflans et emundans ar-
gentum. Est ergo christus verus faber.
de quo scriptum est. Omnia per ipsum
facta sunt. et sine ipso factum est
nichil. Est et medicus quia per ipsum in
celis et in terris omnia sunt restau-
rata. quamquam de se alibi dicat. Non est
opus valentibus medicus. sed male
habentibus. Sed videamus adhuc
quo genere medicaminis iste medicus
utatur. Legimus in ewangelio iohannis
quod preteriens vidit cecum a nativitate
et expuit in terram. et fecit lutum ex
sputo. et linivit super oculos ceci et
dixit ei. Vade ad natatoria siloe
quod interpretatur missus. Abiit. et lavit.
et venit videns. Cuius mirabilis cu-
rationis misterium quia suo loco iuva-
te deo exponendum. hic dicere super-
sedemus. Manet ergo christus ab
incredentibus civibus ut se ipsum cu-
raret. hac enim sua propria virtutes
faceret. quasi non revera alibi fecit.
qui rumor sp martus vulgaverat
cum apud suos cives tamquam apud do-
mesticos et affines nichil tale fecis-
set. quibus multo convenientius
talia beneficia impendenda erant
Quod quare dominus non fecerit alius e-
vangelista apte ostendit et excusat
dominum dicens. quod non poterat ibi vir-
tutem ullam facere. nisi paucos infir-
mos sanavit. Et mirabatur inquit
propter incredulitatem illorum. Non ergo
noluerat dominus in patria sua. sed incre-
dulitas illorum hoc non merebatur.
Annuebat quidem civibus. sed ipsi despi-
cientes christum. quasi notum. et non
credentes. gratia se caritate privabant
Ait autem. Amen dico vobis. quia
nemo acceptus propheta est in patria
sua. Sed vero dominus in scripturis.

propheta solet appellari moyses testante qui dicit Prophetam vobis suscitabit dominus deus vester de fratribus vestris tanquam me. Non autem solum dominus qui est caput et dominus prophetarum verum etiam helyas et iheremias ceterique summi prophete minores atque inferiores apud cives semper habiti sunt quam apud ceteras naciones. Naturale enim quodammodo est propriis civibus invidere. quia non presencia opera non prudenciam non virtutem viri considerant, sed fragilis infancie recordantur veluti non et ipsi per eosdem gradus ad maturam pervenerint etatem/ In veritate dico vobis multe vidue erant in diebus helie in israhel, et cetera usque ad mulierem viduam. Notissimo utique ex libro regum exemplo vidue sareptane, ad quam helias famis tempore missus est plus ut eam pasceret quam ut ab ea pasceretur. cum tamen in israhel tunc temporis innumere essent vidue. Et si aperte dicat Non est contrarium exemplis prophetarum quod vobis meis civibus beneficia operum meorum subtraho/ Sicut enim quondam fame totam terram premente nemo est in iudea repertus qui dignus esset helie hospicio sed extere nacionis vidua quesita est/ que a tanto propheta visitaretur. sic et vos modo qui me invidie et perfidie causa spernitis ipsi vos superno munere privatis. Hec prophete misterio hystoria factum insinuat superbia iudeorum et fidem ac salutem gentium designat/ Nam vidua sareptana ecclesiam premonstrat, que vidua erat, quia divinis a suo conditore deserta remanserat. Hec filium pauperem egena stipe nutriebat que populum recte fidei nescium verbo secularis sciencie absque utilitatis fructu ducebat. Bene hec vidua in sarapta sydonie fuisse dicitur. Sydonia namque venacio inutilis sarepta autem incendium vel angustia panis interpretatur/ Quibus omnibus gentilitas exprimitur/ que inutili venenacioni dedita erat. lucris ac negociis temporalibus inserviens. Eratque in sarepta incendio videlicet carnalium cupiditatum, panis spiritalis paciebatur angustias. Ad hanc missus est helyas. id est sermo propheticus. qui in iudea famem perdurabat. clausa celi ianua id est cessante scripturarum intelligencia merito infidelitatis iudeorum. Venit ergo propheticus sermo ad ecclesiam ut pasceret et pasceretur. ut videlicet receptus a credentibus reficeret corda credentium. Ubi ergo ante panis spiritalis erat angustia farina et oleum benedicitur id est fructus et hilaritas caritatis gratia dominici corporis et sacri chrismatis munera consecrantur. et hactenus hec divina munera credencium non deficiunt. Pulchre vero hec mulier mistica factura panem suum se dicit duo ligna colligere. Ubi non solum quod lignum notatur, verum quod duo ligna dixit figuram crucis evidentissime expressit. in qua nobis vite eterne preparatus est panis. Et multi leprosi erant in Israel sub Helizeo propheta et nemo eorum sanatus nisi Naaman syrus. Quo historie narracio satis omnibus liqueat quid ad mysterium pertinent videamus. Naaman qui decor interpretatur populus est nacionum qui antequam in christum crederet per fidem et scelerum lepra maculosus erat. sed in christum credendo per baptismum ab omni feditate mentis purgatus est. De quo bene dicitur quod puelle captive monitus sit ut ad prophetam Helizeum veniret. quia gratia superne inspiracionis quam puella significat populus gencium cepit salutem que est in christo sperare. Iubetur a propheta septies in iordane lavari. quia in christo illud baptisma credentes salvat quod septiformi spiritu regenerat. De quo illud signanter dicitur quod postquam lavit restituta est caro eius sicut pueri parvuli. quia cunctos in christo baptizatos una purgat gratia mater infancia. Unde quod sicut puer renovatus est signat quia per baptismum in christo intincti homine deposito vicia respuere senium cuius corpori conformamur. De quo scriptum est: Parvulus natus est nobis filius datus est nobis. Nec illud vacat a mysterio quod partem terre secum tulisse dicitur quia baptizati corporis et sanguinis domini debent percepcione confirmari. Huius igitur exemplis duorum prophetarum Helie et Helisei probatur dominus non causa impotencie omnibus virtutum doctrinam negasse sed propter eorum invidenciam atque infidelitatem. Et repleti sunt omnes in synagoga ira hec audientes. Et surrexerunt et eiecerunt eum extra civitatem. Quod dominus supra de eis dixerat. Hoc ipsi vero re facto testantur. Nam repleti ira surrexerunt et eiecerunt eum extra civitatem. Hoc enim per illorum scelus sacrilegium quod nunc in evangelio fecisse memoratur olim per psalmistam prenunciatum ita fuerat Retribuebant michi mala pro bonis. Cum enim dominus populos sanacionis beneficia diffunderet illi contra iniurias illi irrogabant. Nec mirum si salutem habere non meruerunt qui salvatorem de suis finibus expulerunt. Et duxerunt inquit eum usque ad supercilium montis super quem civitas illorum erat edificata ut precipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

O pessimo magistro peiores discipuli. Diabolus tantum eum dominum temptabat verbo, isti facto. Ille hortatur ut se deorsum mittat, isti adoriuntur ut mittant. Ferunt autem hii qui sanctorum locorum miracula curiose investigare et diligenter scribere studuerunt, quod cum dominus de manibus iudeorum elapsus per medium illorum de rupis vertice descendisset atque sub ipsa rupe delituisset, subito ad tactum vestis ipsius saxum illud subterfugit et instar cere liquatum ac resolutum sinum quendam quo dominicum corpus immitteret et reciperetur effecit, tante utique capacitatis quante ipsum corpus domini extitit quantitatis. In quo hodieque universa lineamenta et rugae vestis que a tergo domini fuerat veluti manu sculptoris expressa servantur. Et illi quidem ad hoc illum ad supercilium montis duxerunt ut illum precipitarent. Sed subito illorum mente mutata et maiestate ineffabili stupefacta per medium illorum transiens descendit, adhuc illis locum reservans penitencie, ut vel sic intelligentes eius potenciam a consilio mortis ei inferende animum revocarent. Nondum enim venerat hora passionis eius que non sabbato sed parasceve pasche futura erat, nondum locum eiusdem passionis adierat, que non in Nazareth sed Iherosolimis erat implenda, ubi et per agni paschalis immolacionem eius mors prenunciabatur. Sed et hoc genus mortis elegerat, neque enim modo a Nazarenis precipitari neque ab Iherosolimitis se permisit lapidari, neque multo ante ab Herode se puerum voluit perimi, quia ante secula elegerat mortem crucis, cuius signo frontes fidelium armarentur, que altissimo dextre motu exprimi potest contra diaboli temptamenta. Simul et ut se monarcham totius orbis per crucis posicionem obtinuisse monstraret. Cuius cacumen celos tendit, ima penetrant inferos, brachia terre cornua tegunt. Hinc apostolus crucis mysterium exponens dicit: Ut in nomine Ihesu omne genu flectatur celestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia dominus Ihesus Christus in gloria est dei patris. Qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum.

i peccaverit in te frater tuus vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Et reliqua.

ota hec sancti evangelii lectio moralibus nos preceptis instruit et qualiter erga eos qui in nos delinquunt facere debeamus satis necessaria admonicione ostendit. Ideoque tanto propensius est audienda tantoque studiosus ad discenda. quanto constat. s sine huius doctrina illibatae carita is vinculo quo status ecclesie totius olidum atque indisruptum servari non potest. Ait ergo dominus discipulos ad cavenda cum fratribus pacis erudiens Si peccaverit in te frater tuus vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Notandum o pius est. quod si in nos frater peccaverit. t qualibet causa nostrum animum leserit. dimittendi nobis concedit potestas immo ingerit necessitas. quia aliter nobis nostra scimus debita non relaxari nisi et nos debitoribus nostris dimiserimus. Si vero quis in deum peccaverit non est arbitrii nostri. sed solius est dimittere Dei. Scriptum est enim Si peccaverit vir n virum placari ei potest deus. Si autem n deum peccaverit quis orabit pro eo. Sed nos ordine perverso. [illegible] dei iniuria. lentis pacientie torpemus n nostris vero contumeliis. odia exercemus. Omnibus tamen corripiendus est qui n nos peccat seorsum ne putet non e peccatum quod facit. sicque amissa semel verecundia in peccato permanere velit. Et siquidem nos audierit. lucrifacimus animam eius. quia per illius salutem nobis quoque datur remissio peccatorum iacobo apostolo dicente. Qui converti fecerit peccatorem ab errore vie sue. salvabit animam eius a morte et operit multitudinem peccatorum peccatorum. Ergo docet quo ordine scandala vitare possimus videlicet sive quippiam aliquem lesimus si peccantem zelo iusticie corripimus si penitenti misericordie pietatis toto corde pandimus. Cum ergo fratrem delinquentem corripimus si nos non audierit. adhibendi sunt fratres unus aut duo. ut qui ab uno non potuit a pluribus corrigatur. vel causa eorum testimonio convincatur. Porro si nec illos audierit. tunc ecclesie dicere precipimur ut ab omnibus detestetur et dum dicitur quatinus si noluit pudore corrigi. saltem corrigatur multorum obprobriis. Si autem inquit nec ecclesiam audierit. sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Ethnicus greco sermone gentilis dicitur. Inde ethnicus id est gentilis dicitur. qui sic permanet ut natus est. et non est in Christo renatus. Publicani vero sunt. qui vel publice peccant. vel qui publicis negociis inserviunt. per fraudes ac furta et scelerata periuria. Cum incorrigibilem fratrem sicut ethnicum et publicanum habendum dicit. ostendit gravioris criminis eum esse reum qui sub pretextu fidelis opera agit infidelium. quam eum qui aperte infidelis et publicanus existit. Sed et hic conti attendendum quod non passim aut leviter sed obedienti et penitencia

commissi sui agenti veniam petenti
fratri dimittere velim / Quibus omnis
sceleris retinentur apud deum. et
is qui peccantem videns fratrem
corrigi noluerit, sed negligens
parvi penderit / atque ille qui pe-
nitenciam agenti fratri dimittere
noluerit / Nam dominus cum dixisset.
si peccaverit corripe / statim sub-
iunxit / Si dixerit penitet me.
dimitte. Igitur largienda est
venia post increpacionem. sed
illi qui penitenciam egerit. et se
ab errore converterit. quia diffi-
cilis venia. nec remissa debet esse
indulgencia / Amen dico vobis.
quecumque alligaveritis super terram
erunt ligata et in celis / Quia dixe-
rat durum et impenitentem fratrem
sicut ethnicum et publicanum
habendum, ne aliquis ita vocatus
et desperacione mortifera contemp-
tor existeret. ut tacitus apud se
loqueretur. si me despicis. et ego
te despiciam. si me honoras. utique
mea sentencia honorabitis / Se-
cundo dominus apostolis potestate ligan-
di tribuit et solvendi. ut hii qui
condempnant. sciant humanam
sentenciam divina firmari. et quod
fuerit ligatum in terra. ligari [illegible]
[illegible] in celo / Hec vero potestas
specialiter sanctis ecclesie episcopis colla-
ta est. generaliter vero omni ecclesie data
creditur / Nam et quod dominus alibi beato
Petro hanc potestatem ligandi atque
solvendi dedit. utique in petro qui
typum gerebat ecclesie omnibus fide-
libus hoc concessisse non dubitatur
/ Iterum dico vobis quia si duo ex vo-
bis consenserint super terram de omni
re quacumque pecierint. fiet illis a
patre meo. qui in celis est / Magnam
fidelibus auctoritatem et fiduciam
tribuit. et econtra magnum contemp-
toribus metum incutit. dicens a deo
patre in celis fieri quidquid duorum con-
sensu super terram fuerit constitutum
Et hoc primo ad concordiam nos pro-
vocat quo sollicicius firmemur
ad pacem. cum se dicat in duobus aut
tribus aliquid statuentibus medium fore.
Nam sequitur Ubi enim fuerint duo
vel tres congregati in nomine meo
ibi sum in medio eorum / In medio in-
quit sum eorum. ut vel rapiat hu-
milem in penitencia. vel peccantem superbie
et contumacie. Et quidquid illi ubi-
cumque ad hominum salutem agunt in
terra. meo desuper iudicio roborat
in celo. Spiritualiter vero illud dicere
possumus / quia ubi spiritus anima
et corpus consenserint. nec bel-
lum esse concupiscencie adversus animam
De omni re quam pecierint a patre

impetrare possint. Nec dubitandum iustam et acceptam deo peticionem ubi ea vult caro quod spiritus. Tunc accedens petrus ad eum dixit. Domine quotiens peccabit in me frater meus et dimittam ei usque septies. Dicit ei Jhesus Non dico tibi usque septies sed usque septuagies septies. Superioribus verbis domini provocatus apostolus petrus solita sibi fiducia accedens interrogavit quotiens debeat in se peccanti dimittere an usque septies. Cui respondit dominus Non solum usque septies sed usque septuagies septies id est ccc^ies xc^a vicibus si totiens in die peccare poterit. Impossibile est enim ccc^ies xc^a vicibus in die posse delinquere. Et hec multiplicatio secundum beatum iheronimum facta est. Ceterum beatus augustinus docet hunc numerum simpliciter et non multipliciter accipiendum ideo quod totus per additionem fit. Ars enim arismetica docet ut numerus aliquis si per se solum fiat additione vel per solum nomen multiplicetur. Si vero connomini fit et additio ut ubi gratia septies septuagies vel conversim septuagies septem possunt multiplicari. Quod ergo dicit septuagies septies septuaginta septem vicibus idem doctor intelligit. Sed iam veniendum est ad mysterium. Neque enim abre esse potest quod dominus hunc et non alium aliquem numerum in relaxandis peccatoribus constituere voluit. Constat enim ex septenario et undenario. Ista sunt septies undeni sive undecies septeni dicimus lxxvij perficimus. Et septenarius quidem numerus sacratissimus est donis septiformis spiritus. Undenarius vero numerus figuram tenet omnis peccati. In undenario namque transgressio est denarii. Et nos cum peccamus decalogum perfecto preceptorum dei transgredimur. Hinc est quod in tabernaculo dei undecim sagacilicina fuisse memorantur. Cilicium namque habitum penitencium et pro peccatis merentium designat. In tabernaculo ergo dei xj sagacilicina fieri iussa sunt quia sancta ecclesia non solum ex iustis et immaculatis viris verum etiam ex peccatoribus penitentibus et confessis consistit. Huius numeri sacramentum petrus apostolus agnoscens iuda perdito noluit apostolos in undenario numero remanere sed electo mathya duodenariam summam curavit supplere. Septuagies septies ergo dominus dimittere precepit ut ostendat quia quotiens et quotiens aliquis peccaverit totiens et totiens ei dimittendum et numquam a dimittendo cessare debemus. Quod enim per hunc numerum remissio significatur peccatorum illud quoque manifestat quod beatus lucas cathalogum domini generationis hominum generationibus enumerauit incipiens a ioseph et usque ad ipsum deum conditorem peruenerit. Quia enim dei filius ad soluenda mundi peccata uenerat, ideo merito eius incarnatio hominum generationibus texitur. et hoc ascendendo, quia videlicet humanitatis incarnationis filii dei nostra exaltacio fuit, et unde ille descendit inde nostra ablucio ascendere meruit. Quod uero hic numerus ex septenario et undenario multiplicatus exurgit significat quod omnis peccatorum remissio per gratiam sancti spiritus sit. cuius donis priuari merentur quicumque fratribus in se peccantibus dimittere noluerint. Sane aliud est fratri penitenti, aliud proprio inimico persequenti ueniam dare. Huic namque dimittendum est ut accepta remissione peccati quo nos insontes lesit, socia deinde nobis caritate connectatur. Illi uero ut etsi malum uelit nobis aut faciat nos illi semper bonum uelimus. et si possumus etiam faciamus. Non enim illis qui diu in malo perseuerant peccati sui ueniam dare possumus, licet uelimus. Habemus huic duo conuenientissima exempla. Joseph namque fratribus suis salubriter castigatis beniuole ignouit. Dauid uero persecutoribus suis impenitentibus et in malicia perdurantibus quamuis eos fleuerit ueniam tamen illis prestare non potuit. Hec agentes preceptum tenende contritis que a christo qui est auctor pacis audiuimus sedulo operari curemus licet grauium minima dimitti. cum scimus nobis innumera milia peccatorum in baptismo dimissa. Sed et cottidie delinquentes cottidianam ad eo ueniam postulemus. Exemplo namque suo nos ipse ad facilitatem indulgentie prouocat, qui totius mundi peccata solus dimittere uenit, etiam peccatoribus orare dignatus est cooperari. Ihesus christus dominus noster qui cum patre et spiritu sancto uiuit.

a ccesserunt ad eum pharisei dicentes. Quare discipuli. Et reliqua.

q uia dei filius pro salute omnium mundum uenerat. idcirco loca singula citis gressibus percurrebat ut omnibus prodesset. unicuique succurreret. postremo cunctorum communi saluti consuleret. Denique ut superius euangelista loquitur uenit deus cum discipulis in terram genesareth ut illis quoque optatum lumen sua uisitatione conferret. Ibi quoque pharisei inimici et persecutores sunt eius studio discendi ueritatem causa conservande falsitatis. Tunc, ut lectum est, accesserunt ad Ihesum scribe et pharisei dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur precepta seniorum? Non enim lavant manus suas cum panem manducant. Quam vera confessio Domini qua superius Deum Patrem laudans dixerat: Abscondisti hec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Ecce Genesareni qui minus docti erant ad Dominum venerunt, infirmos suos secum adferunt, remedia salutis sibi suisque tactu saltem fimbrie Domini requirunt, neque ullo cupite salutis remedia plena id fide promerente consequuntur. At vero scribe et pharisei qui ipsi doctores esse debuerant, non ad audiendum verbum, non ad aliquam trine vel corpus capiendam medelam, sed admonendas questionum pugnas conveniunt, eosque de lotis manibus quos vituperare laborabant, in quibus nil immunditie residentis reperire valebant. Et enim vero se ipsos magis culpare debuerant qui lotas aqua manus habentes conscientiam livore pollutam gestabant. Quare inquiunt discipuli tui transgrediuntur precepta seniorum? Stupenda dementia: eum qui est filius Dei reprehendunt cur hominum traditiones non servet. Non enim aiunt lavant manus cum panem manducant. Hoc proprium et quodammodo consuetudinarium erat iudeis crebro manus abluere et aliquando totum corpus in proprium si contigisset eos cum quolibet gentilium loqui. Videamus qua sententia veritatis revincantur filii falsitatis. Dixit illis: Quare et vos transgredimini preceptum Dei propter traditionem vestram? Ac si dicant: Cur vos precepta Dei propter traditionem hominum negligitis, quam discipulos meos reprehenditis quod seniorum traditiones parvipendant et divina iussa custodiant. Nam Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem. Honor in sacro eloquio dupliciter accipitur, videlicet non solum in salutando et cognoscendo, sed etiam in elemosina et rerum necessariarum collatione. Hinc apostolus dicit: Presbiteri duplici honore digni habeantur, ut non solum illis officium venerationis deferatur, verum etiam oportuna subsidia ministrent. Et alibi idem apostolus dicit: Honora viduas que vere vidue sunt, id est dona illis et competentia largire munuscula. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri: Munus quodcumque est ex me tibi proderit. Universorum conditor et parens Deus imbecillitatis vel etatis parentum considerantibus. Preceperat in lege ut filii parentes suos honorarent et res vite necessarias ministrarent. Hanc prudentissimam legem dei scribe et pharisei subvertentes et impietatem pro pietate inducentes docebant pessimos filios ut que prius in usus parentum deputanda erant deo offerrent, oblationes dei parentum muneribus preponentes. Ita fiebat ut liberam oblationem sub occasione templi in lucra cederet sacerdotum. Sed etiam parentes ea que sciebant a filiis deo consecrata ne sacrilegium committerent tangere nolebant ac per hoc egestate et fame afficiebantur. Cum igitur pater indigens et imbecillis a filio aliquid exposceret, respondebant ei doctus a magistris iniquitatis: O pater noli contristari si patienter necessitatis huius penurias perferre studes quia omnibus quod est exenium oblatum deo tibi proderit, si non corporaliter ad certe spiritualiter prodest. Et hunc sub interrogatione habere sensum: O pater munus quod ex me est tibi proderit. Respondere Corgis ut donum quod oblaturus eram deo in tuos usus consumam et hoc tibi proderit. Docebant hoc scribe et pharisei ut parentes miseri timerent accipere quod oblatum videbant, et elegerunt magis inopem vitam ducere quam deo consecrata contingere. Apposite prophetavit de vobis ysaias dicens: Populus hic labiis me honorat et reliqua. Previdit propheta ysaias simulacionem eorum quod contra evangelii predicatorem venturi et oppugnaturi essent. Bene de illis prophetavit, in quo hoc quod de illis dicebat bonum est, si qua prophetia optime eorum moribus conveniret. Dicit ergo propheta ex persona domini: Populus hic labiis me honorat. Qui labiis deum honorabant cum legem ab eo datam scrutarentur, psalmos etiam et divinos ymnos modularentur, sed cor eorum longe erat ab eo quia semper in malum proni fuerant cordibus ydola colentes. De quibus etiam scriptum est: conversi sunt cordibus suis in egyptum. Honorabant labiis deum quando ad Christum subdola fraude dicebant: Magister scimus quia verax es et viam dei in veritate doces. Et reliqua. Sed cor illorum longe ab illo erat quia dolose loquebantur ista ut possent eum presidis tradere potestati. Hoc enim signat evangelista cum premisit quod accipientes pharisei consilium miserunt perent alium in sermone. Et qua/ Sine causa autem colunt docentes doctrinas et mandata hominum illud labiis et lingua bant quorum corda adversa erat u ceteris dei cultoribus mereri ectare non poterant ipso domino u dicente/ Non omnis qui dicit chi domine domine intrabit in regnum rum/ Doctrinas vero et man a hominum docebant. quia precepta negligentes. suas ut suis osten n est tradiciones statuere voli nt/ Et convocatis ad se turbis it eis/ Audite et intelligite. non od intrat in os coinquinat hominem. sed quod exit ab ore hoc ep est communicat. scribarum rum Siquidem iudei qui se po um et partem dei ee iactant. commu s cibos vocabant/ quibus m i omnes homines utuntur preter pop dus. sicut leporis. ostree. suilla o et huiusmodi animalia. quibus ceptum est abstinere/ Commune ergo ud vocabant quod ceteris hominibus utendum patet. et non est de sorte i. atque ideo immundum/ Inde et hoc verbum quod est communicare. pro polluere coinquinare ponitur/ Sic ergo/ n quod intrat in os coinquinat hominem/ Sic si diceret Nichil quod xtra hominem est et in hominem in reditur ipsum potest hominem coinquinare. sed que de homine prodeunt. illa hominem polluunt Obicit forte aliquis Si quod intrat in os non coinquinat hominem/ quare non vescimur ydolothitis Sic plus cum dicat Non potestis calicem domini bibere et calicem demoniorum Sed sciendum quod ipsi cibi et omnis creatura dei per se ipsam munda est per invocacionem tamen demoniorum dum ydolis offertur fit immunda. et idcirco a sanctis viris ubique respuitur

Tunc accedentes discipuli dixerunt ei. Scis quia audito hoc verbo pharisei scandalizati sunt Scandalizabantur. quia videbat immo sermonem domini omnes supersticiones observacionum suarum elidens. qui tantummodo in cibis immundis vel abominandis atque in lavacris et variis baptismatibus. suam religionem constare arbitrabantur ignorantes quod dicat apostolus Esca autem nos non commendat deo Scandalum enim grecus sermo est quem nos offendiculum. vel ruinam vel impactionem pedis possumus dicere/ Pharisei ergo in verbis domini scandalizabantur. qui pessima mentis obstinacione cecati non salutem in doctrina Christi sed predicacionis et eterne ruine occasionem inveniebant

At ille respondens ait/ Omnis plantacio quam non plantavit pater meus celestis. eradicabitur. Hunc locum sibi favere arbitrantur hii qui dicunt duas esse naturas in hominibus. alteram bonam a deo. alteram malam a principe tenebrarum diabolo. et plantationem quam non plantavit pater naturam mali accipiunt. Sed sciendum. quia omnis natura a deo est et bona est. Sed quia in est hominibus liberum arbitrium. ideo bona est plantatio nature. sed plerumque male voluntatis. Hinc et Jheremias dicit. Ego te plantavi vineam electam. quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliene. Ergo quod deus plantat. nemo potest eradicare. nisi ipsa natura prebuerit assensum. Quomodo potest hic oriri non absurda questio. Nam si omnis plantatio quam non plantavit pater eradicabitur. ergo et illa plantatio eradicabitur de qua ait apostolus paulus. Ego plantavi. apollo rigavit. Sed attendendum quod sequitur. deus autem incrementum dedit. Igitur plantante paulo. apollo rigante. deus suis operariis cooperatur. et eius ope plantat et rigat. Hinc idem alibi dicit. Dei agricultura estis. Et de se ac sibi similibus loquitur. Cooperatores enim dei sumus. Sinite illos. ceci sunt. duces cecorum. Ceci fuerant pharisei quia tenebrosas tradicionibus quas ipsi adinvenerant observantes. lucem mandatorum dei non considerant. de qua psalmista dicit. Lucerna pedibus meis verbum tuum domine et lumen semitis meis. Nec solum ceci sunt et duces cecorum. dum igitur talibus non solum sibi non proficiunt verum in foveam perdicionis mandant. secum ceteros sibi obsequentes in perpetuam mortem secum trahunt. Hos ergo et omnes perversos doctores precepit salvator sinendos. et suis erroribus ac libero arbitrio dimittendos. sciens eos postquam semel corrupti sunt. aut nunquam aut nullatenus ad veritatem posse trahi. Hinc et apostolus precepit dicens. Hereticum hominem post primam et secundam correptionem devita. Respondens autem petrus dixit ei. Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit. Adhuc et vos sine intellectu estis. Apostoli adhuc minus docti erant. et verba domini absolute plana non intelligebant sed quod aperte dictum fuerat et patebat auditui dictum parabolice putabant. ideoque in re manifesta misticam requirebant intelligentiam. Propterea corripiuntur a domino. quia parabolice dictum putarent quod perspicue locutus fuerat. Adhuc inquit et vos sine intellectu estis. Non intelligitis quia omne quod intrat in os. in ventrem dit. et in secessum emittitur. Hanc sentenciam domini heretici calumpniantur, cumque reprehendunt quasi phisice disputacionis ignarum, qui putet omnes cibos in ventrem ire et in secessum digeri. Dicunt enim susceptas escas et contritu dencium colliquefactas per artus venas medullas nervos quoque diffundi. Unde et vidimus multos qui vicio stomachi perpetem patiuntur vomitum post prandia statim evomere quod ingesserunt et tamen corpolentos esse, quia ad primum esce tactum liquidior cibus et potus per omnia membra funditur. Sed hii tales cum volunt reprehendere impericiam alienam ostendunt suam. Quamvis enim tenuissimus humor et liquens esca sit, tamen et ipsa cum artubus et venis suscepta et decocta fuerit per occultos meatus quos poros dicunt, ad inferiora purgando dilabitur et sic in secessum vadit. Que autem procedunt de ore de corde exeunt et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitaciones male. Et reliqua. Notandum quod dicit cogitaciones malas de corde dicit exire. Nam plato philosophus dicit sedem anime in cerebro esse. Sed oportet ut principale omnium in corde accipiamus, ubi quasi in quodam meditullio assistens cogitaciones disponens et membris corporis vitalem subministrat afflatum. Arguuntur etiam hac sentencia qui dicunt cogitaciones a diabolo immitti et non ex propria voluntate nasci. Diabolus enim adiutor et incentor potest esse malarum cogitacionum, auctor vero esse non potest. Sed neque reputandum est diabolum secreta cordis posse rimari. Ille enim insidians semper positus quid animo versemus ex habitu et gestibus nostris corporis estimat. Cum tamen penitus cogitaciones cordis nequeat intueri, quas soli sibi deus reservavit, cui dictum est: Tu solus nosti corda filiorum hominum. Cum ergo nostras cogitaciones videre non possit, signis quibusdam et motibus illas deprehendit. Verbi gratia, Si nos pulchram mulierem viderit crebro respicere, intelligit cor iaculo vulneratum, eoque pravis suggestionibus stimulat ad fornicandum. Si nos contra proximum rancore vocis vel truci aspectu livere conspexerit, intelligit cor invidia tabescere, sic et ira ad homicidii facinus inflammat. Si vero nos per tempus viderit crebro ad fenestram respicere et in solis radio circuitus hora denotare, gule vicio conicit animum sauciatum. Si gemmarum vel auri vel quarumlibet rerum pulchritudine nos ardentius feria quarta post oculi

intueri consueverit. intelligit in corde latere malum avaritie. Et id circo provocat ad furta. Attendendum vero quod hec que apta sunt opera salvator cogitationes appellat. quia primum concupiscentia corde concepta. cogitationum fomitibus enutritur. et sic demum ad operationem producitur. Et ideo dominus hec opera cogitationes vocat. quare iudicia hostis callidus per quasdam habitudines morum investigans humanum genus decipere festinat. et ad agenda que divinus sermo prohibet instigat. ut hominem ad ymaginem dei conditum polluat. Unde et salvator enumeratis cogitationibus malis subiunxit. Hec sunt que coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare. non coinquinat hominem. Sed pharisei [illegible] literatenus accipientes. Et spiritualia prophetarum verba spiritualiter intelligere nolentes quecumque illi de cordis et corporis mundicia preceperant dicentes. Lavamini mundi estote. et alibi. Mundamini qui fertis vasa domini. Hec isti in sola corporum munditie servanda credebant. Et frustra manus abluebant. frustra baptizabant. qui fonte salvatoris ablui contempnebant. Sed quid prodest exterius candidari vite et interius immunda. et avaricia ceteris quoque viciis sordida gestare mentem. Tales enim recte comparantur sepulchris dealbatis. que a foris candida videntur interius vero sordibus et fedo cadavere plena sunt. Ergo secundum apostolum mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus satagamus habere munda corda in corpore mundo. ut sic perficiamus sanctificationem in timore dei. cui est honor et gloria in secula seculorum Amen

peramini non cibum qui perit sed qui permanet in vitam eternam. Et Reliqua.

escribit in precedentibus beatus Johannes ewangelista qualiter dominus quinque milia hominum ex quinque panibus et paucis piscibus clarissimo miraculo refecerit quodque expletis qui saciatis turbis superfuerant fragmentis duodecim cophinos apostoli sustulerunt. Cum vero miraculo delectate turbe voluerunt dominum rapere. et eum sibi regem constituere. felices se et beatos credentes. nec sibi quicquam ultra in terrenis laboribus desudandum. Si hunc mererentur habere regem cum potentia de paucis panibus abundantissime reficerent. Sed is qui rex erat celestis, terreno semper dignabatur imperio. Venerat etiam ut hominum regnum acciperet, sed ut crucis mortem pro hominibus sustineret. Tum ergo ait evangelista: Cognovisset dominus quia venturi erant ut raperent eum et facerent eum regem, fugit solus in montem orare, ut et nos tali exemplo doceret terrenam gloriam fugere, et admonitione virtutum humilitatis et patientie pennis prepetibus subvolare. Sed cum postea invenissent eum turbe, admirantes dixerunt ei: Rabbi, quomodo huc venisti? Respondit dominus: Amen amen dico vobis, queritis me non quia vidistis signa que feci, sed quia manducastis ex panibus meis. Ac deinde subiunxit quod modo lectum est: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam eternam. Videbat illos dominus sollicitos esse de operando terreno alimento, atque ideo invitat illos ad gustum spiritualium ciborum. Operamini inquit non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam eternam. Cibus iste corporeus carnem tantum reficere potest, interioris hominis famem expellere non potest. Nec sufficit semel explesse ventrem, nisi etiam cotidianus labor provideat escarum quo possit moribunda caro subinde refici. Spiritualis vero cibus permanet in vitam eternam, tantaque virtute stomachum mentis simul ac acceptus confortat, ut sacietatem perpetuam simul et immortalitatem eius largiatur. Qui vero sit iste tam necessarius cibus in posterioribus demonstrabit. Sed et hic licet propere breviter ostendendus est. Cibus spiritualis est verbum quo anima mundanis concupiscentiis defecta reficitur. Cibus spiritualis est lectio sive meditatio divinarum scripturarum. Postremo perfectissimus atque exoptandus anime cibus est misterium corporis Christi, quo ad eternam beatamque vitam refecta perficitur. Quo sensu hic dominus cibum qui permanet in vitam eternam intelligi voluit. Unde sequitur: Quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim cibum nemo potest dare alius quam filius hominis qui est etiam filius dei. Quando enim per manum sacerdotis corpus Christi percipimus, non illum debes attendere quem presentialiter vides, sed illum quem non vides. Sacerdos enim minister est huius cibi, non largitor. Dispensator est et non auctor. Filius enim hominis salvator et dominus hominum ipse nobis hunc dat cibum. Christum utique dat nobis ut in eo maneamus et ipse maneat in nobis. Ad hoc sequitur. Hunc enim pater signavit deus. Signare est signum alicui rei ponere ut non cum aliis confundatur sed sequestratim ab aliis constituatur. Deus ergo pater filium signavit. Hoc est signum ei dedit quo proprium sibi esse ostenderet per quod ceteris filiis hominum comparari non posset. Unde per psalmistam ei dictum est. Unxit te deus deus tuus oleo leticie pre consortibus tuis. Iste ergo filius signatus est id est separatus multumque differt quadam singulari gratia a ceteris filiis hominum. Ceteri alii homines tantum homines, hic homo etiam deus. Dixerunt ergo ad eum. Quid faciemus ut operemur opera dei. Audierat a domino oportere operari se cibum qui permanet in vitam eternam. Etiam subintellexerat istam escam opus esse dei, ideoque interrogat quid facient ut talibus escis id est opus dei operari possent. Respondit eis Jhesus. Hoc est opus dei ut credatis in illum quem misit ille. Iste ostendit quis sit cibus qui permanet in vitam eternam. Hunc cibum divino nomine secundum mentem paradise. Notandum non quod dicit opus dei est ut credatis. Opus dei fidem appellavit. Differunt igitur fides ab operibus sicut et apostolus dicit iustificari hominem per fidem sine operibus. Sed quia nullum opus sine fide bonum esse potest, quamvis videatur esse bonum, ideo circo dicit ipsam fidem opus nominavit in qua est initium et finis totius operis boni. Sine fide enim impossibile est placere deo. Et apostolus dicit finis legis Christus ad iusticiam omni credenti. Hec autem fides non est ea maligna que in multis est, quam multi confitentur se nosse deum factis autem negant. Sed que sicut dicit apostolus per dilectionem operatur. Sed et hoc considerandum quod non dicit opus hominum sed opus dei. Fidem namque nostram opus dei vocavit ut nemo se putaret a se habere fidem sine aliquo bono. Nec de suis meritibus glorietur, sed qui gloriatur in domino glorietur et dicatur cum apostolo. Gratia dei sum id quod sum. Dixerunt ergo ei. Quod ergo tu facis signum ut videamus et credamus quid operaris. Quid est quod iterum signa querunt nisi quod oportet requirunt. Patres nostri erat quod de quinque panibus pasti fuerant. An forte hunc miraculo manna quod de celo patres eorum acceperunt preferebant. Dominus autem plus aliquid eis promittebat quam Moyses. Per Moysen enim Moyses eis sensualiter promittebat cibum qui manet in vita eterna. Ille enim tantum promittebat eis terram fluentem lacte et melle, pacis habundancia, salute corporum et cetera huius similia omnia tamen temporalia

Ipse vero promittebat escam cibum qui non perit sed qui permanet in vitam eternam. Attendebant ergo eum maiora promittentem. Et quasi non videbant eum maiora quam moysen facere sibique dicebant. Quid operaris ut videamus tibi. Conferebant enim miraculum quod fecerat moyses in manna. Huic miraculo quod de quinque panibus dominus fecerat. et quasi hoc minus iudicantes dicebant. Patres nostri manducaverunt manna in deserto. Ac si dicerent. Promittis nobis maiora quam moyses. et nec dum talia facis qualia moyses. Tu enim panes nobis dedisti hordeaceos. ille patribus nostris manna dedit de celo. Sed dominus ad spiritualis cibi intellectum illos revocat. et quid illud manna significaverit ostendit. Dixit enim eis ihesus. Amen amen dico vobis. non moyses dedit vobis panem de celo. qui dat vitam mundo. Et ipse erat ille cibus qui permanet in vitam eternam. quem superius hortabatur operari. Ergo ipsum significabat. Sed iudei signa diligentes id quod significabatur contemnebant. Non inquit moyses dedit vobis panem de celo. Sed pater meus dat vobis panem de celo. non manna sed illum quem significabat manna ipsum videlicet qui per assumptam humanitatem descendit de celo et per assumpte divinitate dat vitam mundo. Descendisse enim de celo dicitur et vere creditur propter unam deitatis humanitatisque personam quia in christo non alia est persona hominis alia dei. sed deus et homo unus est christus. Dixerunt ergo ad eum. Domine semper da nobis hunc panem. Delectati utique fuerant. et habere desiderabant talem panem. cuius edulio ad vitam nutrirentur eternam ne laborem terreni panis opus haberent. Sic et illa mulier samaritana cum audisset a domino qui biberit ex aqua quam ego dabo ei non sitiet in eternum. Hoc secundum auditum carnis accipiens et hauriendi penuria carere volens. respondit. Domine. da mihi hanc aquam ut non sitiam. neque veniam amplius huc haurire. Sed dominus ad se illos reducit. et quem panem vocaret dicat evidentius aperit dicens. Ego sum panis vite. Tamquam diceret. Panem de celo requiritis. panem habetis. nec tamen advertitis. nec manducatis. Ego enim sum panis vite. qui secundum speciem in clibano virginalis uteri deformatus. ad mundum et mundo ad pellendam durissima ignorancie dei fame datus. Qui venit ad me. hoc est qui credit in me non esuriet. Hoc vere.

comedit hunc panem. credit in christum. Quod exponit cum subdit. Et qui credit in me non siciet umquam. Nam quod hic dicit non siciet tantundem est quod et superius ait. non esuriet. Utroque enim id est et non esuriet et non siciet signata est illa eterna sacietas et plena ac consumata omnium refectio. Hunc igitur panem totis desideriis .b. inquiramus. atque ipsa sancta desideria congruis operum bonorum impendiis adiuvemus. Veniamus ad christum id est credamus absque dubio corpus christi esse quod sumimus. Via qua ad eum venimus fides est. Ita enim per fidem accedentibus et sincero corde sumentibus vitam tribuit sempiternam. et hii tales non esurient in eternum. Illi enim qui dubitant utrum corpus christi sit. non reficiuntur. sed sua secum reportant esuriem. nec illuminantur. sed densioribus tenebris obscurantur. Psalmista enim dicit Accedite ad eum et illuminamini. et facies vestre non confundentur. Illorum enim facies illuminantur et non erubescunt. qui cum recta fide et mundo corde ad tantum sacramentum accedunt. Ceterum illius facies confusione repletur qui vel non credit corpus christi esse quod percipit vel qui sua consciencia aliquorum graviorum peccatorum recordacione suppungitur. Nos igitur hanc dampnabilem non sustineamus confusionem, mundemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus. quatenus divinum et sacrosanctum mysterium non ad mortis eterne iudicium sed ad premium vite sumeremus christum amen

Lectio i Ihesus fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. Et reliqua

Ex hoc ac loco vera nostri redemptoris quam gessit et pro nobis assumpsit humanitas commendatur. Cum enim esset verus filius dei beatus summus et summe beatus bona cuncta tribuens nullius egens propter nos redimendos homo factus ita se se nostre contemperavit ac comodavit infirmitati ut omnia que nostre fragilitati conveniunt in se corpore pro acciperet. Denique is qui panis vite erat esurivit. Fons iusticie sitivit. Fatigatus est ab itinere qui erat via. quique erat lux mundi in propria membra sopori. Modo nempe et evangelista Ihesus fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. Sed undenam ex quo itinere dominus fatigatus docetur. Superius legitur quod cum audisset Ihesus quia audierunt pharisei quod plures discipulos facit quam Iohannes. et baptizat. quamvis non baptizaret sed discipuli eius. reliquit Iudeam. et abiit iterum in Galileam. Venit ergo in civitatem

a

In illo tempore venit Ihesus in civitatem Samarie que dicitur Sichar iuxta predium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Ihesus autem fatigatus ex samarie que dicitur sichar iuxta predium quod dedit iacob filio suo ioseph ubi erat fons iacob. Sed idem ihesus fatigatus ex itinere. Pro nobis ergo et ex nobis fatigari potuit. qui in se motu stabilis. et statu mobilis semper fuit. Sedebat super fontem ut lassitudinis incommodum relevaret, et persone ac dignitati magistri intenderet. Sedere namque magistrorum est. Venit ergo dominus in civitatem samaritanorum. ut illis quoque in transitu. doctrine sue beneficium impertiret. Ad predium vero quod dedit iacob filio suo ioseph ideirco accessit. ut se ostenderet illum esse quem sanctus ioseph presignavit. cui sol et luna veniebant et cui astra omnia famulabantur, quemque fratres impii iudei videlicet iniusto odio persequebantur. Sedit super fontem. quia ibi noverat venturam mulierem. quam credituram in seculum presciebat. Unde sequitur. Venit mulier de samaria haurire aquam. Dicit ei ihesus. Da michi bibere. Quid est quod dominus a muliere samaritana potum exposcit. qui in sequentibus spiritualis affluentiam fontis in se credentibus daturum promisit. Sed sitiebat non tam aquam. quam mulieris salutem et fidem. Denique qualis sit sitis domini ex consequentibus dabit. ubi dicit. Meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei. Qualis ergo cibus eius. talis est et potus. Hoc ergo desiderabat hoc sitiebat. ut in illa voluntate patris proficeret. Sed carnalis adhuc mulier sitim domini carnaliter accipiens respondit. Quomodo tu iudeus cum sis bibere a me poscis. que sum mulier samaritana. Hoc quare miraretur. ostendit subinferens. Non enim coutuntur iudei samaritanis. Non coutuntur id est non communicant samaritanis iudei. Nullius rei usum cum illis habent nec in aliquo participes sunt eorum. Execrantur enim illos et odiunt. quod eorum regionem possideant. vel quod deum et ydola simul colant. Unde et pro magna contumelia ducebat. si quem samaritanum vocassent. Quo nomine dominum crebro legimus iniuriasse. Sed audiamus quid dominus adhuc erranti et in tenebris agenti mulieri responderit. Si scires inquit donum dei. et quis est qui dicit tibi da michi bibere. Et cetera. Donum dei quid est aliud quam spiritus sanctus. Hoc donum post suam ascensionem fidelibus dedit. quod ascendens in altum captivam duxit captivitatem. dedit dona hominibus. Et sicut alibi idem evangelista dicit. nondum enim erat spiritus datus quia ihesus nondum fuerat glorificatus. Ostendit

donum dei spiritus sanctus est

Sitit ergo dominus non talem sitire aquam qualem illa intelligebat. Fidem namque eius sitiebat. et adeo ei sitienti spiritum dare volebat. Hoc est aqua de qua alibi stans in templo dicebat. Qui sitit veniat et bibat. et de ventre eius fluent aque vive. Quod exponens ewangelista subiunxit. Hoc autem dicebat de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Ait ergo Si scires donum dei. et quis est qui dicit tibi da michi bibere. Scire ipsum non poterat. quia donum dei id est spiritum sanctum non habebat atque adeo quod ipsum ignorabat. aquam vivam ab eo petere nesciebat. Sed adhuc in carnali sensu perseverans mulier respondit. Domine neque in quo haurias habes. et puteus altus est unde ergo habes aquam vivam. Notandum vero quod hic puteum dicit. cum superius fontem nominaverit quia quod omnis puteus fons. non autem omnis fons puteus. Que verba sicut aperta et plana transcurrentes. Audiamus quid ei dominus responderit. superiora ubi sua exponens. Ait enim Omnis qui biberit ex aqua hac. sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei non sitiet in eternum. Sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aque salientis in vitam eternam. Quibus domini sermonibus delectata et tanti muneris compos esse cupiens. et adhuc prudenciam carnis amplectens. Respondit. Domine da michi hanc aquam ut non sitiam neque veniam huc haurire. Dicit illi dominus. Vade voca virum tuum. et veni huc. Dicit ei non habeo virum. Dixit ei ihesus Bene dixisti quia non habeo virum. quinque enim viros habuisti. et nunc quem habes non est tuus vir. Vocat autem dominus illam non habentem virum et ista loquebatur: ut paulatim eam a carnali intellectu retraheret. et ad intelligendum quis esset qui cum ea loqueretur perduceret. Denique mulier audiens que circa se erant. Primo eum prophetam postmodum ipsum esse confessa est. Sed hec historie sic est plana simplicitas. ut in ea sensum lateat altera profunditas. Si ergo iam aliquid de hoc dono dei et de spirituali aqua gustavimus. spiritualiter ista tractemus. et primo videamus quid significet quod hora sexta dominus dicitur venisse ad puteum. Hora sexta sexta mundi etate significat quando tamquam in mundi senectute dominus et redemptor noster homine indutus venit ad puteum ad tenebrosam videlicet mundi huius profunditatem. De illa celorum sublimitate. ad infimas et preceps dignatus descendere. Hora ergo sexta dominus ad puteum venit. quando sol ad inferiores circulos a summo celi vertice incipit declinare, quia novissima seculi ut dictum est etate filius dei ad terrenum laborem nostrum dignatus est descendere, ut nos doceret exuere veterem hominem cum actibus suis et induere novum qui secundum deum creatus est. Sed fatigatus veram infirmitatem carnis, quod sedit humilitatem ostendit. Fatigatus ergo residet, quia et imbecillitatem carnis pro nobis suscepit, et homo humilis inter homines apparuit. De hac infirmitate corporis eius dicit propheta: Vidimus eum et non erat aspectus et desideravimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem. De humilitate vero eius ait apostolus: Humiliavit se ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Mulier hec samaritana gentium est ecclesia. Que bene samaritana vocatur. Samaria enim pro ydolatria accipi solet. Unde propheta Christi previdens incarnationem dicit: Ante quam sciat puer vocare patrem aut matrem suam, accipiet virtutem Damasci et spolia Samarie. Christus namque virtutem Damasci accepit quando ei magi aurum obtulerunt, in quo quondam ipsa potentissima civitas confidebat. Accepit et spolia Samarie, id est homines ydolatrie captivitate oppressos ad libertatem nove gratie redemit. Apte igitur hec mulier samaritana dicitur, quia sancta ecclesia ante Christi adventum ydolatrie cultui dedita erat, nichil que aliud agere noverat quam circa seculi curis vanis cupiditatibus occupari. Hoc enim significat quod cum ydria ad puteum hec mulier aquam haurire veniebat. Poscebat dominus ab ea bibere salutem gentium sitiens, cupiens eos ab errore eruere et ad christiane fidei religionem adducere. Quinque viri quos habuerat quinque corporis sensus accipiuntur: visus videlicet, auditus, gustus, odoratus et tactus. Et visu quidem alba et nigra et quecumque colorata videmus, auditu rauca et sonora captamus, olfactu odora fetentiaque discernimus, gustu dulcia et amara percipimus, tactu vero qui per omnia corporis membra diffunditur calida et frigida, mollia et dura, lenia et aspera sentimus. Istis quinque sensibus ecclesia gentium ante adventum Christi subdita erat, et lucem mentis non habens carnalem vitam absque ulla intelligentia transibat. Et quia istos sensus in errore repperit, secundum naturam tribuit, recte viri quasi legitimi dicuntur, quibus primis seculi temporibus omnes homines serviebant. Sed nondum venerat tempus quo non aliis sensibus rectoribus anima uteretur. sed haberet virum id est rationalem spiritum cum alios priores viros id est quinque sensus in famulatu subiceret. nec iam anima quinque viris subderetur sed verbum Dei amplecteretur spiritum Christo inhereret nec presentibus delectaretur sed eternorum amore frueretur / Sed quia adhuc pessimo errore tenebatur nec ea post quinque viros id est post tempus quinque sensuum carnalium verbum dei acciperet sed diabolus complexu adulterino electam obtinebat ait dominus / Vade voca virum tuum et veni huc / Id est dic / Remove te ab affectione carnali in qua nunc es. et spiritu intelligentie convocato huc adesto / Vir enim anime est quodammodo spiritus hominis qui animalem affectionem tamquam coniugem regit / De quo apostolus dicit / Nemo scit hominum que sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est / Sed cum illa responderet non habeo virum / audivit / Bene dixisti / Quinque enim viros habuisti. id est primo tempore quinque sensibus corporis servisti / Nunc vero quem habes non est tuus vir. qui non est in te spiritus qui intelligat deum. cum quo legitimum possis habere coniugium / sed error diaboli tui dominatur. qui te adulterina contaminatione corrupit. Et fortasse ad hoc pertinet. quod hec mulier post quinque carnales responsiones. sexta iam Christum nominat / Nam prima responsio eius fuit / quomodo ~~cum~~ tu iudeus cum sis bibere a me ~~posse~~ poscis. que sum mulier samaritana / Secunda / Domine neque in quo haurias habes et puteus altus est / Tertia. Domine da michi hanc aquam ut non sitiam / Quarta. non habeo virum / Quinta. Domine video quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt / Sexta responsione Christum fatetur dicens / Scio quia messias venit. qui dicitur Christus / Sed adhuc errat. quia venturum eum expectabat. quem presentem habebat / Nondum enim virum suum vocaverat scilicet vicinum erat ut error ille tamquam adulter expelleretur et intellectus rationalis introduceretur / Ait ergo mulier / Domine video quia propheta es tu / Iam quasi vir repetat intellectus eius adequare. sed nondum plene veniebat. Prophetam enim dominum putabat nec penitus errabat / Nam et ipse se prophetam vocare dignatus est dicens / Non capit perire prophetam extra Iherusalem / Et longe ante Moyses de eo dixerat / Prophetam vobis suscitabit deus de fratribus vestris tamquam me / Patres nostri in monte hoc adoraverunt / Et vos dicitis quia Iherosolimis est locus ubi adorare oportet / Contentio erat inter iudeos et samaritanos quia iudei solummodo iherosolimis in templo a salomone constructo deum adorabant. Samaritani uero longe positi et ipsi deum sed non in illo templo adorabant. Ideoque se iudei extollebant et meliores se illis dicebant qui deum in templo a sapientissimo homine edificato colebant. Quibus dicebant samaritani. Quare uos meliores nobis esse putatis quia templum habetis quod nos non habemus. Numquid patres nostri qui deo placuerunt non in monte hoc adorauerunt. Et ipsi certe templum non habebant, sed hic adorabant ubi et nos adoramus. Utrique contendebant illi pro templo isti pro monte, et utrique ignari ueritatis erant. Sed quid dominus mulierem doceat audiamus. Dicit ei Ihesus. Mulier crede michi quia ueniet hora quando neque in monte hoc neque in iherosolimis adorabitis patrem. Crede inquit michi. Et enim nunc qui credat quia cepisti ad eum intellectum quando me prophetam agnouisti. Crede ergo michi quia scriptum est si non credideritis non intelligetis. Veniet ait dies quando neque in monte hoc neque in iherosolimis adorabitis patrem. Tempus euangelice gratie quod iam instabat dicit quando ablata omni umbra figurarum ueritas pura luce mentes credentium illustratura erat. Deus enim non loco continetur qui celum et terram implet nec in templis manufactis sed in sanctis mentibus habitat. Vos inquit adoratis quod nescitis nos adoramus quod scimus. Multum honoris iudeis tribuit qui dei cognitionem habebant legem et prophetas acceperant quorum est testamentum et legis ~~leg~~ latio et promissa quorum patres et ex quibus Christus qui est benedictus in secula. Hoc est enim quod dicit salus ex iudeis est quia saluator ex illo populo natus est. Honorabat iudeos sed non istos reprobabat. Ipse enim erat lapis angularis qui ex gentibus parietem parieti coniunctis copulat. Sed quod ait adoramus quod scimus non ad omnes personas est referendum sed ad illorum tantum qui sapientes et ueritatis doctores erant, quales erant apostoli, quales fuerant prophete ceterique qui uel Christum uenturum fide expectauerunt uel uenientem fideli susceperunt. Dicit ei mulier. Scio quia messias uenit qui dicitur Christus. Pietas catholica satis nouit quia messias hebraice Christus grece unctus dicitur latine. Scio inquit. Ac si dicat. Quid necesse est nos pro monte illos pro templo contendere. Cum enim Christus uenit montem spernit templum euertit

et nos docebit in spiritu et veritate
adorare nos faciens. Sciebat iam
hec mulier a quo docenda esset
sed docentem nondum agnoscebat. ideoque
digna erat que non differretur sed
tunc christus ei manifestaret. Dicit
ei ihesus. Ego sum qui loquor tecum.
Ecce ad eum virum quem vocare iubebat
effectus est secundum apostolum caput
mulieris vir. caput autem viri christus.
Sed illa postquam audivit ego sum
nichil respondit. quia manifeste christum
iam agnovit. Et continuo venerunt
discipuli eius. et mirabantur quia cum
muliere loquebatur. Venerunt dis-
cipuli qui erant in civitate ut ci-
bos emerent. Mirabantur tamen christi
dignationem. tantam clementiam. qua
perditam ovem querebat. qua gen-
tilem et erroneam mulierem doce-
bat. Hanc eius misericordiam hanc
eius bonitatem inestimabilem mi-
rabantur. non mali aliquid suspicabantur.
Reliquit ergo mulier ydriam suam
et abiit in civitatem et dicit illis
hominibus. Venite et videte hominem
qui dixit michi omnia que feci. Pro-
iecit ydriam. quam ob nimiam avidi-
tatem non iam usui sed oneri depu-
tabat. ut expedita atque exonerata
christum annunciaret. Sed et mistice
ista eretica postquam ad fidem christi
venit ydriam proiecit. quia cupidita-
tibus seculi renunciavit. Ydria

cum illa amore soli singulariter
exprimebat. quam sibi homines de
tenebrose caverne demersi con-
versatione quasi de puteo voluptatem
hauriebant. Qua percepta acrius si-
tiunt. sed completa voluptas instanter
ad maiorem sitim mali operis accendit.
Venite inquit videte hominem qui
dixit michi omnia quecunque feci. Pau-
latim venit ad predicandum christum pri-
mo enim vocat hominem. ne si christum
primo diceret auditores irascerentur et
indignarentur. sicque ad eum venire nollent.
Interea rogabant eum discipuli dicen-
tes. Rabbi manduca. Ille autem dicit
eis. Ego habeo cibum manducare quem
vos nescitis. Dicebant ergo discipuli
eius ad invicem. Numquid aliquis attulit ei man-
ducare. Quid mirum si mulier sama-
ritana superius non intelligebat quia
aqua dominus ei promitteret. Ecce ipsi
discipuli nunc non intelligunt de qua
esca dominus dixit. Sed verus magister
instruit eos non sicut mulierem per an-
fractus et sermonum circuitus sed
aperte ostendit. palam se narrare incipit.
Meus enim cibus est ut faciam
voluntatem patris mei. qui misit me.
ut perficiam opus eius. Voluntas
patris est ut credamus in filium eius
sicut alibi dicit. Hec est voluntas
patris mei qui misit me ut omnis

meam que misit illum. Opus vero patris expulsio nostre redemptionis. Cibus ergo christi fides nostra et salus. Atque adeo perficiebat voluntatem patris omnes in se credere docendo. Perficiebat opus eius humane redemptionis misterium maturando. Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt et messis venit. Opus illum urgebat et quodam fervore properandi salutis nostre condestuabat ita operarios id est predicatores in mundum mittere volebat. Vos inquit dicitis quod adhuc quatuor menses sunt et messis venit. Sed ego vobis aliam messem iam ortam iam maturam et ad metendum paratam ostendo. Ecce inquit dico vobis. Levate oculos vestros et videte regiones quia albe sunt iam ad messem. Ergo tempus est ut messores mittantur. Quod est aperte dicere intellectu mentis considerate deum mundo reconciliari. et transacta hieme infidelitatis adeo fidei calorem iamque parata sunt corda gentium ut a vobis messem iusticie in predicatione colligatis. In hoc enim verbum est verum quia alius est qui seminat. alius qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis. Alii laboraverunt. et vos in laborem eorum introistis. Non misit dominus seminare discipulos sed metere. Dirigentur enim ubi iam alii laboraverunt id est ad iudeos. semina quibus prophete christum [illegible] adnunciaverant. Et ubi laboratum erat utique seminatum erat. Quod vero seminatum erat iam maturum falce et tritura querebat. Dirigunt ergo apostoli quo iam predicaverant prophete. Ipsi ipsi enim seminaverant hoc quod ad huius mulieris notitia pervenerat. Unde dicebat: Scio quia messias venit qui dicitur christus. Hec messis primum in iudea collecta est. quando predicante petro una die crediderunt tria milia. alia die quinque milia. et deinceps multa milia. Unde enim qui crediderant afferebant rerum suarum precia et ponebant ante pedes apostolorum ut expediti a sarcinis seculi liberi christum sequerentur. De hac messe pauca grana per orbem sparsa innumeram messem per totum mundum genuerunt. que in fine seculi colligenda est. Intuendum vero quod supra dixit ut et qui seminat simul gaudeat et qui metit. Prophete enim seminatores et apostoli messores. dispari tempore labores habuerunt sed una mercede acceperunt et fructum simul in vita eterna congregaverunt. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis et cetera finetenus. Primo quidem famam audierunt postmodum cognoverunt. nec hoc suffecit sed etiam rogaverunt eu ut saltem aliquot dies manere apud illos / Nec iam propter hec que mulier testimonium perhibuerat credere dicebant. sed se ipsos ut cognovisse et scisse. quod ipse esset saluator mundi / Et ita credulitas samaritanorum exaggerat multum et aggrauat infidelitatem iudeorum / Samaritani certe nullum miraculum viderant. non mortuum resuscitatum inspexerant. non mare pedibus transmeatum acceperant. sed tantum quod mulier dicebat. quia dixit michi omnia quecumque feci / Iudei non innumera cottidie mirabilia cernentes. non solum non credebant. uerum etiam ipsum salutis auctorem persequebantur / Hoc etiam fit cottidie apud gentiles / Cum enim a christi amicis christum predicari audiunt et credunt. quasi per famam mulieris predicantis ad christum ueniunt. sicque eo apud illos manente iam robustius per se ipsos. quanta ueritas christiane fidei. quanta sit salus in christum credentibus ex tempore cognoscunt / Nec uacat quod biduo apud eos mansisse dicitur quia binarium in se credentes christus duobus preceptis instruit caritatis docens eos diligere deum ~~super~~ supra omnia. proximum sicut se ipsos / Biduo ergo apud samaritanos mansit. quia in eorum cordibus requieuit. quos gemine caritatis lampade feruidos cognouerit / Nec illud omittendum quod nulla nocte / sed solum dies sit mentio / Nam qui sunt ex societate lucis ad tenebras / Iohannes enim dicit quod deus caritas est / Idemque alibi dicit Deus lux est. et tenebre in eo non sunt ulle / Si ergo deus caritas est. et si deus lux est. ergo caritas lux est / Ubi ergo caritatis lux est. quis tenebris locus esse potest / Et econtra ubi caritas non est. nulla ibi lux. sed omnia tetra obscuritate nigra sunt / Unde Iohannes / Omnis qui non diligit fratrem. in tenebris est. et in tenebris ambulat. et nescit quo eat / Qui autem diligit in luce manet / Hac igitur in quantum possimus efficacia tenebrarum ut christo inhabitanti gaudere mereamur / Precamur animabus nostris cupiditatum. et ad bona que desperantes cognouimus nobis tu alias trahe festinemus. clementiamque tuam indesinenter piis uotis ac bonis actibus exoremus quibus iam supra dignatus est donare mentem cum uirtutum profectu ad superne glorie dignetur perducere uisionem. amen.

P Erexit ihesus in monte oliueti
et diluculo iterum in templo
uenit Et reliqua /

Omnipotentissimus deus conditor
et benignissimus amator hominum
deus ihesus christus. cuius benignitas misericordia et ueritas habent sibi [illegible] tinua sua passione familiari [illegible] consuetudine. ut in diebus quibus

in templo quod iherosolimis erat verbum dei predicaret. et signa et miracula ostenderet quibus se dei filium esse declararet. Sero autem reverteretur in bethaniam et apud amicum suum lazarum sororesque eius mariam et martham noctibus hospitaretur. sicque altera die diluculo ad solite predicationis opus iherosolimam rediret/ Secundum hanc igitur consuetudinem cum tota die in die festo scenophegie id est tabernaculorum in templo predicasset. vesperascente iam die sicut asserit sanctus ewangelista perrexit in montem oliveti. et inde rursus diluculo venit in templum/ Mystice mons oliveti sublimitatem dominice pietatis ac misericordie designat quod in ipso satis vocabulo claret. quia mons oliveti a misericordia nomine trahit. Eleos namque grece. latine misericordia dicitur/ Natura quoque olei misterio aptissime convenit/ Superfertur enim omnibus liquoribus. atque gratiam premonstrat misericordie/ De qua psalmista Suavis inquit dominus universis et miserationes eius super omnia opera eius/ Olei quoque perunctio fessis ac dolentibus membris solet afferre levamen/ Et psalmista miserationes domini gratissima laude commemorans. qui propiciatur inquit omnibus iniquitatibus tuis. qui sanat omnes infirmitates tuas/ Agebat ergo dominus in monte oliveti. ibique manebat. ut certe misericordie in se constare munus ostenderet ac ipsam misericordiam secundum psalmiste vocem/ Deus inquit susceptor meus est. deus meus misericordia mea/ Tempus vero diluculi quo predicaturus iherosolimam rediebat. exortum nove gratie designat/ quando remota legalium umbra figurarum lux ewangelice veritatis mundo revelanda erat/ Et omnis inquit populus venit ad eum. et sedens docebat eos/ Sessio domini humilitatem incarnationis insinuat per quam mundo subvenire dignatus est/ Domino ergo in templo sedente omnis populus ad eum venit quia postquam per susceptam humanitatem visibilis se hominibus prebuit. ceperunt multi predicationem eius audire. et in eum credere. et tanto libentius. quanto eum sibi per assumptam carnem proximum factum esse meminerant/ Multi autem [illegible]. quia plurimi superbi mente salutem quam attulerat contempserunt/ Unde multo ante predictum fuerat. audiant mansueti et letentur/ Mansuetis ergo et simplicibus sermone domini mirantibus et intentissime audientibus quid contemptores fecerint audiamus/ Adducunt autem scribe et pharisei mulierem in adulterio deprehensam. et statuerunt eam in medio et dixerunt ei magister/ hec mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses praecepit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? O captiosa venatio, o simulatum venenate mentis obsequium, o labia dolosa in corde et corde loquentia. Interrogant non ut quod rectum est discant, sed ut veritati laqueos mittant. Sciebant enim ideo vel maxime Dominum a turbis amari, quod misericordiam praedicabat et peccatores benignissime suscipiebat. Ideoque cum invenissent mulierem in adulterio, exultabant invenisse se temptandi occasionem. Adduxerunt ergo eam ad Dominum, percontantes quid de ea fieri iuberet. Dicebant enim ad invicem: Si dixerit lapidandam esse hanc mulierem iuxta decretum Moysi, quasi crudelem et oblitum misericordiae quam praedicabat deridebimus, sicque eum odiosum turbis a quibus diligitur faciemus. Si non lapidari eam prohibuerit, quasi legis adversarium et fautorem scelerum publice comprehendemus et mortis supplicio condempnabimus. Sed quid perversitas valeret humana contra potestatem divinam? Scriptum namque est: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Sequitur enim: Iesus autem inclinavit se deorsum, et digito scribebat in terra. Per hoc quod se Dominus inclinavit, humilitatem assumpte humanitatis ostendit. Per digitum, qui coniunctionibus articulorum compositus atque ideo ceteris membris flexibilior est, sublimitas discretionis exprimitur. Per terram vero humanum cor ostenditur, quod bonarum vel malarum actionum solet reddere fructus. Interrogatus ergo a phariseis ut de adultera sententiam ferret, non statim iudicat, sed prius inclinans se digito in terra scribit, et sic demum illis obnixe insistentibus iudicat. Ut nobis hoc exemplo typice moneat, quatinus cum quaelibet mala proximorum conspicimus, non statim ea temere reprehendendo dampnemus, sed prius nostri cordis conscientia humiliter reversi, digito discretionis ea sollicite disquiramus, et utrum sint magis opera Deo placentia an displicentia, diligenti meditatione investigemus. Temerarium est enim iudicare de cogitationibus alienis, si adhuc reprehendenda. Hinc apostolus dicit: Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tempteris. Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Pharisei quidem et scribe contra laqueos tetenderant. Credebant quod si eum possent ostendere vel nimis misericordem vel iniustum. Sed Dominus respondendo illorum facillime sic fila aranee pertransiit, servans per omnia et iusticie districtionem et pietatis mansuetudinem. Ait enim: Qui sine peccato est vestrum. Ecce temperancia miserantis. Primus in illam lapidem mittat. Ecce iusticia iudicantis. Ac si patenter dicat: Dicatis quia Moyses precepit huiusmodi lapidare, sed hoc audistis a ministris non a peccatoribus fieri precepit. Primo igitur iusticiam legis implete et sic mundis manibus et corde ad lapidandam ream concurrite. Primo fidem et misericordiam spiritalia scilicet precepta perficite et sic ad carnalia iudicia venite. Hoc iudicio dato Dominus iterum inclinans se scribebat in terra. Potest intelligi fecisse hoc Dominus more humane consuetudinis ut quasi aliud agens et multum alio intendens liberam eis facultatem egrediendi daret, quos sua responsione percussos et iam rubore actos citius exituros quam plura interrogaturos esse cernebat. Denique ait evangelista: quia audientes unus post unum exibant incipientes a senioribus. In hoc vero quod et ante datam sententiam et post inclinans se scribebat in terra, figurate admonuit ut et nos cum peccantem fratrem corripiamus, et postea ei ministerium debite correpcionis impendamus, sollicita atque humili investigacione perpendamus utrum aut ipsi de quibus alium castigamus aut aliis peccatis obnoxii simus. Sepe enim contingit ut ille qui alium verbi gratia de homicidio iudicat, ipse pro odio fratris ante oculos conditoris reus homicidii habeatur, quia scriptum est: Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Nunquam aliquis alium de fornicacione accusat, et ipse facinus superbie absconditum celat. Cum ergo peccantem aliquem corripimus, pensemus sollicite quia deiecti quam fragiles esse nobis simus, si non divine pietatis auxilio sustentemur. Ita enim fiet ut nequaquam contra eum quem corripimus superbiamus, nec proterva spiritu iudicantes eum condempnemus, sed memores proprie condicionis mansuete ac leniter ad penitenciam et emendacionem delicti salubri exhortacione provocemus. Erigens autem se Ihesus dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condempnavit? Que dixit: Nemo, Domine. Nullus quippe ausus est condempnare peccatricem mulierem, quia Domino ancipiti verbi sui gladio eorum consciencias penetrante singuli in se cernebant quod magis dampnari deberent. Sed quia accusatoribus iusticie auctoritate prostrauit. eam que accusabatur magne pietatis nimirum sublevauit. Sequitur enim Dixit autem Dominus. Nec ego te condempnabo. Vade et amplius noli peccare. Tamen que prius preterita peccata agnouerit sed quasi iustus ne amplius peccare presumat interdicit. Quia enim deus erat et homo. per id quod homo erat accusate misereri potuit per id uero quod deus est dimisso scelere eam absoluit. Veneremur ergo eum per id quod deo patri equalis est. Diligamus eum per id quod nobis proximus fieri dignatus est. Precemur eius misericordiam piis uocibus iustis operibus. ut nos ab omnibus peccatorum erroribus soluat. et de cetero non peccare concedat. sicque mentes nostras sibi amoris sui flammis accendat. ut secundum beneplacitum suum in omni bono perseuerabiles fieri faciat amen

Dominica quarta in quadragesima [illegible]

In illo tempore abiit Ihesus trans mare galilee quod est tyberiadis. Et reliqua.

Hoc mare pro diuersitate locorum diuersis uocabulis legimus nuncupatum. Ad quantum prius loco competit mare galilee dicitur propter prouinciam huius nominis contiguam. Mare aut tyberiadis. a ciuitate eiusdem prouincie uocabulum mutuauit. Sed queritur cur hoc stagnum mare dicatur cum iuxta sententiam doctorum non amaris aquis sit impotabile. sed dulcibus fluentis exuberans. habilissimum potacioni. [illegible] molis submisserit. Nimirum quia iuxta ydioma hebree lingue secundum quam cuncte aquarum congregaciones maria appellantur ut est illud in genesi. Congregaciones aquarum appellauit maria. Habet autem hoc mare in longitudine sui. c. xl. stadiis in latitudine uero xl. Cui iordanis influens tandem usque ad mare mortuum quod olim fuit regio pentapolis ubique perducit laudabiles aquas. Hoc ergo mare quia dulces et habiles aquas habebat ad potandum et copia piscium abundabat. ideo multitudinem incolarum circa se continebat. Quod ideo ad circo frequenter transmeabat ut populis ibi habitantibus uerbum predicacionis impenderet. Et Nomine maris presens seculum designatur. propter quandam similitudinem rei in se qua retinet. Hoc enim mare aliquando turbidum et perturbatum est. aliquando quietum atque tranquillum. Sic et presens seculum nonnumquam in pace consistit. nonnumquam a semetipso conturbatur. sic et in mari. et sicut ibi pisces inpossibiles gurgitibus demersi ad superiora ascendere propria virtute non valent sic et in hoc mundo carnales homines mundanis viciorum demersi ac celsitudinem superne patrie nisi dei auxilio sublevati conscendere nequeunt / Spirituali intellectu mare quod ab amaritudine vel a meando sive a motu dicitur eo quod semper in motu sit presentis seculi turbidam et inquietam habitationem designat quia nunquam in eodem statu permanet quia in hunc mundum per nativitatem accedimus et per mortem recedimus et aliquando prospera aliquando committuntur nobis tristia / semper ergo in motu sumus / Ubi carnales homines tamquam pisces profundis gurgitibus dediti nimio viciorum pasti atque versari desiderant / Unde congrue hoc mare Galilee cognominatur quod interpretatur rota vel volubilitas quia nimirum amor labentis seculi corda que optinet inquietudine hoc est in amaritudine mittit Unde psalmista de reprobis dicit In circuitu impii ambulant / Quod vero abeunte domino trans mare Galilee turbe multe secute sunt / figurate indicat quod postquam ipse mare nostre mortalitatis adiit nascendo calcavit moriendo transivit a mortuis resurgendo secute sunt eum turbe multe credentium ex utroque populo collectorum / Secute sunt autem non per gressum pedum sed imitatione fidei et mortem ut impleretur illud dominicum / Cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum / Et psalmista / Exaltare super celos deus et super omnem terram gloria tua / Sequi ~~ent~~ autem et dicit quia causa turbe illum comitabantur / Quia videbant signa inquit que faciebat super hiis qui infirmabantur / Notissima sunt signa que dominus circa infirmantes operabatur / Cecos illuminabat leprosos mundabat mortuos suscitabat Sed mistice hoc sciendum est quia dominus quosdam corporali sanitate donabat eos quidem in anima perfecte saluti reformabat / Ista vero signa et ipse per se met ipsum egit et apostolis post se potestatem operandi donavit dicens Signa autem eos qui in me crediderint hec sequentur In nomine meo demonia eiicient et reliqua / Subiit ergo in montem Ihesus / Sed dominus turbis in inferioribus relictis ad altiora cum discipulis ascendit atque iterum turbas pasturus inferiora repetit. Dispensationem sui misterii ostendit quia omnibus predicator in parte etiam positus observari debet / Hoc enim facto illud nobis significare voluit ut cum quilibet verbum predicationis adnuntiat simplicibus et minus intelligentibus animis minora precepta committat perfectiora autem aliis ad celsitudine superne stationis perceptis altioribus erigat. Videndum ergo exempli causa quo ordine Christus dei filius auditores suos ad superiora mentibus extollebat. Ut evangelista perhibet accessit ad eum quidam ditibus ex principibus iudeorum dicens: Quid faciendo vitam eternam possidebo? Et dominus: Mandata inquit nosti, non occides, non adulterabis, et cetera. Dicens illi adolescens: Hec omnia custodivi a iuventute mea. Hec dicens in valle quadam positus erat, quia perfectionem virtutis nondum erat assecutus. Unde dominus ut illius imperfectionem suppleret dixit ei: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia que habes et da pauperibus et habebis thesaurum in celo et veni sequere me. Sed ille quia dives erat recessit merens in domum suam. Hoc exemplo beatus apostolus Paulus auditores suos sublimabat, quibus dicebat: Adhuc excellentiorem vobis viam demonstro. Et sapientiam loquimur inter perfectos, et simplicibus: Non potui inquit vobis loqui quasi spiritualibus sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam. Quantum non adhuc poteratis. Mons hic latissimus erat in cuius media parte alius mons eminentior consurgebat. In quo dominus refecturus turbas ascendisse memoratur, quas in inferiori monte paulo ante docuerat atque sanaverat. Erat autem in proximo pascha dies festus iudeorum. Pascha hebreum nomen est, et non grecum vel latinum, aut transitus dicitur. Non enim vocatur a passione sed a transitu. Ita cum dominus educturus esset filios Israel de terra Egypti, in ea nocte transivit per Egyptum et interfecit omnia primogenita Egyptiorum et filios Israel liberavit. Unde in memoria sue liberationis paschalis festivitatis annuas per singulos annos celebrabatur. Sed hec sententia que dicit: erat in proximo pascha, nec prioribus nec subsequentibus congruit quantum ad litteram pertinet, nisi forsan quod refectio turbarum statim inde facta occulte nobis innuit quod qui se pane divini verbi et corporis ac sanguinis redemptoris nostri refici desiderat necesse habet pascha spirituale sive facere, hoc est de vitiis ad virtutes transire. Quia dum enim peccatis ac viciorum delectationibus quibus fuerit obnoxius nec verbis divinis eloquii delectabiliter refici nec pane dominici corporis ad salutem percipere poterit. Nam inde sublevari a peccatis poterat si digne percepisset, inde potius gravatus cumulo dampnationis sibi adquirit quod ad tantum misterium indignus ac presumptuose accedere non timuit. Cum sublevasset ergo oculus ille / Et reliqua / Sublevatio oculorum domini respectum misericordie illius indicat qua ad se venientes dominus pia mansuetudine colligere dignatur. Spiritualiter oculi domini sunt omnia dona spiritualia / Verbi gratia fides, mansuetudo, caritas, amor dei et proximi, sermo sciencie et sapiencie. Et cetera dona divinorum beneficiorum que dominus electis per graciam sancti spiritus largitur. Que dona cum dominus electis suis misericorditer concedit, tunc in eos oculos suos dirigit / Hoc est respectum sue pietatis illis impendit, ut fidem quam corde tenent opere exequi valeant / Oculi magis eius dona sunt spiritus sancti, que ysaias propheta ~~domini~~ super dominum requievisse commemorans ita enumerat / Et requiescet inquit super eum spiritus domini / Et reliqua usque timoris domini. Et zacharias septem oculos in uno lapide describit. Quod quid est aliud quam plenitudinem spiritualium donorum in ipso mediatore dei et hominum // Hinc Iohannes dicit / Vidi agnum tamquam occisum habentem cornua vii et oculos vii. Quo loco in agno christus accipitur, qui tamquam occisus dicitur, quia resurgens a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur / Quid enim per vii cornua nisi universitas omnium regnorum que per cornua exprimuntur. Septenario quippe numero crebro universitas figuratur / Septem igitur cornua agnus habet, quia per se cuncta celi ac terre regna sua potestate ac providencia obtinet / Quod vero sunt vii oculi, nisi ut premissum est dona spiritus sancti / Qui spiritus unus cum sit, septiformis tamen dicitur, quia per illum omnia divinorum beneficiorum carismata fidelibus conferuntur, ut apostolus ait / Alii quidem datur per spiritum sermo sapiencie, alii sermo sciencie / Et reliqua usque quo dicit / Hec omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult / Hos perfecte oculos dominus in electos suos dirigit, ad hoc ut ad se venire valeant respectum eis sue pietatis impendit.

Dicit ad philippum / Unde ememus panes ut manducent hii / Solitum est perfectis magistris a dilectis discipulis nonnulla sciscitari, non ut discant quod nesciunt, sed ut aliorum ignoranciam doceant, dum se nescire quod querunt profitentur. Simili racione dominus philippum interrogat, non ut ignota discat, sed ut propriam tarditatem rudi adhuc discipulo ostendat, quam ipse in se deprehendere non valebat / In ipsa enim sua responsione qua dicit: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, tarditatem sue fidei ostendit philippus. Qua si integre sapuisset, presenti rerum omnium creatorem de paucis panibus . aut eciam de nichilo . multa hominum milia refici posse nulla racione diffideret . Maius est siquidem quod dominus cottidie mundum universum disponit ac regit quam quod tunc de quinque panibus tottidem milia hominum saciavit . Quis enim qui tunc corporaliter hoc replevit cottidie de terra panem producit et vinum quod letificat cor hominis . et nemo tamen miratur . Divina enim miracula assiduitate viluerunt . Suscitatum quatriduanum lazarum et omnes mirati sunt . Cottidie creat in utero matrum eos qui non erant et nemo admiratur . cum amplius sit homines educi de nichilo quam mortuum revocare de sepulchro . Quod vero dicit evangelista . Hoc autem dicebat temptans eum . breviter intimandum temptacionem in hoc loco non accipi que decipit . sed que probat . De qua et moyses . Temptat vos inquit dominus deus vester . Duo enim sunt temptaciones . sic et duo timores . Est enim timor castus quo timet filius offendere patrem . et mulier casta ab amore viri sui recedere . De quo timore dicit psalmista . Timor domini sanctus permanens in seculum seculi . Est et timor servilis quo timet et mulier adultera deprehendi atque puniri . De quo timore dicit apostolus . Perfecta caritas foras mittit timorem . id est expellit . Similiter sunt et due temptaciones . Est temptacio mala qua temptantur mali ad dampnacionem . De qua dicit apostolus . Deus enim intemptator malorum est . subauditur temptatorum . et de qua loquitur temptasse diabolum vos . Est et bona temptacio . qua temptat deus electos ad salutem . De qua loquitur moyses . Temptat vos dominus ut sciat si diligatis illum . Et de qua dicit . Temptavit deus abraham . Hac ergo temptacione temptare voluit dominus philippum ignorantem . ut ipsum sua tarditate ostenderet . et per eius ignoranciam significaret spiritualem intelligenciam in lege iudeos ignorare . Dicit enim quod ex discipulis eius . et ceteris ipse meli[illegible]tor . Sed neque ipse adhuc perfectus erat in fide . Sic ergo gesta miraculi exposita potenciam christi ostendit . potencia cui est impossibile quod putamus nullo . Sed nunc spiritualem intellectum considerata . gratissima dote misteriorum refulget . Quinque enim panes quinque designat libros moysi . quos populus israheliticus ut conservaret accepit . Designant autem non simpliciter panes sed cum addicamento ordeacei fuisse referuntur . Hoc enim genus panis servorum et iumentorum cibus esse . Et iudei in mosaycis legis tempore servi[illegible] animalia sacramenta legis acceperit. Cui sensui apte convenit quod ordei medulla palea tenacissime cooperitur. Nam et lex exterioris littere velamine palliata interioris sacramenti graciam legentibus occultabat. At puer ille typum eiusdem tenuit populi, pro eo quod legem puerili intellexerit, hoc est in superficie. Et sicut pueri ea tantum que vident tangunt olfaciunt gustant, rerum non novit; sic idem populus solummodo hiis que exteriora sunt inhians intendebat. Audierat a domino per prophetam: Si volueritis et audieritis me, bona terre comedetis. Et per Moysen: Dabo vobis terram fluentem lacte et melle. Ferebat panes et tamen non comedebat nec turbis dabat, quia gens Israhelitica legem quidem superficietenus lectitabat, sed nec ipsa interiore intelligencia reficiebatur nec aliis explanando porrigebat. Duo vero pisces significabant dicta prophetarum et psalmorum melodia, que utraque scriptura concorditer domini Ihesu Christi prenunciabat adventum. Sicut enim pisces ad hoc panibus ordeaciis additi sunt ut eorum austeritate suo sapore temperaret, sic et prophete et psalmi legi mosayce ex intencione sunt copulati, ut illius importabile duricia sua lenitate mitigaret. Cuius rei exempla numerosissima per facile est reperire, quorum duo sufficiant. Lex etenim gravissima austeritate mandat, cum precipit: Reddes oculum pro oculo, dentem pro dente; quam psalmista lenire videtur, cum ait: Si reddidi retribuentibus michi mala, id est non reddidi. Item lex dicit, immo deus in lege: Ego sum deus zelotes, id est ultor, visitans iniquitatem patrum in filios. Et contra ad prophetam: Filius inquit non portabit iniquitatem patris, et sequencia. Aut certe alio sensu duo pisces figurant illas duas principales personas quibus idem populus regebatur, regum scilicet ac sacerdotum, qui soli in veteri testamento oleo consecracionis pinguebantur. Sicut legimus Aaron summum sacerdotem unctum et filios eius, reges quoque Saul et David et Salomonem in Gyon. Itaque ad modum piscium semper tundunt fluctibus et non deficiunt, sic prefate persone subiectorum suorum seduli incorrectis moribus quassabantur et semper mutute crescebant. Quorum typum redemptor adveniens in veritate convertit, quia illorum officia veraciter in semet ipso suscepit, factus sacerdos sui corporis in cruce hostiam offerendo, et rex regnum perenne sublimitatibus tribuendo. Ait ergo: Facite homines discumbere. Notandum ad literam quod discumbere dicimus iacendo comedere more antiquo. Erat autem fenum multum in loco. Non frustra evangelista significavit plurimum fenum in illo loco fuisse, sed ut ostenderet quod qui dominicis cibariis saciari desiderat, florem feni in maturitate videlicet viciorum necesse est conterat. Nam per fenum alie carnales illecebre et ea que proprie libido signatur. Unde scriptum est: Omnis caro fenum. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque milia. Quinarius numerus propter quinque corporis sensus, millenarius ad perfectionem. Quicumque ergo quinque corporis sensus perfecte studuerit regere, ut in eis non offendat creatorem suum, ille procul dubio merebitur ad convivium superne patrie pervenire. Sed ut alii evangeliste perhibent, multe mulieres et parvuli hoc convivio sunt refecti. Sed ut Iohannes non nisi viros hoc numero comprehendit ob significationem videlicet spiritualem. Viros ergo qui dicuntur a viribus solummodo hoc in loco connumerat, ut innuat quia illi celestis libri numero annotari digni sunt qui efficaces et viriles in sanctis actionibus inveniuntur. Quibus et dicitur: Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in celo. At qui enervei sunt et feminei in constancia enervati, ab hoc numero sunt excludendi tamquam superflui. Qui enim numerum excedunt per significationem in sorte reproborum inveniuntur. De quibus psalmista: Annunciavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Nos enim adscribi tantum pertinent qui cum Christo sunt regnaturi. Quinario autem numero crebro quinque sensus corporis notissimi exprimuntur; millenarius non semper perfectionem ceterum ponunt. De quibus iacentibus agitur. Illud enim nulla mora calculo valet excedere. Quinque milia fuerunt ut in ipso numero significetur quod qui illos quinque corporis sensus a peccato perfecte custodiunt, eos divina gratia superno dignatur vocare convivio. Accepit ergo Ihesus panes. Significandum quod cum posset novos panes creare noluit, sed eos qui allati sunt turbarum refectioni cumulavit. Quid significat per hoc nisi quia in mundum veniens non veterem scripturam reprobavit et novam condidit, sed ipsam que antiquitus fuit edita, cum in se salutaribus mysteriis gravidam discipulis a mortuis resurgens eadem patefecit. Hinc ipse in evangelio ait: Non veni solvere legem sed adimplere. Et cum gratias egisset. Refecturus multitudinem turbarum gratias egit ut suo exemplo nos instrueret quatinus omnipotenti deo semper gratias referamus, quotiens aut spirituali cibo aut corporali alimonia ab ipso reficimur. Vel certe ideo gratias egit. ut quantum de profectu nostre salutis gratularetur intimaret. Si enim nosse volumus quantum salvator noster nostre saluti congaudeat. illud ad mentem est revertendum. quod sic lucas narrat regressis a predicacione discipulis. cum nomina eorum in celis scripta esse indicasset in ipsa hora exultavit in spiritu sancto et dixit. Confiteor tibi pater celi et terre quia abscondisti hec a sapientibus et prudentibus. et revelasti ea parvulis. Distribuit discumbentibus. Alio ewangelista narrante dicitur quod dum accepisset panes dedit discipulis et illi apposuerunt turbis. Et hoc est quod scriptum est. Cum enim inicium nostre salutis per dominum enarrari cepisset ab eis qui audierunt in nobis confirmata est. Ipse enim resurgens a mortuis cum tunc ipse apostolis suis archana divine scripture revelavit quando aperuit illis sensum ut intelligerent omnia que de eo scripta erant in lege et prophetis et dixit. Ite docete omnes gentes. Illi autem eo [illegible] profecti predicaverunt ubique. Possumus et aperius dicere. Accepit panes et benedixit secundum alium ewangelistam. quando omnia que de eo scripta erant in lege et prophetis. et psalmis spiritaliter in se complevit. et cetera que minus erant supplevit. ostendens legem a deo esse datam. Fregit quando aperuit discipulis suis sensum. Distribuit illis. ut apponerent cum dixit. Euntes docete omnes gentes. Illi autem apposuerunt turbis quando profecti predicaverunt ubique. Ut autem impleti sunt dixit discipulis suis. Colligite que superaverunt fragmenta ne pereant. Spiritaliter iubet dominus fragmenta colligi. id est doctoribus altiora precepta divinorum sacramentorum que capi ab infirmis mentibus [illegible]. et ad perfectionem tendentibus tempore congruo subministrare. Verbi gratia. Communia precepta sunt. non occidere. non adulterari. nudum vestire. egenis elemosinam dare. et cetera huius similia. Altiora autem sunt deum plus quam te ipsum et proximum sicut te ipsum diligere. castitatem mentis et corporis conservare. et omnia que habent vel acquirere possunt. pro dei amore derelinquere. Mystice hoc precepto domini signatur. quia uberiora sacramenta que rudes turbe penetrare non sufficiunt. perfectiores quique sollerti cura sibi debent recondere ut hec congruenti tempore valeant ad instruccionem aliorum utiliter promulgare. Collegerunt ergo. Et cetera. Cophinis servilia officia geri solere novimus. Et quid per cophinos accipere debemus. nisi apostolos. et reliquos ordines imitatores illorum. apostolos scilicet viros. Qui licet in tempore

presenti despicabiles vel vilesque
apparerent. spiritualium tamen sacramen-
torum diviciis interius referti
quorum unus dicit. Habemus the-
saurum istum in vasis fictilibus. Et
iterum. Tanquam purgamenta huius
mundi facti sumus omnium peripsima
et angelis et hominibus. Notandum
vero breviter quod hoc differt ista tur-
barum refectio ab altera que de v
panibus legitur celebrata. quod hic
panes ordeacii memorantur. illic
vero quid tale dicitur. quod per hanc lex
exprimitur. per illam vero evangelium sig-
natur. Utraque tamen in monte
geritur. quia utrisque dominus ihesus christus
qui verus mons est consona voce pro-
nunciat. Utraque altitudine iusti-
cie divinorum preceptorum nobis comme-
dat. Sed merito queritur quid significet
quod dominus his turbas reficiens primo
de quinque panibus quinque milia. secundo
de septem panibus quatuor milia pa-
vit. cur primo de paucioribus panibus
plures. cur secundo de pluribus pauci-
ores. Que questio mystice est eno-
danda. In illo enim convivio. septem
panum quo novum testamentum ut pre-
missum est significat. de pluribus
panibus pauciores saciantur qui
volens ostendi paucos esse qui
perfectionem evangelicam sequi atque
opere exercere velint aut valeant.
At vero in illo quod de quinque
panibus est factum. lege antiquitus
data designat. quod vero de paucioribus
panibus plebs reficitur. multo nume-
rosiores inveniri qui levia carnali-
a que legis decreta implere diligant.
quam qui evangelice auctoritatis ar-
dua observationem velint attingere.
Clarent enim legis mandata adimplen-
da faciliora eo quod precepta sunt evan-
gelii. Illi ergo homines cum vidissent
et reliqua. Isti homines qui dominum
ihesum christum tamquam prophetam ac proclamabant
carnales erant. et nec dum in fide
plene confirmati. Cognoverant enim
in populo israhelitico aliquos prophetas mi-
racula fecisse. Et ideo videntes mi-
racula a domino ihesu christo fieri nichil
aliud quam prophetam eum esse credebant.
Hoc est purum tantummodo hominem sicut
moysen. heliam. et reliquos prophetas
qui licet errarent. error tamen eorum
devotione simplici procedebat. et ali-
quid veritatis in se permixtum habebat.
Nam quod dominus veraciter propheta dicendus
sit. ipse quoque ostendit dicens. Amen
dico vobis. non capit prophetam perire
extra iherusalem. Prophetam autem nullum
alium quam se ipsum vult intelligi. Et
moyses dicit. Prophetam vobis suscita-
bit dominus de fratribus vestris tamquam me.
ipsum audietis. Propheta namque dictus est
qui antequam nasceretur. multa futura
per legem ac prophetas presignavit predixit

Hic enim est propheta appellatus sed et
angelus / Nam ipse dictus est magni
consilii angelus / Angelus autem bonus
nuncius dicitur / Et dominus ihesus christus
bonus nuncius recte dicitur / quia veniens
in hunc mundum qualiter ad gaudia vite
perveniremus primo duxit et sua predicacio-
ne declaravit / Sed si ipse nichil nun-
ciasset angelus non diceretur Et si
nichil prophetasset propheta non diceretur
Aliquid presens annunciavit aliquid
futurum predixit / Ideo quod presens annunci-
avit angelus dicitur / Ideo autem
quod futurum predixit propheta vocatur / Iste
igitur turbe parvulis dominum sciebant
prophetam esse tantum et credebant / Nos
autem eius nativitate passione et
resurrectione necnon et ascensione
evidentissime edocti longe aliud de
illo credere debemus / Fateamur ergo
christum ita prophetam ut credamus etiam
dominum esse prophetarum sicut regem regum
et dominum dominancium / Isti dicebant hic
hic est propheta qui venturus est in
mundum sive ut melius habetur
in greco qui venit in mundum / nos autem
dicamus quia hic est deus omnipotens qui
nos in principio mundi cum non essemus
condidit et cum perditi essemus oppor-
tuno tempore sua nos passione rede-
mit cui sit sempiterna gratiarum actio
una cum patre et spiritu sancto in omnia
secula seculorum amen

Aliter / Illi ergo homines / Et cetera
Hinc liquido patet longe aliud
nos credere quam turbe tunc temporis
de christo sentiebant / Sed licet erra-
rent tamen errori illorum cum devo-
cione aliquid veritatis inesse de-
prehenditur / Nempe quod se dominus prophetam
nuncupari voluerit quam plurima
exempla suppeditat / E quibus
unum est ipso dicente / Non capit
perire prophetam extra iherusalem
Propheta namque recte dicitur qui cum
eum secundum carnem nasceretur / huius
futura per legem ac prophetas prefigurare
potuit / De quo et moyses ait prophetam
inquit vobis suscitabit dominus / Ita
ergo christum prophetam debemus credere
ut fateamur etiam dominum prophetarum sic
regem regum et dominum dominancium quo
circa nos quia per illius dignacionem
illuminati ad fidem sumus amplioris
fidei iudicia devociori confessione
declaremus dicentes / Quia hic deus
omnipotens qui in principio mundialis
fabrice nos cum non essemus condi-
dit et oportuno tempore cum perditi
essemus propria nos passione re-
demit / Idem denique qui mundo
est pro nostra salute iudicatus in fine
mundi iudex et arbiter omnium seculorum
creditur esse venturus ut electos
omnes a mundi origine pia retribu-
cione pro laboribus remuneret

reprobos autem in ethnicos pro admissis facinoribus meritis suppliciis dampnet. Istis tristem sentenciam intonando. discedite a me maledicti in ignem eternum. Illis uero clementi beniuolencia inferendo. uenite benedicti patris mei. Cuius desiderantissime uocis et auditores et participes ipso opitulante effici mereamur in secula seculorum amen.

In illo tempore prope erat pascha iudeorum et ascendit ihesus iherosolimam. Et reliqua.

Beatus iohannes quia post omnes euangelistas suum scripsit euangelium, idcirco plurima ad supplendum ea que a ceteris euangelistis omissa fuerant describere curauit. Illi enim ea tantum scripserunt que a domino duobus annis ante passionem eius gesta sunt incipientes a tempore quo iohannes baptista missus est in carcerem. Ergo diligentissime sancti euangelii narratione considerata reperimus bis dominum saluatorem ad paschalem solempnitatem celebrandam iherosolimam uenisse semel primo anno sue predicacionis ut ipse iohannes scribit et iterum anno quo passurus erat quando quinta die ante pascha sedens asino iherosolimam intrauit. Utraque tamen uice auaricia scribarum sacerdotumque impietate detestatus quam in templo exercebant eos cum omnibus qui negocia ibi habebant eiecit quare dicere patet non hanc esse lectionem que apud matheum et lucam legitur, quam hic ad eundem annum in pascha gestum est. Immo tunc predicacionis qui est terminus ante passionem et sedis imminente iam hora operis passionis. Hinc ergo precessisse intellectis premissis ad exponendam per ordinem accedamus sancti euangelii lectionem. Prope erat pascha iudeorum et ascendit ihesus iherosolimam. Quod dominus appropinquante pascha iherosolimam ascendit nobis perfecto exemplum dedit quanta cura et studio diuinis subdi debemus imperiis. Si enim ille qui erat dei filius in infirmitate nostre carnis apparens decreta legis a se date implebat solempnitates legittimas cum ceteris hominibus frequentando. Quanto magis nos in seruum sumus agendum est quanto studio et hec et alie festiuitates bonis operibus sint preueniende. Et digna reuerencia eum uenerari debemus. Et inuenit in templo uendentes boues et oues et columbas et nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo oues quoque et boues et nummulariorum effudit es et mensas subvertit. Non est putandum quod haec venalia in ipso templo fierent, sed potius in porticibus quibus ipsum templum cingebatur. Oves ergo et boves et columbae ad hoc ibi emebantur ut in sacrificio domini offerrentur. Nummularii vero ad hoc ibi residebant ut inter emptores venditoresque hostiarum prompta fieret pecuniae taxatio. Ergo si tantummodo honesta erat et licita ista negotiatio quae ad hoc ut dictum est emebantur hostiae ut domino offerrentur, quid ergo putamus fecisset dominus si invenisset eos impie dissidentes aut fabulis otiosis aut turpibus aut alternis colloquiis vacantes aut quolibet alio scelere repertos occupatos, si tam eos districte et de templo eliminare festinavit qui ea negotiabantur in templo quae domino offerre volebant. Haec contra illos dicimus qui ecclesiam ingressi non sicut in domo dei cum metu et reverentia ibi consistunt, sed lascivientibus obtutibus vagis mentibus fabulis occupantur, cachinno solvuntur, praeterea quia in tempore orandi peccata pro quibus veniam exorare debuerant augent. Quod peius est gravius, si quis eos pro huiusmodi stulta praesumptione redarguere ausus fuerit, odiis eum et maledictis prosequuntur, nec divinum quo hoc iudicium reformidant cum templum nefario ausu profanant. Haec autem quod tunc corporaliter gestum est in templo cotidie geri in ecclesia nullus qui recte sapit ignorat. Cotidie namque dominus spiritualiter intrat ecclesiam et qualiter in ea unusquisque conversetur attendit. Cavendum ergo et valde pavendum est ne improvisus veniens perversum in nobis aliquid videns merito flagellari et de ecclesia citius eliminandos inveniat. Maxime vero hoc observare debemus in ea quae specialiter domus orationis vocatur, ne quid ibi ineptum geramus, ne dicatur de nobis quod per prophetam dominus dixit: Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa. Nec obliviscamur nos ipsos templum dei esse atque ab omni immunditia et iniquitate conscientiam nostram immunem custodiamus, illud cum tremore recolentes quod dicit apostolus: Si quis templum dei violaverit, disperdet illum deus. Notandum autem est quod vendebant in templo boves et oves et columbas. Boves quippe terram exarant et suscipiendis seminibus praeparant. Quid ergo per boves nisi doctrina caelestis accipitur? Boves igitur vendunt qui verbum evangelii non pro auditorum utilitate nec causa amoris Christi sed intuitu temporalis lucri auditoribus impendunt. Oves simplicia et mansueta animalia vestiendis hominibus sua vellera praestant. Et quid per oves nisi opera simplicitatis et innocentiae signantur

Vendunt ergo oves qui gratia humane laudis opera agunt pietatis De qualibus dicitur Receperunt mercedem suam. Quid uero per columbam que felle caret et nisi spiritus sanctus intelligitur qui in specie huius uolucris super baptizatum dominum ostensus est. Columbas igitur uendunt qui spiritus sancti donum per impositionem manus uel ad premium uel ad uulgi fauorem tribuunt. qui sacros ordines non pro uite merito sed pro gratia largiuntur. Nummularii uero sunt in templo hii qui in ecclesia aperte terrenis rebus inseruiunt que sua sunt querentes non que ihesu christi. Hos omnes dominus facto flagello de resticulis eicit de templo quod per funiculum nisi crementa intelliguntur malarum actionum. Unde ysaias dicit Ve qui trahitis iniquitatem in funiculis ~~val~~ uanitatis. Et salomon Funiculis peccatorum suorum unusquisque constringitur. Cum enim peccator aliquis prioribus peccatis grauiora accumulat quasi funiculum quo flagelletur paulatim agendo prolongat. Eiecit ergo hos dominus eiecit tunc boues simul et oues ceteraque uenalia quia talium doctrina pro tunc sunt ~~doctoribus~~ auctoribus reprobanda est et a domo dei depellenda. Nummulariorum quoque es effundit et mensas subuertit quia dampnatis in fine mundi reprobis etiam illarum rerum quas dilexerunt aufert figuram mundi quam iohannes dicit mundus transit et concupiscentia eius. Et his qui columbas uendebant dixit Auferte ista hinc et nolite facere domum patris mei domum negociacionis. De uendicione columbarum in templo scriptum est quia gratia spiritus sancti non ad premium danda est sed gratis accepta et gratis debet dari. Unde omnes qui eam pro premio uel accipere uel dare uoluerint similes sunt scribis et phariseis. Domum uero dei faciunt domum negociacionis sacros ordines dando uel accipiendo premium uel famam uel fauorem querunt et ministerium quod perceperunt non simplici intencione sed pro humana retribucione in ecclesia peragunt aut student ut dona in hiis que agunt glorificentur sicut qui precibus laudentur et remunerentur. Et hoc non negligenter pertractandum quod hic utramque dominus saluator naturam suam commendat. Humana quidem gessit homo ad celebranda pasche sollempnitatem cum ceteris ascendit. Diuina uero secundum quam hos quos eiciebat de templo dixit Nolite facere domum patris mei domum negociacionis. Aperte namque filium dei se ostendit qui templum dei patris sui domum appellat. Recordati uero discipuli eius quia scriptum est Zelus domus tue comedit me. Zelus in hoc loco in bonam partem accipitur. Est enim zelus fer quidam qui metus iniecto humano timore pro defensione veritatis accedit. Zelo ergo dei repletus salvator impios negociatores eiecit de templo. Et nos quantum possumus zelemus domum dei et ne quid pravum in ea geratur studiose curemus. Quod fit recte agimus si fratrem qui templum dei esse debuerat videmus vel superbia tumidum vel luxuria enervatum vel ebrietati deditum seu cuilibet vicio substratum et in quantum vires suppetunt corrigere et ad emendacionis meliori ordine reducere satagimus. vel etiam cum in ipsa domo oracionis ubi corporis Christi sacrosancta mysteria conficiuntur, ubi angelorum et ipsius dei presencia augustius esse non dubitatur ne quid inhonestum aut indecens agatur sollicite procuremus. Responderunt ei iudei et dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hec facis? Respondit eis ihesus: Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud. De quo templo hoc dixerit ostendit evangelista cum subdit: Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Templum dignissime sanctum corpus suum dicit sacrarium divinitatis quia ut apostolus ait: In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter et sunt in illo omnes thesauri sapiencie et sciencie absconditi. Hoc templum solvendum erat in passione, excitandum citissima die tercii resurrectione. Non dicit sicut alii conscripserunt in passione destruite, sed honesto verbo inquit solvite. Neque enim convenit ut nos ipsi nobis manus inferamus. Vos inquit ergo aut solvite quia ab illis impendendus vel est exponendus et crucifigendus erat. Merito igitur de templo illo typice dicti fuerant qui ipsum verum templum dei in quo nulla prorsus peccati macula esse poterat solvere per mortem querebant. Dixerunt ei iudei: Quadraginta et sex annis edificatum est templum hoc et tu tribus diebus excitabis illud? Carnaliter domino responderunt quia carnaliter spiritualia omnia intellexerunt. Quod enim ipse de sui corporis templo dixerat, hoc isti de materiali templo dictum putabant. Verum quod dicunt xl et vi annis templum edificatum non primam sed secundam eius indicant edificacionem. Primo namque templum ipsum a Salomone in maxima regni pace decentissimo apparatu septem annorum spacio perfectum est. Hoc destructum postea a chaldeis rursum post lxx annos iubente rege persarum relaxata iam captivitate a filiis transmigracionis sub zorobabel et ihesu principibus reedificari ceptum est/ In quo opere impediti sunt impugnantibus se vicinis gentibus. ut una manu gladium tenerent/ altera lapides in parietis structura ponerent/ Atque ita factum est. ut per xlvi. annos inchoata templi fabrica vix potuerit impleri/ Hic autem annorum numerus perfectioni dominici corporis in utero matris proficit/ Conceptum namque semen primis sex a conceptione diebus lactis habet similitudinem/ novem sequentibus vertitur in sanguinem/ Reliquis duodecim coagulatur/ et in carnea soliditate redigitur/ aliis vero decem et octo formatur usque ad perfecta membrorum liniamenta/ Hinc iam usque ad tempus editionis magnitudine semper augetur/ Sex autem et nove et xii et xviii/ in summa collecti xlv. faciunt/ Quibus si unum diem adicias quo discretum per membra corpus incipit sumere crementum xlvi absque errore reperies/ pro quo videlicet tot diebus in edificatione corporis domini quot annos in fabrica templi legimus numerari/

Possumus quoque hunc ipsum numerum in nomine adam supputato ipsarum litterarum in eo invenire. cuius nomen ex principalibus quatuor climatum mundi litteris apud grecos constat/

Per quod innuitur ipsum primum parentem eorum de paradiso eiectum. et in totum orbem fuisse disseminatum/ Nomina quippe quatuor partium mundi secundum grecos sunt. ARKTOS. id est septentrio. Dysis./ id est occidens. Anatolem. id est oriens. MECHMBRIA. id est meridies/ Nomen vero adam ex alpha delta et alpha. et mi constat/ Quorum litterarum secundum grecos numerus est. A unum. d quatuor et rursum. A unum. m quadraginta que simul sunt xlvi/ Quot ergo diebus corpus christi in utero virginali formatum ac perfectum est/ Per quod designabatur primum adam per orbem diffusum secundum adam id est christum colligendum atque in unione fidei congregandum.

Cum ergo surrexisset a mortuis recordati sunt discipuli eius. quia hoc dicebat. et crediderunt scripture et sermoni quem dixit eis ihesus/ Nondum apostoli scripturas intelligebant quia necdum christus a mortuis surrexerat. nondum illis spiritum sanctum aspirarat/ At ipso die sue resurrectionis apparens illis aperuit illis sensum ut intelligerent omnia que de ipso erant in lege moysi et psalmis et prophetis scripta/ Tunc recordati sunt verborum que ante passionem dominum dicentem audierant/ Et crediderunt utique scripture prophetarum que resurrectionem eius predixerat et sermoni quem dixit eis ihesus/ Hoc videlicet promisso: solvite templum hoc

Cum autem esset Jhesus iherosolimis in pascha in die festo. multi crediderunt in eum. Ipse autem non credebat semetipsum eis. eo quod ipse nosset omnes. et non opus erat ei ut quis testimonium perhiberet de homine. ipse enim sciebat quid esset in homine. Patet causa quare dominus ad festiuitates iudeorum celebrandas corporaliter venerit. ut videlicet plures per eius predicationem crederent. Item euangelista. quia cum esset Jhesus iherosolimis multi crediderunt in eum. Sed ipse non credebat semetipsum eis. quia illi non sic credebant in eum. ut digni essent cum quibus Christus familiariter habitaret. Licet enim iam credere putarentur. ipse interius corda eorum intuebatur. Hoc enim quod dicitur. eo quod ipse nosset omnes. nec volebat a talibus predicari. quos prouidebat in sua passione posse scandalizari. Non enim illi opus erat. ut quis testimonium perhiberet de homine. ipse enim sciebat quid esset in homine. Hij nimirum typum tenebant cathecuminorum. quia iam credunt in Christum adhuc. sed ipse non se credit eis quia nondum renati sunt aqua baptismatis. Nemo autem potest introire in regnum dei. nisi prius renati fuerint ex aqua et spiritu sancto. Unde et mos ecclesiasticus optinuit ut cathecumini non credantur misteria corporis et sanguinis Christi. quamquam ipsi se in Christum credere fateantur. Nos vero qui et in Christo iam renati et viuificis corporis eius sacramentis sumus initiati. agamus nunc eius eternas gratias. cuiusque immensa dignitatis in quantum sufficimus laudibus extollamus. qui nobis ita se credere ita dignatus est incomprehensibili pietate cotradere. ut ipse in nobis. et nos maneamus in eo. Magnum est certe quod percepimus sed securi sumus de eius veracissima promissione sue promissione. qui dixit. Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum in me manet et ego in eo. Unde inspiciamus diligenter penetralia cordium nostrorum et quicquid vicijs fetidum quicquid sordidum deprehenderimus. hijs precipue diebus festiuis orationibus ieiunijs et lacrimis emundare properemus. Dominicam namque faciem eius in confessione si cognouimus eius in futuro vultum cernemus sine confusione. Ad celeste premium tendentibus nulla secularia obiecta impediant. nec prospera reuocent nec aduersa retardent. Neque enim vile aut caducum aliquid nobis promittit sed illud quod nec oculus vidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit ad quod mereamur peruenire opitulante ipso qui nos dignatus est vocare amen

In illo tempore. Iam die festo mediante ascendit Ihesus in Ierosolimam. Et reliqua.

In lectione que hanc precedit narrat sanctus evangelista quia ambulabat dominus in Galileam. non enim volebat ire in Iudeam. quia Iudei querebant eum occidere. Cum ergo ibi esset. et ut ita dictum sit apud se cogitata contra se persecutorum delitesceret et quia in proximo dies festus esset scenophegie. dixerunt fratres eius ad eum. Transi hinc et vade in Iudeam. ut et discipuli tui videant opera tua que facis. Quos videns dominus labilem et caducam huius mundi gloriam querere et celestem parvi pendere. respondit. Vos ascendite ad diem festum, ego non ascendam ad diem festum istum. Cum igitur hec et plura alia ad redarguendos consanguineos suos quia humane laudis cupidos dixisset. tunc quidem mansit in Galilea. Iam autem mediante die festo nam per octavos dies agebatur ipsa sollempnitas. sicut nunc lectum est. Et ipse Ihesus ascendit. Et mirabantur Iudei dicentes. Quomodo hic litteras scit cum non didicerit. Sed unde hoc est quod antequam dominus ad sollempnitatem veniret querebatur et murmur magnum de eo erat. Ecce adest qui querebatur. Docet qui latebat palam. loquitur et non tenetur. Sed illud erat exempli. hoc potestatis. Latuit enim ut nobis doceret persecutorum declinare furorem secundum quod et alibi precepit. Si vos persecuti fuerint in una civitate fugite in aliam. Et mirabantur inquit Iudei. Mirabantur non tamen convertebantur ab infidelitate. Sed unde mirarentur aperte subditur. Quomodo hic litteras scit cum non didicerit. Noverant ubi natus et quomodo fuerat educatus. Nunquam eum viderant litteras discentem. audiebant tamen eum de lege disputantem. legis et prophetarum testimonia proferentem. quod nemo alius faceret qui ipsam legem non legisset. Nemo autem ipsam legem legere poterat nisi litteras prius didicisset. Et ideo causa mirabantur non intelligentes eum legis esse auctorem et dominum. Qui si tradere voluisset nequaquam mirarentur si ille legem nosset qui ipsam legem dedisset. Verum hec illorum admiratio facta est veritatis magistro clarius doctrine insinuande occasio. Respondit enim dominus aliquid profundum et attentius inspiciendum. Nam sequitur. Respondit eis Ihesus. Mea doctrina non est mea. sed eius qui me misit. Paucis verbis quasi contrarium aliquid dixisse videtur. Non enim ait ista doctrina non est mea. sed mea doctrina non est mea. Querendum ergo quomodo sit mea doctrina non est mea. Si enim sua quomodo non sua. Sed revolvamus quod beatus Iohannes in exordio huius evangelii dixerit, et ibi repperiemus solutionem huius questionis. Ait enim: In principio erat verbum, et verbum erat apud deum, et deus erat verbum. Que est ergo doctrina patris nisi verbum patris? Verbum enim alicuius est verbum. Et ideo sua doctrina dixit non sua, quia christus non a se est, sed est verbum patris. Quod ergo ait, Mea doctrina non est mea, tale est ac si diceret: Ego qui doceo non sum a me ipso. Cum enim credamus et confiteamur filium patri esse per divinitatem equalem, nec ulla recipiamus inter generantem et genitum vel nature vel substantie differentiam, tamen ille pater, ille filius. Et pater quidem de nullo, quia de se deus est; filius vero non de se, sed de patre genitus est deus; sicut spiritus sanctus a patre procedit et filio. Et hii tres unus deus, unum lumen, una potencia, una maiestas. Et quia hoc tam profundum misterium videbat non omnes posse intelligere, dat consilium quo agentes ad illud pertingere valerent. Si quis inquit voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea utrum ex deo sit, an ego a me ipso loquor. Si quis voluerit voluntatem patris facere, hoc est si quis voluerit in filium eius credere, cognoscet de doctrina mea, hoc est intelliget. Ergo intellectus merces est fidei. Non ergo intelligendum est ut credamus, sed prius credendum ut intelligamus. Scriptum namque est: Si non credideritis, non intelligetis. Ergo faciamus voluntatem patris, hoc est credamus in filium dei patris. Hoc est voluntas patris, iuxta quod alibi idem filius dicit: Hoc est opus dei ut credatis in eum quem misit ille. Cognoscenda sane est necessario huius verbi structura. Aliud enim est quod dicimus per dativum casum credo tibi, aliud per accusativum credo in te. Dicimus certe credere nos Paulo, sed non in Paulum. Dicimus nos credere Petro, sed non in Petrum. Ergo aliud est credere deo, aliud credere in deum. Credere enim deo est verbis illius fidem accommodare, secundum quod et demones crediderunt ei et contremiscunt. Credere vero in eum est deum credendo amare, credendo diligere, membris eius credendo incorporari. Hec est fides quam a nobis exigit deus, que per dilectionem operatur. Si quis ergo facit voluntatem patris credendo in filium eius, cognoscet de doctrina christi, quia non aliunde, non de nichilo, sed de patre est, manens in patre equalis. Qui a semet ipso loquitur gloriam propriam querit. Quibus verbis antichristum notat, thesaurum malicie et perdicionis filium, qui ut apostolus ait adversatur et extollitur super omne quod dicitur deus aut quod colitur ita ut in templo dei sedeat ostendens se tamquam sit deus. Hic ergo cum venerit a semetipso loquetur sua scilicet auctoritate veniens non a deo missus dicens nec dei sed suam gloriam quesiturus est. De quo alibi dicit Ego veni in nomine patris mei et non suscepistis me. si alius venerit in nomine suo illum accipietis. Qui autem querit gloriam eius qui misit illum. Hic verax est et iniusticia in illo non est. De utroque dominus hiis verbis insinuat. qui cum per divinitatem equalis esset patri. tamen per susceptam servi formam apparens in tempore qui erat creator temporum non suam quesivit gloriam sed patris. Vel nobis certe per hoc prebuit humilitatis exemplum. Ut nos qui puri homines sumus. nec ex nobis boni quid quam possimus. totum deo tribuamus ad eius laudem et gloriam referamus vel cum boni aliquid facimus vel eius largiente clemencia recte scripturas illius intelligimus. Sed nos econtra bona que agimus nobis superbe ascribimus. mala vero creatori nostro irrogamus. cum sciamus quod tales nos fecerit. Ipse vero dominus noster gloriam patris querebat et ideo verax est et iniusticia in illo non est. In antichristo vero iniusticia est et verax non est quia suam non dei gloriam quesiturus est nec a deo missus. Sequitur. Nonne Moyses dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem. Quid me queritis interficere. Illi quidem gloriabantur se legis precepta implere. sed revincit eos ista sententia. Lex enim homicidium vetat. Quomodo ergo legem faciebant qui salvatorem interficere cogitabant. Nam si legem recte legissent et opere implessent in ipsis scripturis ipsum Christum agnoscerent et nequaquam de eius morte tractassent. Respondit ei turba. Turba inquit semper incerta et turbata nullo racionis ordine perdita. Demonium habes. quis te querit interficere. O scelus incomparabile. o blasphemia neque in hoc seculo neque in futuro remittenda. Par enim fuit hec dicere quam Christum occidere. Ei namque dicebant demonium habes. qui suo imperio demones expellebat. Obturande erant aures ad tam celestem contumeliam. nisi quod domini exemplo disceremus habere pacienciam. neque a furiosis et turbatis hec audiens turbatus est. sed in sua veritate tranquillus permanens non reddidit malum pro malo. nec maledictum pro maledicto. Cui si respondere voluisset. nos pocius habere demonium. Verum utrique diceret quod hi pleni demonio essent, tam perversa de deo loqui non possent. Respondit ergo eis. Unum opus feci et omnes miramini. Ac si diceret. Quid tantum miramini in sanacione unius hominis, quantum miraremini si omnia opera mea videretis. Una enim re fecerat. Sanaverat in sabbato paraliticum qui triginta octo annis decumbebat, et turbati sunt, quia non intelligebant eum esse auctorem sabbati. Non destruxerat sabbatum hominem in eo sanando, quia ad salutem hominum sabbati custodia hominibus data fuit. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus. Moyses quidem legem dederat ut circumcisio servaretur, sed non ipse auctor est circumcisionis. Multo enim ante legem primus Abraham accepit circumcisionem a deo in signum magne fidei sue. Et in sabbato circumciditis hominem. Tamquam diceret. Precepit vobis Moyses, precepit etiam ut sabbatizetis septimo die. Si ergo octava dies alicuius hominis natus est evenerit die septimo, hoc est in sabbato, quid facietis. Dabitis ut custodiatis sabbatum, an circumcidetis infantem ut impleatis ~~octava~~ octavi diei sacramentum. Sed novi quod circumciditis, quod signum salutis est, et non debet homo vacare a salute. Ergo michi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato, quod et curatus est ut sanus esset in corpore, et credidit ut sanus esset in mente. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi, michi indignamini quod totum hominem sanum feci in sabbato. Illa quippe circumcisio ob tres precipue causas data fuerat. Primo ut signum esset magne fidei Abrahe. Secundo ut per eam a ceteris nacionibus discernerentur in corpore, sicut fimbriis palliorum distinguebantur in veste. Tercio ut illa in virili membro suscipientes castitatem mentis et corporis se observare debere cognoscerent. Et tantundem valebat tunc circumcisio quantum et in novo testamento baptisma, quia omnia peccata per eam dimittebantur, excepto quod ianuam regni celestis nequaquam aperire poterat. Non ergo ab opere utili et proficuo [illegible] manibus ocii sabbatum vacare debebant. Maxime vero illa circumcisio figurabat baptisma quod nunc in ecclesia geritur, quo verissime peccata omnia dimittuntur et celeste regnum credentibus aperitur. Exhibebatur circumcisio in virili membro, per quod humana propagacio ministratur, ut ostenderetur quod per unum hominem peccatum intrasse in

vide hic tres causas circumcisionis

mundum. et per peccatum mortem. Et sicut omnis homo cum prepucio nascitur. ita etiam omnis homo cum originali peccato generatur a quo cum omnibus uiciis per baptismum quod est uera et spiritualis circumcisio expoliamur. Petrinis autem cultris circumcidebantur homines quia ut apostolus ait petra autem erat christus per cuius nominis inuocacionem simplex aqua baptismatis spirituali potencia fecundatur ut hominibus spiritualem possit prestare generacionem. Nolite iudicare secundum faciem sed iustum iudicium iudicate. Secundum faciem iudicare est personam in iudicio considerare. Et ipsi personaliter iudicabant quia illis qui in sabbato paruulos circumcidebant non irascebantur. Domino autem indignabantur quia in sabbato totum hominem saluum fecisset. Iustum inquit iudicium iudicate. Sed si facitis neque me neque moysen condempnabitis. sed ueritate conspecta nullatenus mea opera moysi preceptis contraria uidebitis. Omne hoc domini ammonicio non solis facta est iudeis. Nos etiam dominus monuit nos in sermone. Hec ergo uerba eius audiamus quasi presentibus nobis loquatur. Ait enim Nolite iudicare secundum faciem sed iustum iudicium iudicate. Magni laboris est hoc malum effugere. id est non ad intuitum persone iudicare. sed iustum iudicium proferre. Nullus quippe aliis hoc potest impleuit nisi illi qui omnes equaliter diligit qui in iudicandis causis attendit ambitum sed meritum. nec considerat quis iudicandus. sed unde sit iudicandum. Nec hoc dicimus de illis quibus propter gradum honorem debitum non iudicium honorare. sed de illis quorum causas discutere ac diiudicare debemus. Dicebant ergo quidam ex hierosolimitis. Nonne hic est quem querebant interficere. Ecce palam loquitur et nichil illi dicunt. Isti qui hoc dicebant nouerant quanta domini audacia querebatur sed non intelligebant quia sua potencia non tenebatur atque ideo putauerunt principes illi credidisse quia ipse esset christus. Dicunt enim. Nunquid uere cognouerunt principes quia hic est christus. Sed descendunt se non dum credidisse. eo subiungunt. Sed istum nouimus unde sit. christus autem cum uenerit nemo scit unde sit. Unde quod dicunt christus cum uenerit nemo scit unde sit. Nam herodi locum natiuitatis christi requirenti responderunt quod in bethlehem nasciturus esset et ipsa sua uerba prophetica auctoritate confirmauerunt. Sed nouerat locum natiuitatis eius non autem poterat comprehendere generacionem diuinitatis eius quia propheta dicente Generacionem eius quis enarrabit. Ac si dicat. Ipsi solum aliquem ex ceteris hominibus nouerunt nichil in illo diuinum nichil regale attenderunt. Christus uero in omnipotentissimus venturus est et universum mundum iudicaturus. Haec erat causa morbi illorum. Ideo enim in Christum credere nolebant, quia humanitatem solam considerabant, divinitatem perpendere non valebant. Unde et dominus illis ad utrumque respondit, videlicet et de humanitatis fragilitate et de divinitatis maiestate. Clamabat enim docens in templo: Et me scitis et unde sim scitis. Hoc de sua dixit humanitate secundum quam et locum nativitatis eius et parentum nobilitatem et vultus effigiem noverant. Sciebant ergo eum quod de regali stirpe descenderat et nobilitatis lampade illustris latere non poterat. Et a me ipso non veni, sed est verus qui me misit, quem vos non scitis. Hoc ad suam retulit divinitatem secundum quam ignorabant eum esse dei filium et a patre in mundum missum. Nesciebant enim deum patrem qui verus est et pater genitor veritatis, quem nesciebant, quia ignorantes filium et in eum non credentes ad dei patris notitiam pervenire non merebantur. Denique subiungit: Ego autem novi eum. Si ergo eum cognoscere vultis, a me quaerite, ut sciatis quia ab illo sum et ille me misit. Pulcherrime et quam brevissime divinitatem simul et humanitatem suam complexus est. Ab ipso inquit sum, quia filius de deo patre natus sum. Quidquid enim est filius, ab ipso est,

et ei debet cuius est filius. Et ipse me misit. Hoc est incarnari constituit, hoc est quod me videtis, quod praesentem attenditis. Cum autem audiamus deum patrem misisse filium, non cogitemus naturae dissimilitudinem, sed patris auctoritatem. Quaerebant eum apprehendere, et nemo in eum misit manus, quia nondum venerat hora eius. Nemo inquit misit manum. Hoc est nullus iniecit, nullus eum rapere praesumpsit, quia nondum venerat hora eius, hora videlicet voluntatis illius. Sicut enim voluntate natus est, ita et voluntate passus est. Na sicut enim statuta praeordinavit matrem virginem de qua nasceretur, sic etiam praescivit et praelegit mortem quam pateretur et tempus quo pateretur. Huius horae reminiscens dum penderet in cruce dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Non ergo potuerunt eum iudaei comprehendere, quia ipse mortem suam et ministros mortis suae in sua habebat potestate. At cum ipse voluit pati, etiam si voluissent a nece eius iudaei abstinere non potuissent. In altero igitur misericordia, in altero veritas prorogata est. Misericordia quidem in humilitate carnis qua pati voluit, veritas in potestate diuinitatis qua donec ipse voluit comprehendi nequit. Vtrumque autem propter nostram salutem gestum est. propter quos homo factus fuerat. qui hominem fecerat. ne perderet quod fecerat. Non ergo simus ingratitantis beneficiis. que ab ipso immeriti accepimus et indigni. Obediamus preceptis eius ut simus coheredes promissionis eius. Queramus spirituali desiderio vultum eius queramus faciem eius semper queramus eum non sicut iudei ut eum occideremus. sed ut ab ipso viuificemur. Queramus non ut eum lapidibus expellamus. sed ut cum eo in perpetuum maneamus. Amen.

In illo tempore. Preteriens ihesus vidit hominem cecum a natiuitate. Et reliqua.

Venerat filius dei ad sollempnitatem scenophegie et nouissimo die eiusdem festiuitatis stans in templo docebat populum qui ad diem festum confluxerat. Et redarguebat iudeos infideles. et mysteriis diuinitatis sue instruebat fideles. Sed miseri et tanquam homini inimici iudei verba illius ferre non valentes ad lapides confugerunt. querentes obruere quem non poterant intelligere. Ipse autem transiens per medium illorum ibat. Nec dum quippe venerat hora qua preordinauerat passioni. quia non in scenophegia. sed in pascha pati disposuerat. Preteriens ergo dominus sicut nunc ewangelista loquitur. Vidit hominem cecum a natiuitate. Hoc est cecum natum quem mater de tenebris uteri profuderat in noctem mundi. Vidit inquit illum id est misertus est illius. Videre enim eius misereri est. Hinc scriptum est. respexit dominus petrum. Et interrogauerunt eum discipuli eius. Rabbi quis peccauit. hic aut parentes eius. ut cecus nasceretur. Nouerant se ob multas causas dispensatione diuina dari infirmitates hominibus aliquando propter purgationem peccatorum aliquando ad probationem. nonnumquam ad virtutum custodiam ignorabant qua harum causa homo cecus natus fuisset. Ideo interrogauerunt dominum quasi magistrum. ut ab eo discerent quod nesciebant. Respondit ihesus. Neque hic peccauit neque parentes eius. Quid est quod dicat saluator neque illum neque parentes eius peccasse. Si enim nullus homo sine peccato quomodo parentes ceci non peccauerunt. Aut numquid ipse cecus cum originali peccato natus non fuerat. Numquid etiam viuendo et conuersando in mundo non peccatum addiderat. Si ergo et hic et parentes eius peccatum habebant. quomodo dominus dicit neque hic peccauit neque parentes eius. Sed secundum quod dominus ad eum dispu fuerat interrogatus respondit. Illi enim interrogaverant utrum pro suo vel parentum peccato cecus natus fuisset. Ad hoc respondit dominus neque illum neque parentes eius peccasse. Hoc premittendo ut ille cecus nasceretur. Habebant ergo ipse et parentes eius peccata innumera. sed non propter illa ipse cecus editus fuerat. Quare ergo? Sed ut inquit manifestentur opera dei in illo. Veritatis magister docet quod ad hoc natus sit ut opera dei manifestentur in eo, quatinus ab ingenita cecitate illum liberando et lumini restituendo filium dei esse omnibus aperte clarescerit. Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est. Sicut ubique ita et nunc omnem gloriam deo patri attribuit cuius se dicebat opera facere cuius erat filius. Ista erant opera dei patris propter que dei filius venerat, videlicet illuminatio et sanatio humani generis. Ista per illuminationem huius ceci illuminatio significabat humani generis. Miracula domini ac redemptoris ita nostram facta credimus ut mistice considerata aliquid innuant faciendum. Cecus ergo iste genus humanum designat. quod in primo parente cecatum est. quia ab illo omnes traximus non solum originem mortis sed etiam iniquitatis. Et bene non solum cecus sed etiam cecus a nativitate dicitur. quia omnes homines excepto illo qui de virgine natus est cum peccato originali nascimur et gravi ipsa cecitate depressi in mundum venimus. Qua cecitate de radice primi parentis contraximus. Qui bene videns conditus fuerat, sed diabolicis suasionibus obtemperando cecitatem incurrerat quam in omnes suos posteros transmittebat. Preteriens autem dominus vidit cecum. Non enim stans sed preteriens vidit cecum, quia in similitudine carnis peccati apparuit sed in via peccatorum non stetit. quia peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius. Hinc est quod secundum alterius loci parabolam samaritanus secus saucium venit. Quod enim ibi per saucium hoc signatur hic per cecum. Et quod ibi dicitur venit hic preteriit. Venit ergo dominus secus saucium et preteriens vidit cecum quia appropinquavit nostre mortalitati sed non tamen fixit vestigium in via peccatorum. Venit enim ut cecitatem peccatorum nostrorum tolleret, non ut ipse cecitatem susciperet. Hec ergo opera patris se dicebat oportere operari quia venerat querere perditum, restaurare corruptum. Donec inquit dies est. Venit nox quando nemo potest operari. Quam diem vellet intelligi diffinite exposuit cum subiungit. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Sed quid est quod dicit me oportet operari donec dies est? Numquid enim tantummodo operatus est quando presencia corporali fuit in mundo.

Si enim hec nox permodica post eius ascensionem est ista terribilis et metuenda nox in mundo, qua nemo potest operari. Et recte ipse alibi repromisit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Si ergo est cum suis fidelibus usque ad finem seculi, utique semper operatur usque ad finem seculi. Qui enim tunc presencia corporali fuit in mundo, nunc divina potencia ubique presens est in mundo. Querendum ergo que sit ista nox qua nemo potest operari. Nox ista impiorum est quibus dicitur: Ite maledicti in ignem eternum qui preparatus est diabolo et angelis eius. Nox ista erit quando dampnatis omnibus reprobis nullus iam locus penitencie, nulla facultas venie restabit, quia in inferno ~~nemo~~ nemo confitebitur domino. Operatur ergo dominus donec dies est, quia dum hic vivimus expectat. Hortatur ad confessionem et penitenciam, detractat adesse omnibus invocantibus se in veritate. Venit nox quando nemo operatur, quia finito mundo receptis in celo electis clauso hostio venie labor est et sera penitudo. Clamantibus enim: Domine, domine, aperi nobis, respondebit nobis: Nescio vos, discedite omnes operarii iniquitatis. Proinde audiamus apostolum dicentem: Dum tempus habemus operemur bonum. Nunc est tempus operandi, tunc non recipiendi quod fueris operatus. Sed videamus quid dominus fecit. Hec cum dixisset expuit in terram et fecit lutum ex sputo et linivit super oculos eius et dixit: Vade, lava in natatoria Syloe, quod interpretatur missus. Mirabilis est opere sui novitate stupenda ceci curacio magna, si intelligamus commendat mysterium. Expuens quippe in terram fecit lutum et oculos ceci inunxit. Sputum quod a capite in os defluit divinitatem Christi significat, quia caput Christi deus. Et sapiencia loquitur: Ego ex ore altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Et Salomon de ipsa loquitur: Vapor est enim virtutis dei et emanacio quedam maiestatis eius sincera. Lutum de terra caro Christi est. Expuens ergo in terram lutum fecit, quia verbum dei caro factum est et habitavit in nobis. Inunctus iam cecus nondum videt donec venit in natatoriam Syloe, quod interpretatur missus. Non vacat a mysterio quod evangelista huius nominis posuit interpretacionem quod interpretatur missus. Quis enim missus nisi ille qui dicit: Non veni a me ipso, sed pater me misit? Christus igitur venit ex patre missus, quia nisi ille fuisset missus nullus nostrum a peccato fuisset dimissus. [illegible] ergo illa baptismus est Christi. Lavit cecus in piscina Siloe que interpretatur missus et illuminatus est. quia in Christo baptizati illuminantur. Cum ergo inunctus est. quasi cathecuminus factus est. Sed egebat lavari id est baptizari ut illuminaretur. Cathecuminus enim iungitur ut doceatur. Nam cathecuminus grece latine instructus dicitur. Baptizatur autem ut verum lumen agnoscat et remissionem omnium peccatorum accipiat. Itaque vicini et qui noverant eum prius quia mendicus erat. dicebant Nonne hic est qui sedebat et mendicabat. Alii dicebant. quia hic est. alii autem non. sed similis eius est. Hunc enim aperti oculi fecerunt illuminatus quasi mutaverat vultum. Sed ille non ingratus nec collati immemor beneficii dicebat Ego sum. Confitebatur sic esse et laudabat eum qui tam bene ipsum fecerat esse. Dicebant ergo Quomodo aperti sunt tibi oculi. Respondit Ille homo qui dicitur Ihesus lutum fecit ex sputo et inunxit oculos meos et dixit. Vade ad natatoria Siloe et lava. et abii et lavi et video. Bene iam videbat qui sic gratiam sibi prestitam enunciabat. Iam ergo evangelizat Christum predicat illuminatorem suum. Dixerunt ei Ubi est ille. Dixit nescio. Adhuc inunctus necdum spiritualiter illuminatus erat predicabat Christum. sed quem predicaret ignorabat. Nam et ipse ille aut homo nescientis deum dicitur. quia quasi cathecuminus erat et doceri necesse habebat. Adducunt eum ad phariseos qui cecus fuerat. Erat autem sabbatum in illa die. Non omnes hoc dicebant. sed quidam. Iam enim inungebantur iam veritatis illorum cordibus subrutilare incipiebat. Isti vero qui dominum reprehendebant potius ceci erant. nec inuncti erant. nec videbant. Reprehendebant enim dominum. quia non custodiret sabbatum cum ipse perpetuo ab omni servili opere vacaret. quia peccatum non fecit. Hoc namque spiritualiter sabbatum observare. feriatum esse a peccato quod est opus servile. quia omnis qui facit peccatum servus est peccati. Sed illis ista dicentibus. alii qui iam illuminacioni appropinquabant dicebant Quomodo ~~est homo~~ potest homo peccator hec signa facere. Et scisma erat inter eos. Scisma grece latine scissio. Scissi ergo erant. quia pars veritati assentiebat. pars falsitati adplaudebat. populus divisus. inter lucem et tenebras divisus est. Dicunt ergo ceco iterum Tu quid dicis de eo qui aperuit tibi oculos. Interrogant quid dicis suo illuminatori sentiret. ut occasionem invenirent qua eum de synagoga pellerent. Sed ille quod de eo existimaret, constanter aperuit. Dixit enim Quia propheta est. Nec dum in corde illuminatus sed inunctus. tamen nescit dicere filium dei. sed confitetur prophetam esse. Nec tamen errans per omnia fallebat. Ipse enim de se ait. Non capit prophetam perire extra Iherusalem. Et nemo propheta sine honore nisi in patria sua. Non crediderunt de illo quod cecus fuisset et vidisset. Videbant enim et sibi et illi calumpniam fieri. ideoque dicunt Scimus quia hic est filius noster et quia cecus natus est. Si autem vultis scire quomodo nunc videat. ipsum interrogare vel debetis. quia etatem habet. olim loquitur. Iusti quippe et infantem loqui cogeremur. quia infans per etatem loqui rationabiliter non potest. Hec autem illos non ob ignorantiam. sed ob metum dixisse evangelista ostendit cum subdit Hec dixerunt parentes eius. quia timebant iudeos. Iam enim conspiraverant iudei. ut si quis eum confiteretur Christum. extra synagogam fieret. Quod magnum apud illos tunc temporis ducebatur. si qui de synagoga eicissent. Sicut enim modo homicidi vel adulteri vel ceteris capitalibus criminibus rei ab ecclesia pelluntur. ita tunc confessores Christi a synagoga iudeorum eliminabantur. Hoc metuebat mentem parentis ceci. Ideoque dixerunt. Ipse de se loquatur. Vocaverunt rursus hominem qui cecus fuerat. et dixerunt ei. Da gloriam deo. Gloriam deo dare est in veritate de aliqua re. quasi presenti deo loqui. Sed isti volebant ut negaret Christum. Nam quid est aliud dicere da gloriam deo. nisi nega dominum quod accepisti. Cum certe hoc non sit gloriam deo dare. sed potius blasphemare deum. Nos scimus quia peccator est. Sic illi volebant dare gloriam deo. ut sic ipsi Christum dicerent peccatorem. Sed ille ut neque pateretur calumpniam. neque veritati subscriberet non dixit. scio eum iustum. Sed respondit Si peccator est nescio. Unum scio quia cecus cum essem. modo video. Dixerunt ergo illi. Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Ille quotiens interrogatus. totiens respondit iam quasi quodam tedio affectus propter illorum duriciam et incredulitatem et quadam asperiori respondit dicens. Dixi vobis iam, et audistis. quid iterum vultis audire. Numquid et vos vultis discipuli eius fieri? Quia enim ipse iam credebat iam domini discipulus erat factus. ideo dicebat Numquid et vos sicut ego vultis in eum credere et discipulatum eius inchoare. Maledixerunt ei et dixerunt: Tu discipulus illius sis. Maledictum hoc veniat super nos christianos. Si enim cor eorum intueamur, maledictum est quod hoc maledicentis affectu protulerunt. Si vero verba ipsa perpendas, exoptabilis est benedictio. Quis enim non desideret discipulus esse Christi? Nos inquiunt Moysi discipuli sumus. Falluntur semetipsos decipientes. Nam si discipuli Moysi essent, crederent Moysi Christum annuncianti et cognoscerent eum qui per Moysen prenunciatus est. Sic enim ait Dominus: Si crederetis Moysi, crederetis et michi. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit. Despicientium verba sunt ista, quomodo nesciebat unde esset, cum et ubi natus fuisset et de qua tribu esset nossent. Hunc et supra dixerunt: Sed hunc scimus unde sit. Tale quid in libro Regum legimus. Cum enim David adolescens Golyam viris fortibus formidabilem stravisset, dixit Saul ad Abner: Cuius filius est iste puer, Abner? Certe armiger eius fuerat, cytharam coram eo crebro percusserat, et nunc cuius esset interrogabat. Quasi enim non agnoscebat, in quantum etatem adolescentis et habitum pastoralem contempnebat. Simili modo miserandi homines de illo cernentes hominem in tantum contemptibilem et novissimum iudicabant ut dicerent: Nescimus unde sit. Consueto more hominum qui quos abiciunt nescire se dicunt. Respondit ille et dixit: In hoc mirabile est quod vos nescitis unde sit, et aperuit oculos meos. Tamquam diceret: Hic quem vos nescire dicitis latet humilitate, proditur signorum virtute. Nescitur unde sit et sicut deus cecos videre facit. Scimus autem quia deus peccatores non audit, sed si quis dei cultor est et voluntatem eius facit, hunc exaudit. Tamquam inunctus et necdum illuminatus loquitur. Exaudit namque deus peccatores etiam. Denique exauditus est publicanus qui in templo dei a longe stans et oculos in terram demittens pectusque pugnis percuciens dicebat: Deus propicius esto michi peccatori. Qua confessione sic exauditus est ut iustificatus a templo rediret qui iniustus ad templum venerat. Exaudiuntur ergo, ut dictum est, peccatores si resipiscunt ex peccatis, si mala perpetrata lacrimis abluunt et ex corde abnegant esse quod fuerunt. A seculo non est auditum quia aperuit quis oculos ceci nati. Nisi esset hic a deo non posset facere quicquam. Ingenua fiducia, libera constancia. Principes fremebant, ille indignacione eorum pro habita confessus est ueritatem. Quis enim alius tanta et talia faciat nisi deus. Sed et si qui sunt qui hec aliquando fecerunt ab ipso ut facere possent habuerunt. Ipse enim dixit Sine me nichil potestis facere. Responderunt et dixerunt In peccatis natus es totus. id est cum clausis oculis. Supposuerant enim quod propter parentum peccata sic natus sit. Sed qui oculos aperuit totum saluauit. quique foris illuminauit ipse cor illius ab omni iniquitatum nubilo purgauit. In peccatis natus es totus. et tu doces nos. Ipsi certe eum interrogauerant ipsi coegerant. ut diceret quid de christo suo illuminatore sentiret. et nunc confitentem arguunt et de synagoga expellunt. Nam sequitur Et eiecerunt eum foras. Illi quidem eum eiciebant. sed christus suscipiebat. Tunc magis meruit cognoscere christum. cum eiectus est de consortio inimicorum christi. Audiuit ihesus quia eiecissent eum. Et cum inuenisset illum dixit illi. Tu credis in filium dei. Sed ille qui iam tantum corporeis oculis uidebat corde nondum intelligebat. Respondit quis est domine. ut credam in eum. Quibus uerbis ostendit. iam dudum paratum se cor ad credendum habuisse. sed in quem deberet credere ignorasse. Dixit illi ihesus. Et uidisti eum. et qui loquitur tecum ipse est. Iam dominus perunctis faciem lauat. iam cordis oculos illuminat. Denique ille lotus et illuminatus spiritualiter respondit Credo domine. Sed hec parum fuit si sufficeret credere. qui etiam procidens adorauit eum. per hoc quod ammodo contestans. deum se credere quem adorabat. Sed nichil hoc quod nobis superest qui ista legimus propter quos cetera scripta sunt. Quecumque enim scripta sunt ut apostolus ait ad nostram doctrinam scripta sunt. Quid igitur nobis agendum est. nisi ut ea que in scripturis legimus uel audimus. imitari satagamus. Stultum est dicere. ut imitemur petrum apostolum. cum uestigiis mare se calcabile prebuit. Non igitur petrum uel reliquos apostolos nobis in eo exemplum proponimus necesse. Hunc saltem hunc ante modicum cecum iam bene illuminatum imitemur quem non truculentorum principum. Non catenus gesta terrore obprobrium. non saltem terribilis etiam parentibus formidabilis de synagoge eiectio. non hec neque alia potuerunt seducere a confessione suprime ueritatis. Audiamus fidenter et uere presentem. quia si quis dei cultor est et uoluntatem eius facit hunc exaudit. Colamus ergo deum non turis uaporibus. non taurorum sanguineis iugulis. sed gratissimis fidei et dilectionis uictimis. Faciamus uoluntatem eius. Hoc est mandatum illius impleamus et timore illius et secundum spem promissionum eius in mentibus habeamus quoniam beneplacitum est domino super timentes eum et in eis qui sperant super misericordia eius cui est gloria in secula Amen

In illo tempore. Dixit Ihesus turbis iudeorum Pater meus usque modo operatur et ego operor Et reliqua

Precedit hec lectio superioribus ubi refert sanctus evangelista quomodo dominus hominem triginta et iiijor annos paralisi decubantem sanaverit. eique sanato preceperit ut tolleret lectum suum et abiret. Erat autem ut dicit evangelista sabbatum in illa die quando hoc miraculum dominus operatus est. Videntes ergo principes et pharisei hominem sabbato lectum suum portantem ceperunt invidentes indignari et hominem prohibere ne sibi imperata perficeret. Sed ille eorum verba contempnens et mandatoris sui mandatis obediens tulit in quo iacuerat et ambulavit. Propterea ergo ut ait evangelista persequebantur Ihesum quia hec faciebat in sabbato. Ihesus autem respondit eis dicens quod in modo lectum est. Pater meus usque modo operatur et ego operor. Persequebantur ergo eum iudei quasi contra divinam auctoritatem et legis institucionem faceret. quia deus perfecta mundi creatione sex diebus septimo quievit et populum sex diebus operari septimo vacare precepit. Non enim intelligebant quia carnalia legis decreta paulatim erant spirituali observacione mutanda appropinquante Christo qui est finis legis ad iusticiam omni credenti. Sed neque illud animadvertebant quia deus non a gubernacione vel substitucione rerum quas condiderat die septimo requievit sed a novarum creatione cessavit. Ad hoc intelligendum volens illos dominus sustollere ait illis Pater meus usque modo operatur et ego operor. Ac si diceret Non sicut vos putatis pater meus sex tantum primis diebus operatus est. verum usque modo operatur non nova quoque condenda. sed que in principio creaverat propagando. Et ego operor subaudis usque modo cum patre cuncta disponens. cuncta gubernans et accumulans. Quid ergo michi invidetis. Cur ita michi detrahitis quod in sabbato salutem hominis operatus sum. qui innata divinitatis cum deo patre cottidie omne humanum genus et totam mundi machinam postremo omnia visibilia et invisibilia quietus in memetipso manens operor. Sed illi invidia et malicia sua cecati tanti misterii profunditatem capere non valebant. atque ideo eius verba non intelligebant eum comprehendere et necare volebant. Unde sequitur Propterea magis querebant eum interficere quia non solum solvebat sabbatum sed et patrem suum dicebat deum. equalem se faciens deo. Hac de causa maxime indignabantur iudei. quia ihesus quem tantum putu hominem esse. putabant verum dei filium se credi volebat. nec adoptatum ut ceteros sanctos per graciam. sed equalem patri per omnia secundum naturam Hoc quidem ille de se volebat sentiri quod veracius erat. sed isti putabant eum velle se facere quod non esset. Merito quidem moverentur et irascerentur. si aliquis tantum homo. equalem se auderet dicere deo. De christo autem qui sic erat homo ut verus esset deus immerito indignabantur. quia carne inspicientes deum in ea latentem non agnoscebant Ergo christus equalem se faciebat deo patri non secundum formam assumpta forma servi. sed secundum formam dei non propter id quod verbum caro factum et habitavit in nobis. sed propter id quod in principio erat verbum. et verbum erat apud deum. et deus erat verbum. Respondit itaque ihesus et dixit eis. Non potest filius a se facere quicquam nisi quod viderit patrem facientem. Ideo enim dictum est quod facit aliquid filius a se. quia non est a se. Et ideo quicquid facit. patrem videt facientem. quia videt patrem faciendi se habere potenciam a quo se videt consistendi habere naturam. Apud homines solet filius patrem artificem operantem intueri. et sic processu temporis eadem facere. que quondam patrem viderat facientem. Non ita de deo patre et filio intelligendum. Neque enim alia operatur pater. que videns filius ad earum rerum similitudinem alias res operatur. sed ipsa que operatur pater operatur et filius.

Unde sequitur. Quecumque enim ille fecerit. hec et filius similiter facit. Non enim cum pater fecerit. filius alia similiter facit. Sed quecumque ille facit hec ipsa similiter filius facit. Filius enim facit quecumque operatur pater. atque ideo non alia facit pater. alia filius. sed eadem opera sunt simul patris et filii. Quia enim est una patris et filii substancia una quoque est operacio. una voluntas eadem et potestas. Removeamus ergo nos ab omni carneo intellectu. Non enim ita accipienda sunt hec verba quibus dicitur. non posse filium quicquam facere nisi quod viderit patrem facientem. tamquam alius sit ostendens. alius videns. quia deus non corporalibus motibus videt. sed visus eius in virtute sua est. Idem est enim videre quod esse. Videre ergo filio est opera patris cognoscere. omnia cum patre operari. Pater diligit filium. et omnia demonstrat ei. que ipse facit. Deus pater diligit filium. sicut unigenitum. coeternum et consubstancialem sibi. Et omnia inquit demonstrat ei que ipse facit

Hoc est omnia facit per filium que facit. Demonstrare enim patrem filio, nichil est aliud quam facere cuncta per filium. Sequitur adhuc: et maiora ei monstrabit opera, ut vos miremini. Que autem erant alia opera maiora, que homines mirarentur, aperit cum subdit: Sicut enim pater suscitat mortuos et vivificat, sic et filius quos vult vivificat. Sanaverat quippe corporaliter paraliticum triginta octo annorum uiro, sed adhuc dicit patrem sibi maiora et magis admiranda monstraturum, utique resuscitacionem mortuorum. Maius namque opus est mortuos suscitare quam languidos sanare. Sic ergo inquit pater suscitat mortuos et vivificat, sic et filius quos vult vivificat. Non tamen alios suscitat pater, alios filius, sed ipsos suscitat pater quos et filius, quoniam alia nec aliter facit pater quam filius, sed ipsa similiter facit filius quam pater. Et ad hoc insinuandum ait: sic et filius quos vult vivificat. Per hoc enim aperte indicat quia tantum vult filius quantum pater, sicut tantum potest filius quantum potest pater. Hec ergo sunt opera maiora que pater filio ostensurus est, id est resurrectio omnium mortuorum, quam per filium deus in novissimo facturus est. Ad id pertinet quod sequitur: Pater non iudicat quemquam, sed iudicium omne dedit filio, ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem. Iam alio loco dictum est in iudicio solius filii humanitati uidendam. Pater ergo non iudicat quemquam, quia patris persona in iudicio non videbitur, sed solus filius ibi apparebit in ea forma servi in qua iudicatus est iniuste, ut iudicet vivos et mortuos iuste. Et hoc quare? Ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem. Sicut enim unum sunt pater et filius, ita in uno modo equaliter sunt honorandi. Quid autem est honorare patrem nisi credere quia genuit filium equalem sibi? Qui ita honorat patrem, honorat et filium, qui credit patri similem et sempiternum. At qui credit filium minorem patre, inhonorat filium. Sed qui non honorificat filium non honorificat patrem. Hoc faciunt arriani, qui dicunt deum minorem sibi filium genuisse. Quibus respondendum est: quia si deus pater equalem sibi filium non genuit, aut noluit aut non potuit. Si non potuit, potestate deficit, ac per hoc non omnia potuit. Si noluit, quod dictu nefas est, invidit. Ista sentientes quibus non videat eos deo patri contumeliam facere iniuria filii? Sibi enim tollunt patris honorem ubi fatentur filium patre minorem. Ergo hono rificent filium sicut volunt honorificare patrem. Hoc est equalia senciant, id est fateantur de patre et filio. Amen amen dico vobis quia qui verbum meum audit et credit ei qui misit me habet vitam eternam. Et in iudicium non venit sed transiet a morte ad vitam. Notanda sunt diligentissime verba domini que divina sunt et plena misterii. Ait enim: Qui verbum meum audit, et non dixit credit mihi, sed credit ei qui misit me, ut ostenderet verbum patris esse in se, immo se esse verbum patris. Et quod dixit verbum meum audit, tale est ac si diceret cuius hic me credit. Audire enim est verbum eius credere meum. Qui ergo audiens verbum filii credit patri, propter hoc credit et filio qui est verbum patris, et hic habet vitam eternam, hoc est cognoscit deum patrem et filium unum esse deum, una vita, una bonitatem, una insuper deitate. Vita enim eterna est cognoscere deum, sicut alibi ipse dicit: Hoc est vita eterna ut cognoscant te solum verum deum et quem misisti Ihesum Christum. Et in iudicium non venit, subaudiendum dampnationis. Venient fideles et sancti in iudicio cum domino, non ut condempnentur, sed ut illa desiderabili atque exoptanda voce letificentur: venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Unde ad hoc subdit: sed transiet a morte in vitam. Hoc tamen includit de resurrectione que nunc agitur circa accipit. Omnes enim homines in morte fuimus infidelitatis, sed credentes transivimus ad vitam fidei. Eramus in morte iniquitatis, transitu facti sumus ad vitam iusticie. Qui ergo istius hic resurrectionis est particeps, ille feliciter in illa ultima transiet a morte in vitam, a corrupcione ad incorrupcionem. De qua prima resurrectione ait Iohannes dicens: Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima. Quia dominus plenius ac lucidius nobis aperire subiungit: Amen amen dico vobis quia venit hora et nunc est quando mortui audient vocem filii dei et qui audierint vivent. Hora resurrectionis huius prime in presenti seculo est et non omnium est, sed tantum pro. Mortui enim voce filii dei audiunt quando predicat redemptoris incarnacio, et audientes credunt eum pro sua salute servi formam suscepisse, sed semper tamen forma dei equalem deo patri mansisse. Quicumque audierint, id est quicumque crediderint, vivent in fide filii dei. Sicut enim pater vitam habet in semetipso sic dedit et filio vitam habere in semet ipso. Pater habet vitam, habet in semetipso quia ipse est vita qui ex se genuit filium vitam. Quod ergo dicit: sic dedit et filio vitam habere in semet ipso, tale est ac si dicat: genuit filium vitam habentem in semetipso. Dedisse enim filio vitam genuisse est filium qui sicut pater et ipse in semet ipso habet vitam. Et dedit ei potestatem iudicium facere quia filius hominis est. Hanc potestatem faciendi iudicium secundum humanitatem accepit, quia semper secundum divinitatem cum patre habuit. Quod aptissime ostendit, quia cum dixisset: potestatem dedit ei et iudicium facere, addidit: quia filius hominis est. Nam quia filius dei est non hanc accepit sed ab eterno possedit. Filius ergo hominis potestatem iudicandi accepit ut in iudicio videatur ab omnibus bonis et malis, iustis et iniustis. Nam pro eo quod filius dei est non nisi sanctis et electis post iudicium apparebit, secundum quod dilectori suo se manifestandum promittit dicens: Ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum. Nolite mirari hoc. Fortassis mirum videbatur audientibus quod dicebat sibi datam iudicandi potestatem quia filius hominis est, cum magis conveniens esset ut diceret ideo eum illam accepisse potestatem quia dei filius est. Ergo hoc est quod dicit: nolite mirari hoc, si secundum formam servi accepi a patre hanc potestatem, quia oportet ut iudicem me vivorum et mortuorum omnes videant, equi et iniqui, probi et reprobi. Nam secundum quod dei filius sum et equalis patri videre me iniqui non possunt. Nolite ergo inquit mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii dei. Ad hoc ergo oportebat eum accipere illam iudicandi potestatem secundum quod est filius hominis, quia venit hora, videlicet extremi iudicii, scilicet tempus quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii dei. Vocem filii dei preceptum dicit et iussionem, ad quam per angelicum ministerium mortui omnes qui in sepulchris sunt surgent. Sicut enim apostolus ait: in iussu et in voce archangeli et in tuba dei omnes mortui sunt excitandi. Denique legitur in libro Esdre quod archangelus iussu dei omnes mortuos hac voce sit excitaturus: Vos mortui qui iacetis in sepulchris surgite et occurrite salvatori vestro. Ad hanc vocem iussionis filii dei surgent omnes, set alii ad vitam eternam, alii ad supplicium eternum. Omnes ergo et remunerandi feliciter et puniendi visuri sunt filium hominis, quem deus pater constituit et iudicem hominum. Duabus igitur resurrectionibus ex hac lectione nobis dominus demonstrat unam animarum, alteram corporum. Est enim animarum resurrectio quae tantum electorum est, qua a peccatis ad ~~mr~~ virtutes resurgimus, de qua supra dictum est: Venit hora et nunc est quando mortui audient vocem filii dei, et qui audierint vivent. Altera corporum resurrectio generaliter in fine mundi implenda est, de qua nunc dixit: Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii dei. Qui ergo in prima, quae animarum est, resurgent ad vitam, in secunda, quae corporum est, resurgunt ad gloriam. Utramque enim in nobis operatur Christus, quo qui hic resurgit in eo ibi resurget perpetuo. Sane distinctio valde necessaria est inter hoc quod supra dicitur: Venit hora et nunc est quando mortui audient vocem filii dei, et hoc quod nunc dicitur: Venit hora quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii dei. Ibi enim audient vocem filii dei significat obediant praeceptis filii dei et resurgent ad vitam. Hic vero audient vocem filii dei significat resurgent per iussionem filii dei, quod sicut supra diximus angelico ministerio implendum est. Cum haec ita sint, nullus nobis ignaviae excusationis relinquitur locus. Quis enim nostrum ignorat novissimam esse saeculi horam et iam diem iudicii imminere? Ecce transit omne quod temporaliter agimus; cottidie momentis singulis ad illam quae finem nescit appropinquamus. Nam et si nemo novit quando dies iudicii venturus sit, cottidie tamen singuli de corpore subtrahuntur, iudicio sistendi sunt. Cum enim miseri rebus caducis et terrenis intendimus, mansura et caelestia non curamus. Mors compulso quasi fur veniens animam nescientem corpore inde aufert, sicque rapimur ad iudicium rei et imparati, nichil sumptuum, hoc est bonorum operum, nobiscum portantes. Sed interim iudex singulorum acta considerans sustinet retractantes et ad penitenciam expectans, nolens quemquam punire. Nos vero eius bonitate et longanimitate in superbia abutimur et sic securi vivimus tamquam scelera nostra deus aut non videat aut visa negligat aut misericorditer ignoscat. Dum igitur spatium habemus, dum licet, praeveniamus districtionis iudicis iram, et sic defleamus mala quae gessimus ut deflenda iterum non admittamus, quatenus in iudicio non cum impiis dampnemur, sed cum sanctis omnibus a iusto et pio iudice coronemur, qui vivit et regnat deus in

Feria sexta

secula seculorum Amen //

In illo tempore Erat quidam languens Lazarus a Bethania de castello Marie et Marthe sororis eius. Et reliqua.

Inter omnia miracula que dominus Ihesus ut suam panderet divinitatem operatus est supereminet hoc et quasi quendam obtinet principatum quod circa Lazarum fecit. Et quamvis singula opera eius admiratione dignissima. Quis enim non venerabiliter admiretur quod claudi rectis gressibus incesserunt, quod mutis linguarum claustra soluta sunt, quod cecorum diu clausa lumina tactu sacre manus eius reserata sunt. Quis hec et plura alia considerans non divina potencia stupefactus admiretur. Sed hec omnia parva ad ingentem Christi maiestatem videbantur nisi amicus eius Lazarus moreretur. Quem idcirco mori permisit ut eum novo et omnibus seculis admirando ordine suscitando se sentire mortis esse dominum declararet. Accessit etiam ad singularem dignitatem miraculi specialis meritum dignissimi descriptoris. Nullus quippe alius evangelistarum hoc descripsit. Soli dilecto domini Iohanni reservatum est. Conveniebat enim res tam mira et tam egregia nullum alium quam dilectissimum Christo virginem habere debuit relatorem. Verum quoniam hec lectio ex numerositate sui prolixa satis clara est, et per singula expositione non eget, capitulatim magis quam verbatim ea explananda suscepimus, ut ad ea que magis necessaria sunt veniamus. Denique superius legitur quod cum esset dominus in templo et in porticu qui Salomonis appellatur deambularet, non ferentes iudei verba divinitatis eius sustulerunt lapides ut lapidarent eum. Qui vero inter manus lapidare se volencium illesus exivit de templo et abiit trans Iordanem ubi primus fuerat Iohannes baptizans. Cum ergo ibi esset infirmabatur Lazarus in Bethania quod erat castellum Marie et Marthe prope Ierosolimis. Maria autem erat que unxit dominum unguento et extersit capillis suis pedes eius, quoniam in temporibus pluribus erant huius nominis mulieres, ut discerneretur ex nomine ostenditur notissima actione. Ipsa enim est Maria que quondam ut idem evangelista narravit, sepius peccatrix veniens pedes domini unguento perunxit, lacrimis rigavit, capillis detersit, sicque multorum criminum veniam a domino promeruit. Miserunt ergo ad illum quo absens erat trans Iordanem nunciantes quod frater illarum Lazarus infirmaretur, ut tam sibi quam fratri succurreret. istas dolores illum egritudine liberaret. Sed videamus quid nunciantes dixerunt. Domine, ecce quem amas infirmatur. Non dixerunt veni ut languentem sanes. non hoc certe ausi sunt dicere. Sufficiebat illis si tantum nosset quod infirmaretur. Sciebant enim quod non desereret quem amabat. Ecce inquiunt quem amas infirmatur. Tamquam dicerent Satis est ut hoc domine noveris. non opus est ut ad nos veniens fatigeris. Hec prex. et hic [illegible] fiet. Audiens autem Ihesus dixit Infirmitas hec non est ad mortem. sed pro gloria dei ut glorificetur filius dei per eam. Quare domine dicis ad mortem non est, cum Lazarus inevitabiliter sit moriturus. Noverat et hoc dominus. et ut sic fieret ipse voluerat. sed post mortem eum suscitare decreverat. Quod ergo respondit infirmitas hec non est ad mortem tale est ac si diceretur ~~mors~~ infirmitas hec non est ad mortem. non enim moritur ut sicut ceteri homines mortui a morte teneatur. sed ut mirabiliter resuscitetur pro gloria dei ut filius dei glorificetur per eam. subaudiendum infirmitatem. Hec autem glorificacio non ipsum auxit qui summe perfectus est et perfici non novit. sed nobis profuit. quatinus per hoc tantum miraculum in eum crederemus. et eterna anime morte evaderemus. Sed videamus diligencius quid dixerit. Ait enim pro gloria dei. Et inde adiunxit. ut glorificetur filius dei per eam. Ergo filius dei deus. Hoc contra hereticos. qui dixerunt Christum non esse natura deum, sed gloria. Unde quidam illorum dixit Non invideo Christo facto deo. Hoc et ego fieri si volo possum. Diligebat autem Ihesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum. Ille languebat. ille dolebat. sed ipse in anima habebant quem diligebant a deo qui et dolencium est consolator. et languencium sanator. ipse etiam mortuorum resuscitator. Ut ergo audivit quia infirmabatur. tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Ille noluit tunc dominus venire. Distulit sanare ut posset mirabilius resuscitare. Mansit ergo illic donec quatriduum impleret. Deinde post hec dixit discipulis suis. Eamus in iudeam iterum. Territi sunt discipuli quod audiebant eum velle iterum in iudeam venire. Noverant conspiracionem immanissimam qua illum iudei persequebantur et morti tradere laborabant. Ideo dixerunt ei. Rabbi nunc querebant te iudei lapidare. et iterum vadis illuc. Respondit eis qui humana sibi timere non poterat. Nonne duodecim hore sunt diei. Si quis ambulaverit in die non offendit quia lucem huius mundi videt. Si autem ambulaverit in nocte offendit quia lux non est in eo. Audierant sancti discipuli dominum iudaeam iterum velle venire et formidantes ne eorum magister a iudaeis comprehenderetur quasi consilium ei dare et ab incepto revocare volebant. Non adhuc perfecte intelligebant dispensationem propter quam venerat. Sed hoc enim deus hominem induerat ut pro salute hominum moreretur. Sic et beatus petrus cum audisset dominum de sua passione loquentem quasi revocare eum volens dixit. Absit hoc a te domine non morieris. Cum ergo apostoli domino consulere et quasi a morte consilium dare vellent redarguit eos dicens. Nonne duodecim sunt horae diei. Se profecto diem appellavit qui est dies ex die lumen de lumine quemadmodum de se alibi dixit. Ego sum lux mundi. Et ut se diem ostenderet duodecim apostolos elegit de quibus nunc dicit. Nonne duodecim horae sunt diei. Ac si diceret Vos qui horae estis diei quare sic consilium dare vultis. Horae diem sequuntur et die moderante peraguntur. Sed forte dicet aliquis. Iudas ex duodecim unus erat. Numquid et ipse hora diei erat qui ipsam diem ad mortem trahebat. Sed quando haec dominus dicebat non ipsum iudam attendebat. Sed mathiam in locum illius eligebat. Denique iuda in locum sibi debitum abeunte electus est mathias apostolus. et sic perfectus mansit apostolicus numerus. Apostoli vero dies. et qui in hac die ambulaverit errare non poterit. Illi enim adhaeret qui dixit. Ego sum lux mundi. Qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitae. Ita qui sine hac luce est errare potest ambulare non potest. Haec ait et post haec dixit eis. Lazarus amicus noster dormit sed vado ut a somno excitem eum. Mortuus quidem erat sed Christo dormiebat. Nullus quippe tanta facilitate aliquem potest excitare a somno quanta Christus lazarum resuscitare valebat e tumulo. Denique et omnes defuncti si potentia dei consideretur a quo novissime sunt resuscitandi dormientes possunt vocari. Unde quod apostolus dicit. Nolo vos ignorare fratres de dormientibus. Et alio loco. Omnes quidem dormiemus sed non omnes immutabimur. Domine si dormit salvus erit. Sicut verba domini intellexerunt sic responderunt. Si dormit inquiunt salvus erit. Solet enim somnus infirmantibus indicium esse salutis. Et dominus quidem dixerat de morte eius. illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret

Tunc ergo dixit eis Iesus manifeste: Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos ut credatis, quia non eram ibi. Lazarus languens, non mortuus fuerat nunciatus. Sed quem latere potuisset eum cuius oculis omnia nuda et aperta sunt? Quomodo ignoraret mortem Lazari qui ipsum creaverat Lazarum? Gaudebat ergo propter discipulos, qui mirabantur sic eum cuncta nosse, et per hoc verum Deum certius ac manifestius eum esse credebant. Licet enim iam crederent, talis tamen erat illorum fides, quae adhuc per talia miracula aedificata cresceret. Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas ad condiscipulos: Eamus et nos et moriamur cum illo. Quibus verbis verum prodidit amantis affectum. Diligebant quippe apostoli incomparabiliter dominum, quia eorum vita ex illius praesentia pendebat, adeo ut aut cum eo vivere aut certe cum eo mori votum haberent. Eamus, inquit, et moriamur cum eo. Quia, inquit, videmus eum ad inimicos et ad mortem properare, neque eum a tali consilio valemus revocare, eamus et nos et cum eo moriamur, ne post eius necem destituti et inconsolati remaneamus. Venit itaque Iesus et invenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Sic ipse voluerat. Ad hoc enim antea venire distulerat, ut illud quatriduum impleretur et gloriosius resuscitaret.

Sed quoniam ea quae sunt ad litteram per se patent, ad indagandum mysterium accedamus. Significat ergo per hunc Lazarum peccator aliquis, qui non solum peccavit, verum etiam peccandi consuetudinem recepit. Sed fortassis aliquis tacitus dicat: Quomodo Lazarus typum peccatoris gerebat, qui sic a domino amabatur? Sed solent aliquando significationes rerum e contrario accipi. Denique David rex et propheta adulterium in Bethsabee uxore Uriae admisit, et ipsum fidelem et innocentem militem suum gladio filiorum Amon interfecit. In quo facto, si respiciatur historia, quis dubitat Uriam innocentem occisum merito iustitiae et innocentiae David adultero et homicidae praeferendum? Sed si archanum interroges mysterii, per Uriam diabolus, per David e contrario Christus intelligitur. Verum cum hoc sit, non idcirco merita David [illegible]. Et saepe invenitur nomen diabolicum terminum auro, ut nomen scriptum Christi splendidissimo atramento nigro tantum. Ergo per Lazarum, ut superius dictum est, peccator aliquis figuratur, Domino amabilis a Christo, quia Christus pro peccatoribus dignatus est sua exhibere praesentiam. Ipse enim dicit: Non veni vocare iustos sed peccatores. Quod dicitur quod defunctus per quatuor dies, quibus mortuus in sepulchro iacebat, omnis homo

mortuus nascitur cum originali peccato
Hinc apostolus dicit. quia per unum
hominem peccatum intravit in mundum
et per peccatum mors / Hec est prima
dies mortis. quam dedit origo pa-
ginis. Deinde crescendo adolescit
homo. venit ad annos racionis ca-
paces. incipit in se habere naturalem
legem. quam vocant naturalem hominis
ut quod sibi fieri nolunt. aliis non fa-
ciant. Sed et hanc transgrediuntur.
et qui pati furtum ~~facit~~ faciunt / Ecce
altera dies mortis / Accessit adhuc
lex data per moysen. precipit ibi non
occides. non mechaberis. non furtum
facies. Honora patrem tuum et matrem
Scripta est hec lex. scriptura quoque
contempnitur et fit iam quasi tercia
dies mortis / Post omnia venit xpc.
attulit evangelium. predicavit regnum
celorum malefacientibus ~~pena~~ in-
natus est gehenna. bene viventibus
vitam promisit sempiternam / Quid
plura / Etiam evangelium contempnitur
Et est hec quarta dies mortis /
Possunt et aliter hii quatuor dies
exponi. Per mortuum namque per lazarum
figurari peccatorem. qui iam mala pec-
candi consuetudine. et ~~operacione~~
desperacione sepultus est. Ad consue-
tudinem vero peccati. quarto quodam pro-
gressu pervenitur. Primo enim est titillacio
in corde. secundo consensus. tercio factum.
quarto consuetudo / Quidam enim
cum illicita cogitacione pulsantur.
ita eam a corde repellunt. ut penitus
nulla mali delectacione moveantur
Quosdam delectat quidem. sed non addu-
cuntur. ut consenciant. Ad delectacionem
accedit consensus. et sic in opus
erumpit. Iam factum in consuetudi-
nem vertitur. et implet illud mortis
quatriduum. et quasi quedam fit
desperacio ut dicatur. iam fetet. quatri-
duanus enim est / Martha ergo ut cog-
novit quia ihesus venit occurrit illi.
maria autem domi sedebat / Dicit
ergo martha ad ihesum Domine si fuisses
hic. frater meus non fuisset mortuus
Sed et nunc scio. quia quecunque poposce-
ris a deo. dabit tibi deus / Qua mo-
deratis verbis utitur. que tacita aperiret
dolet interitum fratris / Non enim dixit.
rogo te ut suscites eum. sed tantum scio quod
quecunque poposceris a deo. dabit tibi
deus / Tamquam diceret Certa quidem
sum quia potes. scio potencia vir-
tute indeficiente. sed si vis facis / Non
ergo presumo petere ut facias. quia
nescio si velis / Dicit illi ihesus re-
surget frater tuus / Dicit ei martha
Scio quia resurget in resurrectione
in novissimo die / Dominus quidem in
presenti fratris resurrectionem promittebat
sed martha de ea resurrectione
qua omnes homines resurrecturi sunt
eum dixisse putabat / Viderat,

certe crebro dominum mortuos suscitasse. Sed hoc tantum erat quantum in presencia causa est fidelis optare. De illa ergo resurrectione secura erat, de hac autem incerta manebat. Dicit ei Ihesus: Ego sum resurrectio et vita. Ac si diceret: Quare nunc dubitas fratrem posse resurgere, cum ego qui sum resurrectio et vita illum resurrecturum promitto. Per quem resurgent qui resurrecturi sunt et ceteri homines, per eum potest et modo resurgere. Ipse ergo est resurrectio et vita, quia per eum resurgimus a peccato ut vivamus iusticie. Qui credit in me eciam si mortuus fuerit vivet. Hoc est si mortuus fuerit carne vivet spiritu. Id est enim de mortuorum. De morte enim hic loquitur corporis. Quicumque enim in Christum credit et secundum quod credit vivit, eciam si carne moriatur universale cunctorum hominum debitum persolvendo, vivit tamen in anima Christo qui vita eius est inherendo. Et omnis inquit qui vivit, subaudiendum in carne, et credit in me, et si mortuus fuerit ad tempus morte corporis, non morietur in eternum propter vitam spiritus et immortalitatem resurrectionis. Credis hoc? Sciebat hoc quem non latere poterat quod crederet, sed confessionem qua salvaretur querebat. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem. Cum autem credidit eum filium Dei, credidit et ipsam vitam et resurrectionem, quodque omnis qui in eum crederet in eternum non moreretur. Ista super dubius utrum hoc crederet intro gaudet. Et cum hec dixisset abiit et vocavit Mariam sororem suam silencio dicens: Magister adest et vocat te. Silencium hic suppressa voce dixit significat, cum silenter quia dixit: magister adest et vocat te. Illa ut audivit surgit cito et venit ad eum, et cetera usque dicit ad monumentum ut ploret ibi. Putantes Iudei qui ad Mariam consolandam convenerant quod ad fratris tumulum festinaret lacrimis solacium quesitura et dolori suo fletibus satis factura, secuti sunt eam. Divina id agente providencia ut plures tam preclari miraculi quadriduani mortui resurgentis cernerent, sicque in Christum crederent. Maria ergo cum venisset ubi erat Ihesus, videns eum cecidit ad pedes eius dicens: Domine si hic fuisses frater meus non fuisset mortuus. Ac si quereret dicens: Dum nobiscum presens fuisti non mors, non infirmitas aliqua nobis appropinquare ausa est, apud quas vita hospitari novat. Sed ubi abscessisti adfuit mors in Iudea que fratrem nostrum te adhuc posito in seculo acerbo funere rapuit. Quod si tu affuisses amicus tuus Lazarus mori non potuisset. Ihesus ergo ut vidit eam plorantem et iudeos qui cum ea venerant plorantes, fremuit spiritu et turbavit semetipsum et dixit: Ubi posuistis eum? O fremitus pietatis, o turbacio turbatorum sublatura mesticiam et eterna progatura leticiam. Turbavit ergo semetipsum dominus potestate, quia nullus alius poterat eum turbare. Turbatus est quia voluit, sicut mortuus est quia ipse mori et ad se venire promisit. Sed magnum aliquid hac sua nobis innuit perturbacione. Diximus superius per lazarum quatriduanum peccatorem significari desperatum et longa peccati consuetudine quasi mole sepulchri depressum ac mala opinione fetentem et tabidum. Suscitaturus eum Christus fremuit et turbavit se, ut ostendat eum qui talis est perturbari et ingemiscere atque intimo cordis rugitu fremere debere, attendere que fecit et sic secum agere: Quid michi misero contigit? Dimissa erant michi in baptismo cuncta peccata. Sed ecce post secundum ~~lazarum~~ lavacrum iterum sordidatus sum. Post medicinam ~~grave~~ gravius inlutatus. Peccavi graviter nec unquam peccatis meis terminum ponere volui, et semper me dei clemencia ad penitenciam expectavit et peccantem statim punire noluit. Cum ego miserrimus et eternis cruciatibus dignus eius mansuetissima lenitate semper novus et subinde recrudescentibus sceleribus irritare non timui. Quando ista peccator secum plangit, iam fremit et turbatur Christus in eo. Ad hoc enim tunc fremuit ut doceret peccatorem fremere et peccata sua accusare debere, si vult ad vitam anime redire. Ubi inquit posuistis eum? Numquid ignorabat ubi positus esset quem valebat resuscitare? Sed interrogat ut ostendat eum solum se cognoscere que iusta et sancta sunt, peccatorem non ignorat quia reprobat. Unde Ade post peccatum dicit: Ubi es? Et reprobis in iudicio dicturus est: Nescio vos unde sitis. Quid est enim dicere nescio vos, nisi non vos in luce iusticie cognosco. Dicunt ei: Domine veni et vide. Hoc est miserere. Videre namque eius misereri est. Et lacrimatus est Ihesus. Lacrimatus est quia fons pietatis erat. Sed ille lacrime inexplebile gaudium erant parituri. Hinc pulchre Sedulius: Lacrimis implevit amicum, maiestate deum. Flebat enim eum per partem humanitatis quem resuscitare poterat per potenciam divinitatis. Lacrimatus est eciam dominus ea de causa qua superius fremuit et turbatus est, ut peccatores doceret fletibus et lacrimis indigere pro suis

Dixerunt ergo iudei: Ecce quomodo eum amabat. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic qui aperuit oculos ceci facere ut et hic non moreretur? Poterat hoc certe dominus, sed permisit ut lazarus moreretur quatenus maiore miraculo suscitaretur. Ihesus autem iterum fremens in semetipso venit ad monumentum. Erat autem spelunca et lapis superpositus erat ei. Per lapidem quo mortuus premebatur lex figuratur, qua peccatores rei condempnantur. Et bene lex per lapidem accipitur, quia in lapideis tabulis scripta fuit. Mortuus ergo sub lapide, reus est sub lege. Nam hii qui bene vivunt sub lege non sunt, quia iusto lex non est posita sed iniustis et peccatoribus. Hunc lapidem iussit dominus removeri, quia dominus gratiam sancti ewangelii iussit per totum orbem predicari. Dicit ei martha soror eius qui mortuus erat: Domine iam fetet, quadriduanus enim est. Iam quasi desperabat, potiusque timebat remoto lapide fetorem excitari quam fratrem posse resuscitari. Dicit ei ihesus: Nonne dixi tibi quia si credideris videbis gloriam dei? Cum videlicet quadriduanum et fetentem suscitavero. Videt cum desperatus aliquis de sepulchro peccatorum eripitur, dei potentia ab intuentibus predicatur, quia ubi abundavit iniquitas superabundat gratia. Tulerunt ergo lapidem. Ihesus autem elevatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Quibus verbis quid aliud quam gloriam dei patris in hoc sicut et in aliis operibus requirebat? Non enim quia per humanitatem minor erat patre, ab illo lazari querebat resuscitationem. Neque absque exauditu dicebat, et hoc ipsum circumstanti turbe, ut eum vel sic crederet dei filium et ab eo missum, quem propri cari filii compellabat affectus. Iam inferi turbabantur, iam sub pedibus domini prostratus patebat infernus. Omnes mortui expectabant nomina sua vocari. Clamabat ergo ihesus voce magna dicens: Lazare veni foras. Unde nominatim vocato ceteri intercepti sunt. Quod quanta in huius mortui resuscitatione facta esse dicantur. Fremuit dominus, turbatus est, voce magna clamavit, quia videlicet difficile et cum clamore a peccati morte resurgit quem moles male consuetudinis premit. Et statim prodiit qui fuerat mortuus ligatus manus et pedes institis, quod est fasciolis. Potuit quidem dominus plus mortuum quam vivum valuit resuscitare, si voluit sicut per gratiam sacramenti. Ad magnam enim vo dum surgit mortuus. quando magna dei gratia resipiscit peccator. Prodit de monumento quando confitetur peccata sua. Sed tamen adhuc ligatus est. adhuc reus. nec suis viribus absolvi potest. Precipit ergo dominus discipulis ut eum solvant et abire sinant. quia per eos et reliquis ministris sancte ecclesie successoribus eorum data est potestas dimittendi peccata. Sicut enim. Quecumque solveritis super terram erunt soluta in celo. Simul etiam commendata est hoc loco unitas christi et ecclesie. Quia enim christus caput est. et ecclesia corpus est eius. christus suscitat. discipuli solvunt. ut liquido monstretur neminem sine unitate catholice fidei posse a peccatorum morte suscitari. Sane non est omittendum quod in sancto evangelio tres tantum mortuos resuscitasse dominus legimus. Plures quidem resuscitasse non dubitatur. quoniam quidem beatus iohannes dicit. multa alia signa fecit ihesus in conspectu discipulorum suorum que non sunt scripta in libro hoc. Sed tres tantum ~~resuscitavit~~ referuntur certi causa misterii. Denique resuscitavit filiam archisinagogi ~~intra~~ adhuc intra domesticos parietes constitutam. nec permisit secum quemquam intrare nisi petrum et iacobum et iohannem et patrem et matrem puelle. Suscitavit etiam filium vidue mulieris iam extra portam sue civitatis delatum. multis circumpositis et cernentibus. Suscitavit preterea lazarum iam sepultum iam fetidum. Ista tria genera mortuorum. significant tria genera hominum peccatorum. quos et hodie suscitat christus. Nam per filiam archisinagogi que mortua domi paucis videntibus resuscitata est. designantur hii qui peccatum mentibus in conscientia habent clausum. et nec dum ad opus eruperunt. Verbi gratia. Commotus est aliquis mala concupiscentia. deliberat si adsit facultas implere quod illicite concupivit. iam mortuus est. sed intra domum clausus est. Dicit enim dominus. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam. iam mechatus est eam in corde suo. Nec dum corpore adeam accessit. sed corde consensit. mortuus iam est. sed nondum elatus est. Hic si aliquando divina inspiratione reprehenderit pravam concupiscentiam. priusquam nequam consensum. reviviscit ad salutem in secreto cogitationis. Sunt alii qui post consensum ad perpetrandum facinus exeunt. et quasi mortuum de latebris animi proferunt. ut quod latebat in secreto appareat in publico. Sed hii tales plerumque divinitus admoniti convertuntur et ad vitam et ad vitam anime resuscitantur. Sunt preterea nonnulli qui faciendo quod malum est etiam se mala consuetudine implicant adeo ut ipsa mali consuetudo non permittat eos intelligere malum esse quod faciunt. Ymo magis defendunt malum quod agunt. irascuntur cum reprehenduntur. Hii talibus iam quasi sepulti et iniecti mole, hoc est pondere mali consuetudinis obruti sunt. Illos quoque dignatur venire dominus vultu misericordie sue instinctu, si tamen habuerint patronos, id est spirituales anime virtutes, quarum interventu possunt revocari ad vitam. Verum quasi quandam ostendit dominus difficultatem, cum fremit spiritu, cum turbat se ipsum, cum clamat voce maxima, ut ostendat magne [illegible] clamore opus esse adversus eum qui peccandi consuetudine duruerit. Non ergo de hiis desperandum est. Ad vocem namque domini contremuit infernus, surrexit quadriduanus mortuus, liberatus est peccator etiam a consuetudine committendi reatus. Sed prius intrinsecus per se ipsum vivificat, postea per sacerdotum ministerium absolvit. Nullus quippe peccator absolvendus est antequam per dignam penitenciam correctus et intrinsecus appareat vivificatus. Multi autem Iudeorum qui venerant ad Mariam et Martham et viderant que fecerat crediderunt in eum. Facto tam glorioso et tam celebri predicando miraculo, non omnes sed multi Iudeorum credidisse dicuntur. Quo loco durissima infidelitas et inconvertibilis in malicia permanencia notata est. Et revera tantum erat peccatum illorum ut aliter non possent digni fide Christi suscipere nisi prius filium dei interficerent. Et psalmista: Imple facies eorum ignominia et querent nomen tuum domine. Primum confusione et ignominia repleti sunt, cum post Christi ascensionem audierunt apostolos eius resurrectionem predicantes, ceperunt erubescere et querendo quomodo salutis in nomine salvatoris admisissent. Sic quod nomen eius quesierunt. Compuncti timore dixerunt apostolis: Quid faciemus, viri fratres? Indicate nobis. Quibus beatus Petrus: Penitenciam inquit agite et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum. Sic ante secula decreverat ut sua morte illum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, destrueret, Christus quos mortis sue misterio [illegible] tunc sibi subiugaret. Quocirca tu insigni mortis triumphatori glorie dignissima exultacione psallamus illi diebus illi noctibus meritis laudum preconiis extollamus. et precipue misericordiam illius imploremus quatinus nos ita sub gracia sua faciat obedire mandatis quod nullo in nobis regnante peccato, ipsi mente et desiderio adherere. atque ad gaudium beate visionis mereamur feliciter pervenire Amen

In illo tempore. Dicebat Ihesus turbis iudeorum / Ego sum lux mundi / Et reliqua /

Postquam dominus et redemptor noster mulierem in adulterio deprehensam a sevicia iudeorum se lapidare volencium eripuit et reatum adulterii misericordissime absoluit ne alicui fortassis in dubium veniret utrum vere is quem verum hominem videbat posset peccata dimittere digna aptissime quod sit ex divinitatis potencia demonstrare / ait Ego sum lux mundi lux quippe erat incomprehensibilis et incircumscripta divinitas que sub velamine assumpte carnis latebat cuius auctoritate huic mulieri et cuicunque volebat peccata dimittebat. Hec est illa vera lux que illuminat omnem hominem venientem in mundum dei videlicet sapiencia que de illo lumine eterno et indeficienti processit. Cuius splendorem humana fragilitas aliter sufferre non potuisset nisi se in maiestatis nube carnis circumdedisset per quam veluti per lucidissimum speculum divinitatis huius luminis claritas humanis mentibus innotesceret. ergo purganda est interioris hominis acies et ab omni viciorum labe quasi humore noxio inmunis custodienda ut veri huius luminis aspectu digna reddatur. Qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vite. Nos si verbis aliis manifestius dicam / Qui in presenti moribus ipsius obsequitur et meritis inquantum sufficit exempla imitatur in futuro non timebit tenebras eterne dampnacionis. sed lumine vite eterne perfruetur ubi sublato metu mortis de sola dabitur perennitate gaudere / Nec sunt metuende tenebre. omnium noctium tetriores. non exteriorum oculorum quibus alba et nigra videmus. sed interiorum quibus iusta et iniusta discernimus. quibus non corporeas et visibiles formas aspicimus sed ipsam veritatem intelligibilem contemplamur / Responderunt ei iudei Tu de teipso testimonium perhibes testimonium tuum non est verum. Hic ista respondent tamquam solus ipse sibi testimonium perhiberet atque verum non esset eius testimonium / cum constet quia antequam veniret dominus et per carnem visibilis appareret / multos testes premisit. et quasi lucernas sponso appropinquanti accendit. qui eius nativitati passioni resurrectioni necnon et ascensioni predixerunt. De quibus precipuus et maximus fuit Johannes baptista. cuius magnitudinem attestatur ipse salvator dicens. Inter natos mulierum non surrexit maior Johanne baptista. Quem alibi idem dominus lucernam vocavit dicens. Ille erat lucerna ardens et lucens. Hic ergo testimonium domino nostro ihesu christo perhibens dixit. Ego vos baptizo. sed ille qui post me venit. fortior me est. cuius non sum dignus corrigiam calciamenti solvere. Sed iudei ista non attendentes. et horum facti inmemores. quasi solus sibi ille testimonium daret dicebant. Tu de teipso testimonium perhibes. testimonium tuum non est verum. Sed audiamus quid eis dominus responderit. Et si ego testimonium perhibeo de meipso. testimonium meum verum est. quia scio unde veni. et quo vado. Quibus verbis ~~est~~ se simul et deum patrem ostendit cui omnem gloriam dabat unigenitus filius. Si inquit ego testimonium perhibeo de me. verum est meum testimonium. quod patris testimonio confirmatur. Scio enim unde venio quia ab eo missus sum. Et quo vado. quia peracto mysterio mee incarnationis revertor ad patrem. Non autem quando ad nos venit patrem deseruit. nec recursu quando ad patrem rediit. terras implente omnia deitate reliquit. Neque enim tale lumen est christus quod locis temporibusque comprehendatur. sicut sol iste corporeus. qui non potest accedere ad occidentem. nisi recedat ab oriente. Non ita de illo vero lumine quod est christus sentiendum est. quod ubique totum est quod ubique ineffabiliter lucet. Ipse enim alibi dicit. Deum nemo vidit unquam. unigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarravit. In terris loquebatur. et apud patrem se esse dicebat. et post ascensionem ad celos recessurus demum promisit fidelibus dicens. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Verum ergo testimonium erat quod sibi perhibebat. quia a patre missus eius testimonium habebat. atque hoc impleto ad quem venerat redibat. Vos secundum carnem iudicatis. ego non iudico quemquam. Hoc de primo eius adventu accipi debet. Duo siquidem sunt domini adventus. Primus misericordie. secundus iudicii. Ille factus est. iste in fine seculi futurus est. Si enim primo dominus iudicare venisset. omnes puniendos repperisset. Prius ergo proroganda erat misericordia. postea deinde iudicium. quia et psalmista dicit. Misericordiam et iudicium cantabo tibi domine. Prius ~~iudicium~~ misericordiam posuit. postea iudicium se dixit domino cantaturum. hanc misericordiam factus est pro hominibus homo, opprobria, irrisiones, sputa, flagella, postremo ipsam crucem sustinuit ut hominem perditum salvaret. De hoc ergo primo adventu suo quo misericorditer venerat genus humanum redimere, dicit: Ego non iudico quemquam. Nam de secundo quo iudex venturus est subiungit: Et si iudico ego iudicium meum verum est. Unde autem verum esset iudicium eius aperit cum subdit: Quia solus non sum sed ego et qui misit me pater. Idem incarnari me constituit. Missio enim ista incarnacio est. Missus ergo filius a patre fuerat, sed a patre non recesserat. In mundum namque venit per humanitatem, remansit cum patre per eternam illi divinitatem. Inde ergo verum erat iudicium eius, quia ipse verus erat filius dei. Et in lege inquit vestra scriptum est quia duorum hominum testimonium verum est. In lege vestra dicit, in lege que vobis data est. Sic cottidie dicimus orantes: panem nostrum, id est que nobis dari exposcimus. Querendum nobis quomodo duorum hominum testimonium verum sit. Numquid illi duo falsi testes non fuerunt qui in passione domini falsum testimonium protulerunt? Aut numquid illi duo presbiteri falsi testes non fuerunt qui in libro danielis contra susannam castissimam falsi criminis testimonium protulerunt? Sed hoc modo in lege eius dicitur: In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, trinitatis tamen datum est misterium, que eciam susanne castitati intus in consciencia suo testimonio suffragabatur cum a duobus presbiteris falso accusaretur. Et est sensus: Si duorum hominum testimonium verum esse vestra lex approbat, qui non numquam falsum dicere possunt, et si non studio menciendi tamen errore decepti, dum putant vera esse que falsa sunt, si ergo horum testimonium improbare vel reicere non audetis, qua racione meum et dei patris et spiritus sancti testimonium, quo summa veritatis stabilitum est, verum non esse dicere presumitis? Recipite potius horum testimonium ne senciatis iudicium. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso. Ipse de se ipso testimonium perhibet nec requirit alium testem quam se ipsum, quia omnia novit eciam antequam fiant, et quidquid ex quo fonte procedat evidentissime considerat. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius, nec ab aliquo requirit qualis sit vita singulorum, qui iudex est omnium hominum, quique redditurus est unicuique secundum opera eius. Sequitur eciam: Et testimonium perhibet de me qui misit me pater. Non solus inquit de me testimonium perhibeo, quia pater qui misit me ipse testimonium reddet incerti. Sed iudei verba Christi carnaliter intellexerunt accipientes patrem Christi carnaliter intellexerunt. Ideoque dixerunt ei: Ubi est pater tuus? Videbant namque in aperto hominem, sed non intelligebant in occulto deum. Ubi est, inquiunt, pater tuus? Audivimus a te dicente quod non esses solus, sed qui te misit pater tecum esset. Te autem solum videmus, patrem tecum videre non possumus. Ostende ergo nobis patrem tuum. Et dominus: Neque me scitis neque patrem meum. Ac si diceret: Dicitis ut patrem vobis ostendam, quasi iam me sciatis. Sed adhuc neque me scitis neque patrem meum. Nam quia me ignoratis, idcirco patrem meum scire non potestis. Prius est ut me cognoscatis, et tunc ad patris mei noticiam pervenire poteritis. Si enim me sciretis, forsitan et patrem meum sciretis. Una enim est cognicio patris et filii, quorum una est substancia, nec alter sine altero cognosci potest. Noverant ergo Christum secundum carnem, secundum quam alibi eis dixit: Et me scitis et unde sim scitis. Sed ignorabant eius divinitatem. Dicit autem forsitan non dubitando, sed infidelitatem illorum increpando. Hoc enim adverbium cum ab homine dicitur dubitacionem significat, cum a deo cui nichil occultum esse potest increpacionem. Nam et apostolus cum dicat: Puto quod spiritum dei habeo, non se spiritum dei habere dubitabat, sed dubitantes et incredulos arguebat. Cum ergo dicit: Si me sciretis forsitan et patrem meum sciretis, increpat infideles qui nesciebant unam cognicionem esse patris et filii nec alterum sine altero posse cognosci. Unde alibi Philippo querenti ut eis ostenderet patrem respondit: Qui me videt videt et patrem meum. Quia enim unum sunt pater et filius, idcirco eorum una est visio, una sciencia. Hec verba locutus est ihesus ~~locutus est ihs~~ in gazophilacio docens in templo. Gazophilacium locus erat in templo ubi thesauri condebantur. Gaza quippe lingua persarum divicie, philaxe grece dicitur servare. Gazophilacium ergo competenter vocatur quod ibi divicie servarentur. Magna pro constancia ingens fiducia loquentis domini demonstratur, qui in ipsis templi penetralibus coram scribis et phariseis inimicis suis divinitatis sue verba intrepidus loquebatur. Aptissime vero gazophilacia misteria designant scripturarum, que bene templo adherebant. Christus namque est templum cui adherent misteria legis et prophetarum et ad eum pertinent, atque in ipso implenda erant. Hec gazophilacia post eius resurrectionem aperuit

Dominica quinta que dicitur dominica passionis

erant ipso apostolis intelligenda tribuenti. et cuncta in se impleta monstranti. Unde evangelista dicit quod resurgens a mortuis aperuit illis sensum ut intelligerent omnia que de ipso scripta. Sed tunc dominus in gazophilacio locutus est. quia iudeis in parabolis non intelligentibus et non credentibus loquebatur. Et nemo apprehendit eum. quia nondum venerat hora eius. hora videlicet voluntatis et disposicionis ipsius. Sicut enim voluntate natus est. sic et voluntate passus est. quia si noluisset. numquam pateretur. Si autem non pateretur. numquam genus humanum redimeret. Si non redimeret nullus homo salvaretur. Ad hoc ergo deus homo factus est. ut ex infirmitate humanitatis redimeret. quos ex divinitatis potencia creavit. Unus ergo idemque est filius dei et filius hominis deus et dominus noster ihesus christus. non confusus nec vel divisus. perfectus deus. et perfectus homo. Cui de beneficiis eternis sit sempiterna graciarum actio. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat Amen

In illo tempore. Dicebat ihesus turbis iudeorum et principibus sacerdotum. Quis ex vobis arguet me de peccato. Et reliqua

Intelligencia presentis leccionis superioribus sancti ewangelii verbis racione copulatum. quod sicut precedens ewangelii sermo declarat. dominus ihesus christus iudeos frequenti et aspera invectione redarguens. ostenderat eos ex patre diabolo esse. et desideria patris sui omnimodis imitari velle. Dicens eis Si deus pater vester esset. diligeretis utique me. et cetera sequencia. que testatur illum improperasse iudeis. Convictis igitur confutatis illis subiunxit Quis ex vobis arguet me de peccato subauditur sicut vos arguo de peccato vestro. et de imitacione patris vestri di quem dicebant antiqui ostendi. Unde habetur in epistola pauli ad romanos. Incipit argumentum vel ostensio. Quis ex vobis arguet me de peccato. vel quis ex vobis ostendet me peccatorem esse. sicut ego ostendo vos peccatores esse et patrem vestrum diabolum. Hoc at in medio et dicat. De peccato enim dominum arguere non poterant. quia et originali et actuali peccato carebat. Originale quippe peccatum non habebat. quia sine concupiscencia carnis. de incorrupta virgine natus in hanc lucem exierat. Actuali nichilominus peccato caruit. quia in hoc mundo positus nichil quod deum offenderet. cogitando vel loquendo. seu operando patravit. Quo loco respondenda e manſuetudo redemptoris omnia peccata enim relaxare venerat. et tamen dicebat. Quis ex vobis arguet me de peccato. Non enim deſignatus ſe expiratione oſtendit ſe peccatorem non eſſe qui ipſis peccatoribus veniam peccata remittere. eoſque iuſtificare. Si veritatem dico. quare vos non creditis mihi. Veritatem illis ſemper proferebat. cum dicebat. Vos ex patre diabolo eſtis. Patrem enim habebat diabolum non natura ſed imitatione. Sicut enim ille primus homo homicida fuit. cum nefaria illuſione ductrice in anima perimit. ita et iſti homicide ipſi erant. qui totis conatibus de terra viventium eradere ſitiebat. Qui eſt ex deo verba dei audit. Omnes qui ibi aderant. utique et ex deo erant. et ex deo non erant. Natura ex deo. vicio non ex deo. Quod ergo dicit. qui eſt ex deo verba dei audit. ad eos pertinet quos ex parte iam preſciebat deo credituros et regeneracionis adoptione naſcituros. Unde et dicit. Propterea vos non auditis quia ex deo non eſtis. Dictum eſt eis qui precogniti erant quod non eſſent credituri. Moraliter unuſquiſque autem hec verba ad ſemet ipſum referens intelliget conſciencia ſua ſi verba dei in aure cordis percipit. et tunc intelliget utrum ex deo ſit. exempli cauſa. Veritas celeſtem patriam iubet deſiderari. carnis vicia conteri. mundi gloriam calcari. Hec huiuſmodi precepta veritatis. ſiquis in corde ſuo conclauſiſſe recolit. agnoſcere poteſt quia ex deo ſit. Reſponderunt iudei et dixerunt ei. Nonne bene dicimus nos quia ſamaritanus es tu. et demonium habes. Ex hiis verbis declaratur quod domino ihesu christo hoc frequenter dicere iudeos non pudebat. Sed queritur quid hec verba ſignificent. Samaritani gentes fuerunt olim a populo iſrahelitico diviſe. quippe que terram ſibi a deo repromiſſam. et civitates decem tribuum illis in captivitate ductis precepto regis aſſiriorum incolebant. Hyſtoria intelligentibus manifeſta eſt. quia regnante roboam filio ſalomonis receſſerunt decem tribus a domo david. eo quod noluit peticioni eorum adquieſcere. ut alleviaret iugum illorum quod adgravaverat ſalomon pater ipſius. Recedentes ergo ab eo. conſtituerunt ſibi regem iheroboam. qui dixit in corde ſuo. Si aſcenderit populus iſte in iherusalem ut offerat in domo domini ſacrificia more conſuetudinis et preceptum legis. convertetur cor populi huius ad dominum ſuum roboam regem iude. et interficient me et revertentur ad eum. Et excogitato conſilio. fecit duos vitulos aureos et dixit ad populum. Nolite ultra aſcendere in iherusalem ad adorandum dominum. Iſti ſunt dii tui israhel. qui te eduxerunt de terra egypti / Posuit quoque unum in bethel. alterum in dan. Constituit quoque diem sollempnem in similitudine sollempnitatis que celebrabatur in iuda. Cum ergo cepissent adorare vitulos. et servire baal et irritare dominum in operibus suis. iratus est dominus. et misit regem assiriorum qui transtulit filios israhel in assirios et in loco illorum collocavit alios populos ad excolendam terram. in sui similitudinem redigeret / Quos utique omnes iudei semper odio habuerunt. Qui ideo vocabantur samaritani. quia pro custodienda terra decem tribuum illic collocati fuissent / Samaritanus enim dicitur custos. Quod ergo iudei Christum samaritanum vocabant. pro summo convicio hoc ei intulisse credendi sunt. Et Et Cum enim prefatam gentem non solum convictu. sed et colloquio dignarentur. quecumque ~~turpid~~ turpitudinis obprobrio deturpare voluissent. samaritanum vocabant. quasi immundum. et a consortio aliorum penitus removendum. Sed dominus tanta contumelia accepta respondit Ego demonium non habeo. Duo quippe obprobria ei fuerant illata. Unum repulit / alterum tacendo consensit dicens. ego demonium non habeo. et non addidit samaritanus non sum. Samaritanus namque custos interpretatur. Et si se dominus samaritanum non esse dixisset. profecto custodem se humani generis esse negaret. De quo psalmista. Nisi dominus custodierit civitatem. Et sequitur / usque ca / Et iterum / Ecce non dormitabit neque dormiet. qui custodit israhel. Et cui propheta clamat. Custos quid de nocte / Custos / quid de nocte. Quod exemplum ut clarius ad Christum convenire monstretur. non incongruum esse credimus si sensum illius scripture elucidemus.

Vox magis est populi idumeorum in captivitate babilonica positorum. Qui cum populum israheliticum post lxx annos viderent ad propriam terram reversum. se autem minime captivitate laxari. in has voces flebilibus questionibus erumpebant ut deo dicerent / Custos custos / Et est sensus. Optime conditor qui custos es gentis israhelitice. quam sicut semper. et nunc servituti adversariorum exemeras. cur etiam nos qui de eodem germine. ut pote filii esau propagati sumus / omni simili clementia ab hostium immanitate non eripis. Quibus mox divina respondit. Quod de nocte / subauditur ad me clamatis. qui in die me contempsistis. Nam per noctem adversitas per diem prosperitas significatur

Et subsequitur. Si queritis querite, id est si mea in tempore angustie opitulacionem exquiritis, in tempore felicitatis et leticie querere mementote. Hec breviter dicta sufficiant ut redemptorem nostrum custodem humani generis esse appareat. Subnectendum vero est quia cum dominus ad tanta contumelia nichil durum respondit, paciencie nobis normam in semetipso prebuit. Qui si iudeis respondere voluisset: Vos pocius demonium habetis, verum utique diceret, quia nisi pleni demonio essent tam perversa loqui de deo non potuissent. Sed obtrectatoribus suis nec vera mala opposuit, ut nobis patenter innueret quatenus eo tempore quo ab indignatis proximis fallaciter contumelias accipimus, eorum eciam vera mala si qua novimus silencio tegamus. Sed honorifico patrem meum et vos inhonorastis me. Honorificabat deus patrem suum quia omnia que tempore suscepte humanitatis mirabiliter operabatur ad patris gloriam referebat dicens: Pater in me manens ipse facit opera. Iudei e contra eum inhonorabant cum ex falsitate obscurissima opprobria illi inferebant dicentes: Demonium habes. Et in Beelzebub eicit demonia et similia.

Ego autem non quero gloriam meam. Est qui querat et iudicet. Quantum ad hunc sensum circumstanciam quod attinet gloria hominum est, id est humana sapiencia: statim ut contumeliam vel lesionem acceperint, gestu vel verbo se ulciscuntur. Sed dominus gloriam humanam non quesivit, quia contumelias sibi irrogantibus vicem rependere noluit. Quod vero sequitur: est est qui querat et iudicet, nulli dubium quin pater deus hiis verbis intelligi debeat. Si ergo pater iudicat, quid sibi vult quod filius alibi loquitur: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Ad hoc dicendum quia sicut sunt duo timores, alter servorum, alter filiorum, duo quoque servitutis, amoris videlicet et timoris, sic eciam sunt duo iudicia. Est videlicet iudicium penale quod ad dampnacionem pertinet, iuxta quod dominus alibi loquitur: et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vite, qui vero mala in resurrectionem iudicii, hoc est in resurrectionem eterne dampnacionis. Secundum quod pater non iudicat quemquam. Et reliqua usque filio. Est et dominus et iudicium ad discrecionis secundum quod hic dicitur: est querens qui querat et iudicat. Et de quo psalmista: Iudica me deus et discerne causam meam. Quid est autem est qui querat et iudicet. Quid quo psalmista nisi est pater qui gloriam meam quaerit, gloria discernit et separat. Quae verba non solum ad divinitatem Christi respiciunt, qua aequalis est patri, sed etiam ad humanitatis infirmitatem, secundum quam gloria quoque eius non parum differt a gloria ceterorum hominum. Quod exemplis perspicui facillimum est. Natus est de incorrupta matre absque crimine, quod nulli umquam licuit hominum, quia et de corruptione cuncti nascuntur et nec dum nati in originalium scelerum reatu sunt implicati, accedentibus cottidie peccatorum actualium incrementis, sine quibus nec ad parvum quidem vivere possunt. Mortuus est quando voluit, quia dum voluit. In hac prorsus gloria illius a nostra gloria plenum est separata. Dum in arbitrii regula nec in morte nec a qualitate mortis possumus observare. Fuit et talibus humanitatis suae dispensationibus singularis fuit, quia cum deus esset homo, mortalis legibus communi morte teneri non potuit. Unde et per psalmistam loquitur: Singulariter sum ego donec transeam. Cuius gloriam Christi in hac quoque deus pater a gloria iudaeorum discernit, quod illum post passionem eius in caelum assumens ad dexteram suae maiestatis collocavit, at illos merito propriae infidelitatis aeternae mortis tartaro mancipavit. Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum. Sermonem filii dei evangelica praecepta debemus accipere, quae si quis intemerate servare, id est custodire studuerit, mortem non videbit in aeternum. Videbit autem dictum est, non quo mors videri possit, quae superveniens ipsos etiam oculos claudit, sed mortem non videbit dixit pro eo quod non experietur, non sentiet. Mortem autem hic non eam debemus accipere quam electi cum reprobis communiter patiuntur, sed eam potius quae solis peccatoribus cum diabolo et angelis eius in inferno debetur. Nam ista mors corporis migratio quaedam est fidelibus ad meliorem vitam, impiis vero ad poenam perpetuam, quam hoc loco mortis nomine veritas voluit designare. Advertendum vero considerandum quia cum malorum pravitas contra electos crescit, praedicatio non solum debet deseri, sed etiam debet augeri. Unde et redemptor in amplius iudaeorum blasphemiis vexatur, et tamen doctrinae suae beneficia eis impendere non desistit dicens: Si quis sermonem meum servaverit et cetera usque in aeternum. Sed sicut bonis mos est ut per contumelias meliores fiant ita e contrario reprobi de collatis beneficiis semper deteriorantur. Nam peracta domini predicatione demum ut redivivas resurgunt blasphemias dicentes: Nunc cognovimus et cetera usque in eternum. Cecati proprie iniquitatis malicia, evangelium christi de morte corporea hec loqui arbitrati sunt. Sed perspicue liquet hoc dominum de illa morte anime intelligi voluisse, presertim cum abraham et ceteri sancti hac ipsa morte iam defuncti fuissent. Ceterum secunda morte que et hic debet intelligi mortui non erant, quia spiritu dei vivebant. Hinc est quod et dominus de patriarchis loquens alio loco dicit: Non est deus mortuorum sed vivorum. At iudei quia morte secunda mortui iam erant irridebant dominum dicentem observatores sermonis sui mortem nullo modo gustaturos. Abraham inquiunt mortuus est et prophete qui sermonis dei custodes probatissimi extiterunt, et tu audes dicere: Si quis sermonem meum servaverit mortem non videbit in eternum. Numquid tu maior es patre nostro abraham sub cuius sanctitate qui mortuus est. Ideo totiens nomen abrahe patriarche ingeminant ut illum provocarent quatenus aliquid blasphemie de abraham loqueretur, possentque eum quasi sub optentu blasphemie accusatum morti tradere quod iam cogitabant. Unde subiungunt: Quem

te ipsum facis. Id est quam magnum te
esse iactitas, ut te sanctis patribus
preferre presumas. Sed explorato hoc, cum
iudei abraham et prophetas christo
preferunt, datur nobis intelligi quia
qui dominum nesciunt, dei quoque famulos
frustra venerantur. Respondit iesus:
Si ego glorifico me ipsum, gloria mea
nihil est. Et cetera. Hoc respicit ad id quod
iudei dixerunt: Quem te ipsum facis.
Refert ergo gloriam suam ad patrem de
quo est quod deus est, et dicit: Si ego
glorifico me ipsum, gloria mea nihil
est. Est pater meus qui glorificat me.
Quod ita est quasi obliquo permittendo:
Si ego glorifico me ipsum tantum et
pater meus non glorificat me, gloria
mea nihil est. Sed ideo gloria mea
non nihil est, sed magna esse probatur,
quia est pater meus qui glorificat
i me. Glorificavit autem deus pater
filium cum tempore percepti baptismatis
de celo super eum intonuit dicens:
Hic est filius meus dilectus in quo mihi
ij bene complacui. Glorificavit autem eum
clarificatum illum in monte filium suum
esse simili attestatione declaravit.
iij Glorificavit eum [illegible] passionis
tempore, cum astantibus turbis
vocem suam audiri fecit dicens:
Et clarificavi et iterum clarificabo.
iiij Glorificavit denique resuscitando il

lum a mortuis et assumendo in dextera sue maiestatis. Significandum vero est quod tria sunt verba ab uno greco sermone descendencia, quod est doxa, et eundem intellectum habencia: honorifico, glorifico et clarifico. Quem vos dicitis quia deus vester est et non cognovistis eum. Si deum illum vocabant quomodo non cognoscebant? Utique quia carnales erant et deum sicuti intelligendus est spiritualiter intelligere non valebant. Si enim Christum cognovissent utique filium suscepissent. Unde et alibi eis a domino dicitur: Si deus pater vester esset diligeretis utique me. Ego autem novi eum. Hijs verbis potuit dominus arrogans videri indoctis qui secundum carnem iudicabant. Sed attendendum quod sequitur. Et si dixero quia nescio eum ero similis vobis mendax. Ex hoc loco datur aperte intelligi quia arrogancia ita vitanda est ut veritas nullo modo relinquatur. Nam et apud veteres non minoris culpe putabatur veritatem tacere quam mendacium dicere. Ero inquit similis vobis mendax. Ac si diceret: Si dixero inquit me nescire deum ita me mendacem esse clarebit sicut vos eum dicitis quia deum non nostis mendaces esse probamini. Patet autem iudeos semper de unius dei cognicione salutis fuisse gloriari. Unde paulo superius domino dicunt: Nos unum deum patrem habemus. Sed scio eum. Filius patrem sciebat quia in una eademque claritate equalis ei erat, sicut et alibi dicit: Ego et pater unum sumus. Et si enim pater et filius in numero personarum duo sunt, in natura tamen divinitatis unitas consistit. Et sermonem eius servo. Sermo patris filius est. Sermonem ergo patris filius observabat quia se verbum hoc est filium dei esse annunciabat. Abraham pater vester. Et cetera usque gavisus est. Diem domini dupliciter hic accipere possumus, vel eternitatem divinitatis eius vel temporalitatem incarnacionis eius. Abraham ergo tunc diem domini vidit cum in figura summe trinitatis tres angelos hospicio recepit tribusque quasi uni locutus est. Intellexit enim quia et si in personis numerus est trinitatis, in natura tamen unitas divinitatis consistit. Item docente beato Augustino diem domini tunc abraham vidit quando servum mittens ut uxorem filio suo duceret sic eum adlocutus est: Pone manum tuam sub femore meo et iura michi per dominum deum celi ut non accipias uxorem filio meo Isaac de filiabus Chananeorum. Quid vult deus celi ad femur abrahe nisi quia significabat de genere abrahe venturum in carne deum celi. Diem ergo domini utrumque et tempora-

lem uidelicet. et eternum uidit. hoc
est preuidit. et precognouit. et utrumque
suis uerbis se intellexisse declarauit.
Temporalem namque diem corporis
quem suscepturus erat de semine suo
abraham significauit. cum dixit
mitte manum tuam sub femore meo.
Eternum nichilominus diem illius non
tacuit. subinferendo. et iura michi
per dominum celi. Tamquam aliis uerbis diceret
iura michi per eum. qui et ex eternitate
deus est meus. et ex humanitate
futurus est filius meus. De hoc
loquens ueritas dicit. Abraham
exultauit ut uideret diem meum. Non
ait exultauit quia uidit. sed exultauit
ut uideret. Credens enim dei filium
suo de semine nasciturum. Exultauit
sperando. id est exultauit
in spe quia credidit hoc ueraciter
esse futurum. Exultauit ergo sperando.
ut uideret intelligendo. uidelicet
et in spiritu sancto tantum mysterium
penetrauit. Sed quia scriptum est
Desiderium iusti ueniet ei. uidit et
gauisus est. Quantum enim gaudium putamus
in corde abrahe creuisse. cum
uideret uerbum. et splendorem patris
piis mentibus refulgentem. et aliquando
in carne uenturum nec a
patris gremio recessurum. Sed quia
iudei carnali errore detenti in
xpo non diuina sed humana tantum
naturam attendebant dixerunt
Quinquaginta annos nondum habes. et abraham uidisti. Quos dominus
benigna dignatione ad diuine
nature intelligentiam erigere uolens
dixit eis. Amen amen dico uobis
antequam abraham fieret ego sum.
Duo uerba dissimilia tempora mutabilia
sibi coniungens. eleganter et diuinitatis
sue coeternitatem et humanitatis defectum
expressit. Ante enim preteriti temporis
sensum habet. sum presentis.
Quia ergo diuinitas uerbi preteritum
et futurum tempus non habet sed semper
modo presens. non dixit ante abraham
fui. sed ante abraham ego
sum. Abraham uero ante habuit et
post exhibitionem corporalis presentie
id est per natiuitatem et conuersationem
accedere. hoc est nasci potuit. Post
habuit. quia peracto uite cursu recessit.
et posteros sibi multarum etatum
9o homines reliquit. Sed mirum quid
quod est quod dominus hoc uerbum substantiuum
sibi singulariter uendicauit
Sepe enim dicit in scripturis. ego
sum. et non addit uerbum. aut propheta
aut dei filius. Hic enim quando et
moysi dixit. Ego sum qui sum. Sic
dices filiis israel. Qui est misit me
6o ad uos. Ad hoc dicendum est. quia quicquid
libet omnino creaturarum excellentie
sit. aut angelus. aut homo
si mutabilis est. non uere est. Angeli
certe non uere sunt. quia mutari

et supplere ac labi potuerunt. Homines non vere sunt, quia de immortalitate ad mortalitatem, de iusticia in peccatum mutati sunt. Quod enim mutari potest, mutatum non est ea quod erat. Invenimus ergo in motu rerum duo tempora, invenimus preteritum et futurum. Nam presens occurrit, non quod cognoscitur, nihil enim in creatura stat. Verbi gratia: Verbum quomodo dixi antequam diceretur non erat; postquam dixi iam non est, sed esse cessavit. Hec ergo duo tempora in omni creatura, ut dictum est, invenimus. In deo autem qui semper manet preteritum tempus et futurum non cadit, sed solum presens. Illi enim nichil est preteritum vel futurum, sed cuncta ei semper presencia ab inicio famulantur. Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum. Quia verba eternitatis intelligere non poterant, corda lapidea habentes ad lapides insensati currebant. Sed dominus memor sue missionis qui consequentem rabiem preparat declinari, Abscondit se et exivit de templo. Qui si voluisset, ipsos suos persecutores aut pena subite mortis obruere aut hiatu terre immergere aut certe morti faciliorum sic coram sua dei dampnabiliter potuisset. Sed dominus nichil horum cetera cum posset facere noluit, suo nobis exemplo formam dedit, ut etiam cum inimicis ut cum quibus resistere possumus, pravitatem aliorum humiliter declinemus; quamvis luce clarius pateat ad certo illum hac vice Iudeorum manus evasisse, quia nondum venerat tempus, hoc est solempnitas pasche in quo pati cupiens decreverat. Sed forte aliquibus questione dignum putetur, cur dominus huiusmodi genus mortis, hoc est lapidacionis vel precipicii, perferre noluit. Nam legimus eum alio loco ductum ad supercilium montis ut precipitarent eum; solummodo per supplicium crucis dispensacionem sue voluit perficere passionis. Cui questioni ita subvenimus, credimus ut dicamus congruum et optimum deo fuisse, ut qui genus humanum salvare venerat per lignum crucis eos redimeret, qui per lignum vetite arboris fuerat captivati. Diligendum quoque erat ut homines a deo redempti signo passionis illius se munitos contra adversa omnia munirent atque armarent. Sed si passio redemptoris per lapides completa fuisset, durum videretur saxa iugiter manibus gestare. Nunc autem meliori dispensacione salutem nostram per lignum crucis actam credimus, ut illo salubri signo sine difficultate et sine pondere ubicumque sumus corpus et animas frontemque muniamus. Potest et petra figuraliter intelligi. Ideo dominus de templo per-

q°

R°

alia exp°

quae cum iudeorum absconditi voluisse ut occulte iniret. quod exigenti infidelitati persequentium sua cognitionem absconderet. ipsisque relictis ad multitudinem transmearet gentium. Qua propter summopere nobis est conandum qui ex gentibus ad fidem venimus. ut quia repudiatis iudeis ad salvationem nostram non meritis nostris sed sua gratia Christum venisse credimus sedulis illi laudibus gratias rependamus. eumque pro perceptis beneficiis condignis iugiter sanctae operationis sermonisque collaudemus. qui vivit et regnat

m iserunt scribe et pharisei ministros ut apprehenderent ihesum Et reliqua.

n emo satis digne sufficit ammirari quanta fuerit in scribarum et phariseorum corde dementia. Cum enim redemptor in assidua predicatione et miraculorum operatione illos ad fidem vocaret. turbis simplicibus credentibus et facta domini simul et verba glorificantibus. Illi econtra non solum in eum credere nolebant verum etiam eum apprehendere laborabant. In amore namque seculi radicata cordibus hesserat. ideo verba doctrine celestis recipere nolebant. Miserunt ergo ministros ut comprehenderent eum. Sed dominus qui in sua potestate habebat quando et quomodo mori vellet respondit dicens. Filioli adhuc modicum vobiscum sum. Ac si dicat. Propterea est quod nunc agere vultis. Quod enim vultis facturi estis. sed non modo quia ego nolo. Adhuc modicum vobiscum sum. et vado ad eum qui me misit. Oportet ergo impleri debito dispensationem suscepte carnis. et sic pervenire ad locum suscipiende passionis. Queretis me. et non invenietis. et ubi sum ego vos non potestis venire. Quibus verbis designavit tempus sue resurrectionis. Qui enim presentem loquentem sibi. et miracula facientem recipere noluerunt post eius resurrectionem eum quesierunt cum viderent innumeram multitudinem iam credentem et longe lateque signa et miracula per apostolos fieri illo in eis et per eos operante qui alibi dicit. Sine me nichil potestis facere. Tunc ergo quesierunt eum et non invenerunt. quia iam presentia corporali de mundo recesserat et ascendendo ad patrem celos penetraverat. Et ubi sum ego vos non potestis venire. Notandum quod de futuro dixit. queretis me et non invenietis. de presenti autem dicit. ubi ego sum vos non potestis venire. In sinu quippe patris coeternus et consubstantialis semper erat. In terra homo loquebatur. sed apud patrem et in per commorabatur quod illi nomine non poterant. quia eum christum equaliter credere nolebant / Id ipsum enim non loco sed fide intelligendum est. Sed medici more sibi consueto verba eius non intelligentibus. et carnaliter illum loqui putantibus. aperte admonere loqui et dicere / Quo hic iturus est. quia non inveniemus eum. Numquid in dispersione gentium iturus est. et docturus gentes / Quod dicebant ignoranter quid dicerent. tamen quia ille voluit prophetaverunt / In dispersionem namque gentium iturus erat. eas docturus non corporali presentia. sed per apostolos suos. per quos et in quibus ipse loquebatur sicut quidam illorum loquitur dicens An experimentum queritis eius qui in me loquitur christus / Sicut enim predicatores pedes christi erant. propheta dicente. Quam speciosi pedes evangelizantium bona. Per hos pedes iturus erat ad gentes. ut fidei et salutis quam iudei spreverant gentes reciperent / In novissimo autem die magno festivitatis. stabat ihesus et clamabat dicens. Si quis sitit. veniat ad me et bibat. Qui credit in me. sicut scriptura dicit per verborum salomonis. flumina de ventre eius fluent aque vive. Sollempnitas scenophegie tunc celebrabatur. id est tabernaculorum. in memoria illius temporis quando per xl annos in umbraculis habitaverat in deserto. Agebatur hec sollempnitas mense vii^mo qui a latinis september appellari consuevit. sollempnizabatque ea per octonos dies. et octava id est novissima dies erat celeberrima et sanctissima. In hac novissima die sollempnitatis huius stabat ihesus. et non ut semper loquendo. sed clamando omnes ad se vocabat dicens / Qui sitit. veniat ad me et bibat. Sitis ista non est corporis sed mentis. Si quis ergo sitit. hoc est si quis vult credere et diligere christum veniat. non passibus corporis sed affectibus mentis veniat. non migrando corporaliter ad christum. sed amando christum recedat ab amore seculi. et suscipiat amorem dei. qui credit in me sicut dicit scriptura flumina de ventre eius fluent aque vive. Quam aquam intelligere deberemus necessario evangelista curavit exponere subdens. Hoc autem dicebat de spiritu. quem accepturi erant credentes in eum / Que igitur hec est aqua nisi caritas que per spiritum sanctum diffusa est in cordibus fidelium / Ait enim apostolus Caritas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis Venter quo hanc aquam recipere debeamus interior conscientia est que cum hanc spiritus sancti aquam biberit. id est cum christi caritatem habere ceperit / Habebit fontem aque vive immo ipsa efficitur fons / Fons enim iste de ventre conscientie fluens. benivolentia est que de caritatis aqua prodesse vult consulere proximis. Nam qui bonum quod habet sibi soli putat sufficere nec ad aliorum satagit diuinari profectum, non fluit aqua viva de ventre eius. Si vero aliis vult consulere ex eo quod accepit gratie profectibus fluit aqua de ventre eius, que diffunditur ad proximos beniuolencia. Illius nec ulla ariditate fons iste siccabitur, sed magis per plures currens semper augebitur. Hoc autem dicebat de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Spiritum sanctum dicit, quem nobis tertiam in sancta trinitate venerari personam. Sciendum vero omnibus fidelibus est quia tota trinitas deus spiritus est, domino dicente: Deus spiritus est. Pater ergo spiritus et filius spiritus, atque adeo ut distinctio fiat patris et filii, tertia trinitatis persona iam non absolute spiritus, sed cum epitheto spiritus sanctus appellatur. Hunc spiritum sanctum ante ascensionem apostolis promisit et post ascensionem die penthecostes in linguis igneis misit, atque ideo dicit evangelista: quem accepturi erant credentes in eum. Habebant quidem sancti apostoli et reliqui fideles spiritum sanctum ante resurrectionem Christi, sed nondum ita aperta datione illum acceperant sicut postea accepturi erant. Habebant spiritum sanctum ut in ipso recte viverent et [illegible] prodessent. Acceperunt postmodum spiritum sanctum ut omne genus hominum ad fidem Christi convertere possent. Hoc spiritu invisibiliter tota ecclesia illuminatur, instruitur, et ad sola possessionis spe futurorum bonorum consolatur. Cuius efficacissimam potentiam apostolus enumerans ait: Alii datur per spiritum sermo sapientie, alii sermo sciencie, alii genera linguarum et cetera usque quo concludens dicit: Hec omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult. Hunc agite devoti poscamus ut sic mentes nostras ab omnibus desideriorum carnalium sordibus emaculet, quatenus sua inhabitacione dignos efficiat, tuta id operante omnipotentissima trinitate que vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

a mbulabat ihesus in galileam; non enim volebat ambulare in iudeam, quia querebant eum iudei interficere. Et reliqua.

q uia in hac [illegible] persona humanitatis [illegible] salutis [illegible] que faciebat futuris fidelibus suis exempla que imitari deberent prebebat. Humana enim persecutionem insidiantium pendebat causa sui [illegible] [illegible] exortanda. Sciebat eciam infirmiora membra sua immanitatem persecutionis tolerare non posse, ne tales salute desperarent et se a corpore suo alienos arbitrarentur, si umquam territi passionem refugissent dignatus est ad duo, scilicet precepto simul et exemplo consulere. Precepto quidem, quo talibus ingruente persecutionis tempore fugere permisit dicens: Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Exemplo vero, quo adhuc puer ad declinandam Herodis sevitiam non solum de civitate in civitatem, verum etiam de regione in regionem fugere dignatus est, delatus parentibus in Egiptum. Factus etiam iuvenis, cum eum Iudeorum principes propter ewangelii predicacionem vellent interficere, crebro Iudeam deseruit et ad alias transiit regiones, ne videlicet membra illius hoc facere metuerent, quod meminerant in suo capite precessisse, neve alicui persecutioni obiceret, si quando captus formidine fugere presidium requisisset. Ait enim sanctus ewangelista, qui lectus est: Quia ambulabat Ihesus in Galilea; non enim volebat ambulare in Iudea, quia querebant eum Iudei interficere. Neque enim Deus suam amiserat potestatem, sed nostram hoc faciens consolabatur infirmitatem. Nam si vellet, poterat tutus inter illos ambulare, qui ipsam quoque mortem in potestate se habere testatur dicens: Potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam. Denique hanc potestatem demonstravit, quando tempore passionis advenientibus hiis qui ad eum comprehendendum venerant, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram. Sed omnia prudentissima dispensacione disponens, probendi gratia exempli, ut dictum est, dignatus est ad tempus se persecutoribus absentari. Erat autem in proximo dies festus Iudeorum scenophegie. Scenophegia erat festivitas tabernaculorum, quando mense septimo omnes Iudei in tabernaculis lege precipiebantur habitare in memoriam illius temporis, quo per xl annos in tabernaculis absque ullis domibus commorati sunt in deserto. Dies autem festus dicitur, non quo tantum una die ista ageretur festivitas. Nam per septem dies in tabernaculis habitabant, sed quodque dies cont eiusdem celebritatis unum diem prop ima sollempniorem ceteris consueverat appellare Iudei. Dixerunt ergo ad eum fratres eius: Transi hinc et vade in Iudeam. Fratres domini usitatissimo more sacre scripture consanguineos ipsius secundum carnem, consobrinos videlicet ipsius intelligunt. Non quod quidam heretici dixerunt, fratres domini appellari filios Ioseph sponsi Marie semper virginis, de quadam uxore eius Escha nomine; nulla auctoritate fulcitum est atque ideo a fidelibus nullo modo recipiendum. Sciendum

Sciendum quod in sacro eloquio fratres tribus modis dici solent natura gente et cognatione. Natura sicut esau et iacob. Gente sicut omnes iudei i. de quacumque tribu fuissent fratres appellabantur. Unde dicitur in lege Si attenuatus frater tuus hebreus vendiderit se tibi. Cognatione sicut abraham et loth fratres dicti sunt cum abraham patruus fuerit loth. Scriptum est enim. Dixit abraham ad loth. Ne quaeso sit iurgium inter me et te et inter pastores meos et pastores tuos fratres enim sumus. Quartus quoque modus addi potest religionis secundum quam omnes proprie fratres dicimur qui unum deum patrem nos habere gaudemus. Illo ergo tertio modo quo iuxta cognationem fratres vocari diximus et hic et ubicumque fratres domini legimus hoc vocabulum recipere debemus. Hoc modo iacobus frater domini dicitur quia filius fuit marie matertere domini. Dixerunt ergo fratres eius ad eum Transi hinc et vade in iudeam ut et discipuli tui videant opera tua que facis. Nemo quippe in occulto aliquid facit et querit ipse manifesta te ipsum mundo. Quare ista dicerent sequens evangelista aperire curavit cum subsecutus adiunxit Neque enim fratres eius credebant in eum. Potuerunt enim secundum carnem consanguinei christi esse sed credere in eum pre iniquitate dedignati sunt. Et quia gloriam mundanam requirebant in eum qui gloriam humanam contemptor renuit credere nolebant. Putabant ergo illum tantum esse hominem atque ideo eum posse se ~~mirantibus~~ meritis et sicut ipsi honoribus erant cupidi ita eum arbitrantes ab hac cupiditate nequaquam esse immunem quasi consulentes et consilium ei dantes. Dixerunt Transi hinc et vade in iudeam ubi caput regni totius est ubi metropolis civitatis et venerabile omni mundo ~~totum~~ templum ut ibi hominibus notescas ut ab omnibus glorificaris. Quod vero dicunt ut et discipuli tui videant opera tua que tu facis innuunt quidem sibi dominum discipulos sperare sed non ad hoc quod illi querebant ut ea tronis et pluribus favoribus attollerent quam divina opera divinis laudibus monuit efferenda. Sed audiamus quid amatoribus glorie dominus respondeat. Tempus meum nondum advenit. Illi quidem suadebant ut in iudea et sua potencia miraculorum mundo innotesceret ne latebris quibus et inglorius haberetur. Verum dominus respondit non advenisse tempus glorie sue. Adventus sunt tempus humilitatis sue per quam ad celestem sublimitatem eius per quam disposuerat pervenire. Sic ergo Tempus meum hoc est tempus meum glorificationis nondum advenit per omnia namque passurus et sic domi surgendo, et ad celos ascendendo erat glorificandus. Tempus autem vestrum semper est paratum. Tempus mundialis glorie quam semper affectatis, in quo omnia facienda putatis. Sed licet omni studio mundi gloriam quererent, eam consequi non valebant. Quoniam gloria suos consequitur et ambit contemptores. Despicit et execratur suos appetitores. Quos bene notat illa fabula qua dicitur quidam ita apud inferna dampnati, ut saxum ingens tanto molimine volvant, sicut enim qui lapidem ad altiora impellit, retro actus pondere saxi ad inferiora relabitur, sic ambitiosi quique turbe parant repulsam, nec ad id quod conantur valent assurgere. Tempus ergo certe corporis non dum advenerat, quod plenissime erit in fine seculi, quando is qui venit iudicandus veniet iudicaturus vivos et mortuos, et qui se exhibuit in humilitate apparebit in maiestate. Vos ascendite ad diem festum hunc. Ad hunc inquit diem ascendite, in quo vos ad mundi gloriam contenditis, non celestem cogitatis. Ego non ascendam ad diem festum istum, quia tempus meum non dum impletum est. Quare dicit dominus non ascendam, cum in sequentibus mediante iam die festo legitur ascendisse. Sed est attendendum quod dicit ad diem festum istum. Tunc enim non cum illis ascendit, sed post aliquot dies festivitatis emensos. Quia tempus meum, hoc est glorie mee, non dum impletum est. Tunc enim erit meus festus dies, non certis diebus preteriens, sed continua celebritate manens. Hec cum dixisset, ipse mansit in Galilea. Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto. Quare autem ad litteram occulte dominus ascendit? Quia non favores hominum requirebat, non pompis seculi et stipatorum se sic turbarum obsequiis oblectabatur. Mystice vero occulte ascendit, quia ipse in illis sollempnitatibus latebat. Typicis hostiarum que ibi offerebantur sacrificiis presignatus erat, sed non intelligebatur. Iam vero sub gratia sancti evangelii manifestatus est, quia quod illis in umbra et figura exhibebatur, nobis revelata veritatis luce agitur. Iudei igitur querebant eum in die festo, quia quod ipse cum fratribus non ascenderat. Antequam veniret querebant eum et dicebant: Ubi est ille? Et murmur erat de illo. Murmur ille magnus de contentione factus est, quia inter se dissidentes habebat. Nam sicut evangelista subiungit: quidam dicebant quia bonus est. Alii autem: non, sed seducit turbas. Alii enim bonum asserebant, alii seductorem blasphemabant. Sed quod tunc de domino ab impiis dicebatur, hoc ipsum hodie quoque de fidelibus sunt eius dicitur. Nam quicumque religiosus est et deo in corde simpliciter servit, ab irreligiosis et malitiosis vituperatur, et ab aliis bonus, ab aliis impostor et seductor vocatur. Hoc igitur valet sermo ad consolationem nostram. Quare enim exhorrescat membra Christi quod Christo illatum est capiti suo. Non refugiant servi Christi audire a seculi amatoribus. Sed dictum est de Christo a iudeis murmuratoribus. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum iudeorum. Quid dicit nemo palam loquebatur de illo. Ad illos tantum respicit qui dicebant quia bonus est. Hii enim silencio et voce infima et sono pressiore loquebantur. Alii vero qui dicebant seducit turbas clarius resonabant. Eorum sonitus clarius audiebatur tamquam [illegible] foliorum. Sed deo gratias permutati sunt in melius voces. Quamvis enim nunc diu venerit illa gloria Christi quam devoti psallamus pro qua eternitatis premia nos adepturos speramus. Tamen itaque universum mundo dilatata crevit ecclesia sic se per omnes orbis partes quaquaversum diffundit ut eius laudes ab omnibus fidelibus libera et excelsa voce psallantur palamque dicatur ab universis quia bonus est. Et qui nunc sunt heretici qui pauci velut navis tabule post naufragium remanserunt non aperte sed velut in angulo susurrant paucis qualocumque quia sicut psalmista dicit obstructum est os loquentium iniqua. Clauso ore infidelium aperta sunt ora fidelium et laudant nomen Christi in choro et psallunt ei in tympano et psalterio qui exaltatus in cruce traxit ad se omnia ut in omnibus gentibus ipse solus colatur et habeatur deus super omnia benedictus in secula cui est honor et gloria cum patre et spiritu sancto per omnia secula seculorum amen.

Facta sunt encenia in Hierosolimis et hiems erat et reliqua.

Encenia plurali numero vocabatur festivitas dedicationis templi quam populus iudeorum ex antiqua consuetudine per annos singulos celebrare solebat. Encenia namque grece initiare vel ~~inchoare~~ inchoare latine dicitur. Recordandum non abire esse credendum est quod sanctus evangelista tempus quo ista dedicatio facta est intimare curavit dicens et hiems erat. Hoc quippe ostendit quod hec encenia non ad primam templi dedicationem sed ad eam que ultima fuit pertinet. Prima dedicatio namque templi ipsius in festis diebus autumnalibus primum sequitur cum dedicatio a Salomone magna gloria et regni totius pace autumpnali tempore facta est. Secunda a zorobabel et ihesu sacerdote magno. ac reliquis filiis transmigrationis. uernis tempore perfecta est. Tercia a iuda machabeo et fratribus eius hyemis tempore facta est. quae etiam specialiter constituta est ut singulis annis haec eadem dedicatio sollempnibus frequentaretur officiis. Quae consuetudo usque ad tempus saluatoris seruata est sicut probat sancti ewangelii lectione datur intelligi. Verum hoc obseruacio ab illis recepta salubriter nunc in ecclesia uenerabile quae habere dinoscitur per annos sibi inuicem succedentes dies anniuersaria dedicationis ecclesiae diuinis laudibus a populo fidelium deuote satis excolitur. tanto ergo propensius ac maiore studio celebratur quanto esse gratissima redemptori non dubitatur. qui ut in hac die ipse templum intrare et diuinitatis suae mysteria populo pandere dignatus sit. Nam per asperitatem hyemis duricia denotatur infidelitatis. quae in mentibus quorundam iudeorum tunc erat. quibus conueniebat illud quod dominus alibi dicit. Quoniam habundabit iniquitas refrigescet caritas multorum. Et ambulabat ihesus in templo in porticu salomonis. Porticus salomonis dicitur in qua rex ille quondam potentissimus ad adorandum stare solitus erat atque ideo ex eius nomine cognominari ceperat. Solent autem porticus quibus illud templum cingebatur noue templi appellari. Si ergo tunc dei filius in templo in quo sanguis brutorum animalium fundebatur uoluit corporaliter ambulare. multo magis nunc domum suae ecclesiae ubi corporis et sanguinis sui mysteria consecrantur inuisere et inhabitare gaudebit. Si tunc porticum in qua rex ille quamuis potentissimus et sapientissimus tamen mortalis atque terrenus stare solebat perambulare non despexit multo magis penetralia nostrorum cordium sua presencia maiestatis dignabitur ipse illustrare si tamen mentibus nostris porticum esse salomonis. id est si eas timoris sui plenas qui est inicium sapiencie uiderit. Regem putare debemus. quod hec tantum domus in qua ad adorandum conuenimus templum sit dei. Nos enim ipsi qui conuenimus templum dei et dici et esse debemus apostolo dicente. Vos estis templum dei uiui. Circumdederunt ergo eum iudei et dixerunt ei. Quousque animam nostram tollis. Si tu es christus dic nobis palam. Apparet. cum prescripsit ewangelista. hiems erat. Circumdederunt non studio agnostende veritatis, sed gratia ingerende temptacionis et struende calumpnie, ut invenirent quomodo eum accusarent. Quousque animam nostram tollis? Consentitur quod animas eorum incertos ac suspensos eos dimittendo tolleret, qui ad hoc venerat ut animas in se credencium salvaret. Si tu es Christus, dic nobis palam. Iudei Christum purum tantum hominem futurum et rege ceteris excelsiorem venturum credunt, quod etiam posteri eorum usque in presens et quousque antichristum pro Christo suscipiant clementissime arbitrari non desinunt. Volebant ergo ut se dicens Christum eo diceret quatenus possent eum quasi Augusto repugnantem et imperium sibi usurpantem presidis potestati puniendum tradere. Quapropter Dominus ita prudenter ac temperanter sua responsione circumtulit ut illis aditum calumnie obstrueret et quia ipse est Christus futuris fidelibus aperta voce panderet. Respondit enim dicens: Loquor vobis et non creditis. Et hic aptissime ostendit quia ipse sit Christus. Dicens enim loquor vobis, ostendit se verbum, hoc est filium Dei coeternum et consubstantialem Patri. Tamquam diceret: Ego me semper filium Dei esse aperta attestacione pronuncio. Sed vos

vestra infidelitate ceci nec memetipsi loquenti creditis nec opera que facio attendere vultis. Que si digne consideraretis, Dei filium me esse procul dubio crederetis. Opera quecumque ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. Et nota quod suorum operum omnem gloriam Deo Patri ascribit, cum ea in eius se nomine facere asserit. Ipsa ergo opera que faciebat cecos illuminando, paraliticos sanitati restituendo, depravatis membris multa hominum auxilia reficiendo, mortuos etiam quatriduanos quoque fetidos ad vitam revocando, ipsa inquam opera testimonium reddebant quod esset verus filius Dei, cuius gloriam in omnibus operibus suis requirebat. Sed vos non creditis. Causam quare eum non crederent reddens subdit: quia non estis ex ovibus meis. Oves suas fideles et sibi obsequentes dicit, qui eum pastorem diligunt et sequuntur atque ad pascua eterne satietatis boni pastoris vestigia sequendo perveniunt. Ergo hos qui in se nolebat credere dicebat non esse ex ovibus suis, quia videbat iam eterne perdicioni preparatos nec sui sanguinis precio ad vitam perpetuam comparandos. Oves mee vocem meam audiunt et ego agnosco eas et sequuntur me.

Usitato more sancte scripture cognoscere pro eligere ponitur. Unde scriptum est Novit dominus qui sunt eius. Reprobis non comprobabat. Illud enim deus ignorat quod dignum eterne vite non approbat. Unde impiis in iudicio dicturus est Nescio vos. Oves ergo Christi vocem eius audiunt, quia preceptis illius ex animo obediunt. Et ipse eas cognoscit, quia ut apostolus de se et sibi similibus dicit, elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius. Sequuntur autem eum et hic mansuetudinis et innocentie eius vias incedendo, et post eum eo ad gaudia sempiterne vite feliciter intrando. Unde sequitur Et ego vitam eternam do eis. Hec est illa pascua quam pollicitus est dare omnibus suis, nulla unquam ariditate marcencia, sed indeficienti amenitate vernancia. Et non peribunt inquit in eternum, quia pastor eorum et salvator talis est apud quem nichil omnino possit perire. Videbantur quidem perire sancti martires oculis insipiencium, cum hanc mortalem vitam per tormenta amittebant, sed non peribant in eternum, quia soluti vinculis carnis debita sibi premia a Christo percipiebant. Unde consequenter adiungit. Et non rapiet eas quisquam de manu mea, id est de potestate mea. Nos enim quos semel predestinando Christus assumpserit, nulla eius diabolice temptationis, non immanitas persecutionis humane de potestate eius potest auferre. Ita et si sunt quidam qui post percepta gratiam demum signum Christi perierunt, hii certe in dei oculis non sunt oves. Inhiabant quidem persecutores rapere probos confessores Christi de manu eius, cum eos tormentis fidem Christi negare compellebant, ut eorum animas a Christo alienas efficerent, vel cum sui pati constancia morientium corpora illorum aut ignibus exurenda tradebant aut aque dissolvenda immergebant, tamquam possent a Christo eis resuscitandi tollere facultatem. Sed nemo potest rapere de manu eius qui suos in certamina ut vincant ad~~iuvat~~iuvat et victores in celis coronat. Quibus et suavia verbis illorum redarguit temeritatem, qui sibi martiribus laqueos tetenderant. Stultissime enim de eius nece cogitabant, cum non solum in ipsum nichil possent agere, verum eciam neminem de suis possent auferre. Verum ne hec dicendo sua videretur gloriam querere, totam hanc potenciam ad patrem refert subiungens. Pater meus quod dedit ~~meus~~ michi maius omnibus est. Hoc est quod deus pater mediatori dei et hominum dedit maius omnibus etc. que dedit illi ut sit eius unigenitus filius nec natura dissimilis nec virtute inferior nec tempore posterior. Et hoc gignendo dedit, quia deus deum genuit. Hoc est quod maius est omnibus. Itemque idem iohannes locuturus de verbo dei transcendit omnem angelicam et humanam creaturam et sic pervenit ad illud quod maius est omnibus et dixit: In principio erat verbum. Hoc enim quod dei filius habuit ante secula per divinitatem ~~ipse~~ ~~ipse~~ accepit ~~ex tempore~~ per humanitatem. Et nemo potest rapere de manu patris mei. Supra dixit: non rapiet eas de manu mea. Hic dicit: nemo potest rapere de manu patris mei, ut liquido intelligeremus hoc esse virtutem suam et patris, atque ideo Christum sic esse credendum, qui non ut ceteri sancti per graciam accepit ex tempore, sed verus semper extiterit dei filius. Quod etiam subsequenti sententia ostendit cum dicit: Ego et pater unum sumus. Unum inquit sumus: una nobis substancia, una divinitas, perfecta equalitas. Quibus verbis non solum iudeorum questionem, qui temptantes an ipse esset Christus interrogabant, absolvit, verum etiam hereticorum quos futuros previdit insaniam, quam sit detestanda monstravit. Sabellius namque dogmatizat unam esse personam patris et filii, quem revincit ~~cum~~ cum dicit: ego et pater, ubi aptissime duas sonant personas. Sed et iudei, qui

catorum loquente domino quasi pacienter audierant, cum dixisset: Ego et pater unum sumus, amplius in verbis eius ferre non valentes, quia ipsi lapidea corda gestabant, ad lapides cucurrerunt. Nam sequitur: Sustulerunt lapides iudei ut lapidarent eum. Ceterum quia ille nec tunc volebat pati, nec se ab illis disposuerat lapidari, elata iam carnis seviencia brachia sua nutu continuit, et adhuc eos alloquitur. Respondit eis Ihesus: Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, videlicet in sanitatibus infirmorum, in assidua exhibicione doctrine et miraculis. Que universa ex patre se dicit ostendisse, ut se indicaret eius per omnia gloriam requirere. Propter quod inquit eorum opus me lapidatis? Et responderunt: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia. Qua quamvis multi contra benevolentes confitentur, ne possint ingrati multorum beneficiorum bona sibi exhibita impensa fuisse, sed miseri qui quod de[illegible] de sua et patris equalitate dixerat in blasphemiam deputabant. Considerandum vero quod dicit: Tu homo cum sis, facis te ipsum deum. Ecce infideles iudei intellexerunt quod arriani adhuc intelligere noluerunt. Id enim quod dominus dixerat: Ego et pater unum sumus, intellexerunt non posse unum dici nisi ubi esse equalitatis. Quod ipsi pro blasphemia idcirco accipiebant, quia eum tantum hominem esse credebant, Deum uero illum esse credere nolebant. Respondit eis Ihesus: Nonne scriptum est in lege uestra: Ego dixi dii estis. In lege uestra dicit, in lege uobis data. Sed et hoc notandum quod hoc psalmigraphi testimonium in lege scriptum dicit. Quia nimirum omnes scripture aliquando lex appellantur generali uocabulo, non nunc distincte proprie lex accipitur et a prophetis distinguitur, sicut ipse dominus alibi dicit: Lex et prophete usque ad Iohannem. Plerumque tria certe distribuuntur scripture, ut est illud: Tunc aperuit ~~illis~~ ~~sensus~~ apostolis sensum ut intelligerent omnia que de ipso scripta erant in lege Moysi et prophetis et psalmis. Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, et non potest solui scriptura. Hoc est non potest argui falsitatis, atque ideo non audetis illa uitare. Si ergo illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, quem pater sanctificauit et misit in mundum, uos dicitis quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum. Et si dicat: Si ideo homines dii appellati sunt quia sermo Dei ad eos factus est, ipsum uerbum Dei quod erat in principio apud Deum quomodo non est deus. Si illi dii uocari meruerunt qui participes facti sunt sermonis Dei, ipse sermo Dei unde participant, cur non sit deus. Notandum uero quod dicit: quem pater sanctificauit et misit in mundum. Sanctificauit namque pater filium, non quod ~~ille~~ umquam aliquando sanctus non fuerit, sed sanctificauit, quia sanctum illum genuit. Cum enim deus deum, immensus immensum, sic sanctus sanctum prolem genuit. Genuit filium et misit in mundum, quem cum incarnari constituit pro salute hominum. Si non facio opera patris mei, nolite credere michi. Si autem facio, et si michi non creditis, operibus credite. Ac si dicat: Si tantummodo nudis uerbis Dei me filium esse dico, et non etiam operum exhibicione meum id esse complector, uos quos aut natura imperfectos edidit, aut uicium deprauauit, aut certe infirmitas afflixit, potenti maiestati restauro, nolite credere michi. Si uero ista facio que nullus nisi Dei filius facere posset, si michi non creditis, hec saltim operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia in me est pater et ego in patre. Dixerat ita operibus credite. ut iterum dicit ut cognoscatis et credatis. Quod tale est ac si diceret Credite ut credatis et cognoscatis. Est vero sensus. Si michi non creditis operibus credite ut cognoscatis credentes quia in me est pater et ego in patre. Debemus ergo credere ut possimus cognoscere quia cognicio merces est fidei. Credentes enim intrabimus in potencias domini et cognoscemus quomodo est in filio pater et filius in patre. Sane sciendum est quod non sic est pater in filio vel filius in patre quomodo dicitur deus esse in sancto aliquo viro et sanctus quicunque in deo. Filius quippe in patre est per equalitatem unius eiusdemque substancie. Homo vero est in deo per participacionem gracie. Denique nullus sanctus potest dicere quod deus enim in me non sit aut dicere ego et deus unum sumus nec rursus qui videt me videt et deum. Hoc enim unigenito soli filio convenit qui sic est in patre ut sit equalis patri et sit unum cum patre cum quo illi est omnis honor et gloria in sancti spiritus unitate per omnia secula seculorum amen

Cum audissent quidam de turba sermones ihesu dicebat. Hic est vere propheta. Et reliqua.

Narratur in superioribus quia venit dominus iherusalem ad sollempnitatem scenophegie. Iam die festo mediante ubi doctrina sua infideles iudeos confundebat fideles instruebat. seque filium dei esse evidentissima assertione declarabat. In novissimo autem die eiusdem sollempnitatis stabat et clamabat. Si quis sitit veniat ad me et bibat. Illo igitur talia prosequente et ad dona spiritualia populos invitante nata est de illo in turba dissensio. Quidam enim audientes sermones eius dicebant. Hic est vere propheta. Iam enim isti aliquam sitim spiritualem haurire ceperant. quia sitim maximam infidelitatis deposuerant. Alii vero adhuc in sue infidelitatis ariditate permanentes dicebant. Numquid a galilea propheta surget. Nonne scriptura dicit. quia ex semine david et a bethlehem castello ubi fuit david propheta venturus est. Noverant quid de propheta predixissent prophete sed ignorabant omnia in ipso fuisse completa. Notum est enim cunctis fidelibus ut evangelica agit descripcione quod dominus in bethlehem natus est de virgine que de david descenderat. Ubi quia noverant eum in nazareth nutritum et tanto spacio ad iuventutem usque venisse. ad certum locum nativitatis illius non attendebant. Nec prophetiam quam legebant in eo completam videbant. Dissensio itaque facta est in turba propter eum. Quidam vero non solum in eum credere nolebant uerum etiam maiore sui salutis clementia volebat eum apprehendi. Et nemo misit in illum manus. quia ipse non permisit. qui conatus illorum sua potestate habebat. Venerunt ergo ministri ad pontifices et phariseos. Supra lectum est quomodo pontifices et pharisei miserunt ministros ut comprehenderent eum. Sed illi auditis sermonibus domini obliti sunt propter quod venerant. Redierunt ergo immunes a crimine pleni ammiratione. Quare inquiunt non adduxistis eum. O stulti et immemores. quare non intelligitis potentiam eius. quem comprehendere vultis. Vobis presentibus sepe locutus est et cum eum lapidare velletis illesus inter ictus vestros exiuit. teneri a vobis non potuit. Quare nunc ministros arguitis cur eum non adduxerunt cum neque vos ipsi si cum eis essetis illo nolente nichil agere possetis. sed sicut illi attoniti stupentes rediretis. Responderunt ministri. Numquam sic locutus est homo sicut hic loquitur homo. Ecce ministri testimonium perhibent doctrine Christi. Dicunt enim Numquam sic locutus est homo. sicut hic loquitur homo. Quid mirum ille qui loquebatur deus erat et homo. Verbum enim dei carnem humanam mediante anima suscepit. ita ut nec divinitas in humanitate confunderetur nec rursus humanitas in verbum converteretur. sed unus esset Christus perfectus deus perfectus et homo. Illi quidem veritati quam audierant testimonium reddebant. istorum vero corda superbe infidelitatis duricia stringebantur nec saltem suorum testimonio ad credendum adducebantur. Responderunt enim pharisei. Numquid et vos seducti estis. Seductorem Christum nominabant. et idcirco ministros suos ab eo seductos esse dicebant. Et revera bene et laudabiliter seducti fuerant quia declinantes a malo inheserant bono. Ministri ab infidelitate transierant ad fidem. Abnegantes diabolum confessi erant Christum. Numquid inquiunt et vos seducti estis. Numquid aliquis ex principibus credidit in eum aut ex phariseis. Sed turba hec que non novit legem maledicti sunt. Implebatur verissime in istis quod dominus dixerat. In iudicium ego veni in hunc mundum. ut qui non vident videant. et qui vident ceci fiant. Ceci enim facti fuerant legis doctores. et videre ceperant simplices legem nescientes. sed in eum qui auctor legis erat credentes. Agnoscebant Christum qui legem ignorabat et qui se scire legem putabat condempnabat eum. qui eis ipsam legem dederat. Dicit Nicodemus ad eos ille qui venit ad Ihesum nocte. qui unus erat corpore. Sed non erat eorum ordine. quia non tenebatur eorum iniquitate. Venerat ad dominum nocte cupiens secreta eius allocutione plenius instrui. Iam quippe credebat sed agnosci formidabat propterea et nocte uenit. quia propter illorum metum diu non est ausus uenire. Palam uenire nolebat. deprehendi metuebat. Hic ergo nicodemus dicit ad eos. Numquid lex nostra iudicat hominem nisi audierit ab ipso prius. et cognouerit quid faciat. In lege moysi salubriter et prudenter iussum fuerat. ut nemo absentem iudicaret uel dampnaret nisi prius in presentia iudicum ueniret. causamque suam exponeret. Sed pharisei peruersi iudicatores ante uolebant esse dampnatores quam cognitores. Nicodemus uero qui cupidus erat ueritatis qui erat in proposito bono putabat uel etiam credebat quod si illi tantummodo christum patienter audire uellent. mox sua sententia deponerent et in eum crederent. similesque illis fierent. quos ad eum comprehendendum miserant. Missi enim fuerant ut tenerent illum. sed redierunt admirantes et credentes in eum. Sed mentes perditorum nec isto modo conuerti potuerunt. Responderunt enim nicodemo. sicut et ministris suis iam responderant Numquid et tu galileus es. Galileum appellabat dominum quia de nazareth ciuitate galilee fuerat in contemptum generis eius. atque ideo omnes qui in eum credebant. tunc temporis galileos despectiue uocabant. Unde postea christiani primum apud ~~anti~~ antiochiam que est metropolis sirie appellari ceperunt. Numquid galileus es. hoc est a galileo seductus. Scrutare scripturas. et uide quia propheta a galilea non surgit. Neglecto loco ubi natus erat attendebant ubi conuersatus fuerat considerabant. atque ideo redemptorem non solum ut christum sed nec ut prophetam suscipere dignabantur. A galilea inquiunt propheta non surgit. Ille quippe dominus prophetarum inde surrexit. Sequitur post hec euangelista. reuersi sunt unusquisque in domum suam. Nullo enim perfecto negocio. uacui fide. et omni frustrati utilitate. reuersi sunt. Quorum impietati non sufficiebat quod in eum ipsi non credebant uerum etiam alios a fide prohibere et incredulitatis sue complices efficere festinabant. Sed nos qui ista legimus propter quos et scripta sunt oportet ut eorum studia in contrarium accipiamus. et ex illorum malis operibus occasionem salutis sumamus. mittamus ad christum ministros deuote intencionis nostre non ut eum ad mortem comprehendamus sed ut ipsi ab eo ad uitam comprehendamur. Recordemur cum omni reuerencia et summisso corde recognoscamus quod propter nos dominus ffēria sexta post dominicam passionis

homo factus est. auctor celi et terre patriam habere dignatus est in terra ut nobis patriam appareret in celo. Atque nos dici voluit galileus. qui erat semper et qui est super omnia deus. Atque hec et huiusmodi beneficia congrue et ut expedit recole. atque pro omnibus dignitas eius concedere gratias rependere valeamus. Secedamus a conventibus secularium hominum. redeamusque ad conscientie domum. ubi expeditis animis et a tumultibus mundanis feriatis misteria christi domini perscrutari. et solius iusticie memoriam possimus. Tunc enim veraciter exultabunt labia mea cum cantaverimus ei si eciam mea lingua redemit meditando iusticiam eius adheserit illi qui est cum patre et spiritu sancto sempiterna gloria per immortalia secula seculorum Amen. ~~Collegi~~

Collegerunt pontifices et pharisei consilium adversus Jhesum Et reliqua. //

Resuscitato a salvatore lazaro tanto ingenti miraculo. multi ex iudeis qui venerant vel viderant que fecit. crediderunt in eum. Quidam vero eorum. sive iam in eum crediderant. sive qui ad martham et mariam consolandi causa venerant. Abierunt ad phariseos. et nunciaverunt eis que fecit ihesus. sive pio studio ut et ipsi in eum crederent. sive gratia discendi ut certius eum scirent. Ad tantum illi malicia sua tenebrati et quos se verterent nescientes. videbant enim se signorum eius non posse superari. collegerunt consilium non ut converterent et crederent. sed ut eum nefanda conspiratione morte dampnarent. Ineunt consilium ut eum perderent non ut sibi consulerent. Quid inquiunt facimus. Magistri non dicebant credamus. sed adhuc exasperantes et adinvicem eius sese mutuo adhortantes dicebant. quid facimus quia hic homo multa signa facit. ~~Sed~~ Velint nolint confitentur. quia ille quem quasi hominem despiciebat sicut deus signis et miraculis coruscabat. Si dimittimus eum sic omnes credent in eum. et venient romani et tollent nostrum locum et gentem. Temporale regnum amittere timuerunt de vita autem eterna cogitare neglexerunt. atque ideo utrumque iustissimo dei iudicio amiserunt. Nam quadragesimo secundo anno post eius passionem. simul ac gloriosam ascensionem. venientes romani sub tito et vespasiano principibus. locum simul regnum et gentem illis abstulerunt ret ipsos ferro, fame et captivitate deleverunt. Et qui in pascha populum occiderant, in eadem sollempnitate ab hostibus captivati sunt. Quique in iniuria filii patrem ostenderant, opera a patre et filio, id est Vespasiano et Tito deleti sunt. Sequitur: et miseri ad eterna supplicia transierunt, iuxta quod alibi dominus dicens dixerat: Filii autem regni eicientur in tenebras exteriores. Venient Romani et tollent nostrum locum et gentem. Putabant iudei doctrinam eius que contra templum et paternas tradiciones esse, ideoque timebant ne si omnes in eum crederent, nullus remaneret qui pro civitate et templo contra Romanos pugnando resisteret. Unus autem ex ipsis Cayphas nomine cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam nec cogitatis quia expedit ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat. Quod cum a semetipso non dixisse, sed quia pontifex erat anni illius prophetasse agente ipso pontificatus sacramento quod indignus gerebat, subsecutus ewangelista ostendit dicens: Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetavit quia Ihesus moriturus erat pro gente. Quo loco discimus plerumque etiam malos per spiritum prophetie futura predicare. Unde et in iudicio domino dicturi sunt:

Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? Queri vero potest quomodo hic Cayphas dicatur pontifex anni illius, cum dominus per legem precepisset, ut unus esset tantum summus sacerdos, cui mortuo filius succederet et loco patris sacerdocium administraret. Sed sciendum hoc a primo Aaron usque ad David regis tempora servatum. Qui volens augere culturas templi, plures pontifices duo Achimelech agente creavit, qui per ordinem vicibus sibi succedentes ac per annos singulos ministrarent. Hinc Lucas ewangelista de Zacharia refert, quia cum sacerdocio fungeretur in ordine vicis sue ante dominum sorte exiit ut incensum poneret ingressus in templum domini. Potest et illi moderno tempore hoc per ambiciones dignitatum et contenciones constitutum fuisse apud iudeos, ut plures essent pontifices et vicibus annuis in templo domini ministrarent, quibus per terminum alii succedebant. Nam et de hoc Caypha Iosephus refert quod precio unius anni sacerdocium redimit ab Herode. Quod vero prophetavit dicens: Vos nescitis quicquam nec cogitatis quia expedit ut unus homo moriatur pro populo et non tota gens pereat. Hoc autem ait ewangelista a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetavit quia ihesus moriturus erat pro gente. et non tantum pro gente. sed ut filios dei qui erant dispersi congregaret in unum/

Prophetavit ergo caiphas quod pro iudeorum tantum gente xpm mori oporteret. sed ewangelista narrat eum pro salute totius humani generis passurum quatenus omnes qui ante secula predestinati erant ut essent filii dei in unum congregaret. et ex credentibus iudeis et gentibus unum gregem et unum ovile perficeret. sicut ipse alibi dicit. Et alias oves habeo que non sunt ex hoc ovili et illas oportet me adducere. et vocem meam audient. et fiet unum ovile et unus pastor//

Non enim iam tunc filii dei erant. sed ipse pro omnibus patiendo eos quos precioso sanguine suo redimendo ex filiis diaboli facit filios dei et convenientibus lupis in unum convenientibus ovibus esse constituit/

Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. Non quia et antea iam non hoc cogitavissent ut superius memoravimus conspirasse et verbis eum comprehendere voluisse legimus. sed quia tunc inevitabili scelere perficiende mortis eius constrinxerunt. et quo citius possent iniqua sua consilia accelerare decreverunt. Ihesus ergo iam non palam ambulabat apud iudeos sed abiit in regionem iuxta desertum in civitatem que dicitur effrem. et ibi morabatur cum discipulis suis/

Non utique ille qui est dux virtutum formidare poterat nec eum sue divinitatis potestas deseruerat. quia si vellet poterat palam inter iudeos conversari. et nichil mali ab eis pati. sed recedendo ac insidias inimicorum declinando nobis exemplum dare dignatus est. ut si tempus persecutionis ingruerit. non dubitemus refugii latebra querere. et furorem sceleratorum hominum latendo devitare/

Bene quod dominus relictis iudeis abiit in regionem iuxta desertum. significat quia illos qui quondam plebs dei. et adquisitionis peculium fuerant. ut sua perfidia et incredulitate relicturus erat. et ad gentes que quondam deserti fuerant a deo per apostolorum predicationem erat transiturus//

Nam et civitatis huius vocabulum in qua cum discipulis commoratus est. huic rei aptissime congruit/ Effrem namque fructificatio interpretatur nimirum signum presignans ecclesiam ex gentibus. que quondam sterilis et infecunda. postquam verbum fidei xpi suscepit spiritalibus bonorum operum fructibus abundare studuit. Et que aliquando terra perusta ac squalida. nichil virens gignere noverat. modo fructiferis arboribus. deinde /

in desertum fructuum gratiam simul et usum late porrigentem totum ppmat. non iam desertum sed meliori nomine hortus deliciarum et paradisus Dei dignatus est appellari. Redemptor autem noster quia sciebat instare tempus sue passionis voluit se absentare modicum a Iudeis expectans ut veniret pascha quod in promptu erat futurum. quo se illorum manibus sicut ante secula prefinierat apprehendendum traderet et crucifigendum. Cuius et nos sollemnitatem sacra quadragesimalium dierum observatio commonet vigilantissime expectare. Ideoque necesse est eius qui nos magno sui cruoris precio redemit clementiam votis sedulis exorare. ut nos ad remissionem peccatorum eiusque gratia et misericordia sua ad eum sibi placitos faciat pervenire. qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen

Amen amen dico vobis. nisi manducaveritis carnem filii hominis Et reliqua.

Hec sacra lectio plena est salutis eterne misteriis. et substancialibus anime sacramentis. Substancia quippe anime verbum Dei est. Nam que melior esse substancia potest quam cibum spiritalem desiderare. verbum Dei in se habere. immo in ipso manere qui vita est. quique omnibus prestat ut sint. Nam quecumque sine illo sunt. non solum non vivunt sed etiam mortui sunt. Qui vero huius vite vere substancie participes sunt. illi vere vivunt et sunt. nec ullo mortis attemptantur. quia vitam ipsam in se susceperunt. immo a vita suscepti sunt. Hoc tantum et tam admirabile premium in Christo et per Christum habemus Deum et Dominum nostrum. Qui cum sit verbum Dei. et panis supersubstancialis et supercelestis carnem suam nobis in cibum. sanguinem sacrosanctum concessit in poculum. quo ad eternam vitam veramque perficiamur substanciam sacramentorum mirabili quodam ineffabilique commercio. carnis et sanguinis eius misterio suscipientes ipsum verbum Dei dominum nostrum suscepisse fidelissime gaudeamus. Ad hanc spiritalem almoniam ad hoc misterium et divinum epulum nos dominus invitat tantamque necessitatem huius almonie nobis indicat ut aliam vitam in nobis habere non possemus nisi carnem eius manducaverimus et sanguinem biberimus. Exponit enim supra Ego sum panis vivus qui de celo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in eternum. Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Sed iudei [illegible]centes. litigabant ad invicem di tes. Quomodo potest hic nobis suam carnem dare ad manducandum? Non enim panem hunc intelligebant et audientes carnem exhorrescebant. Non enim corpus Christi videntes scandalizabantur in carne Christi. Sed dominus apertius nos quos iam sciebat credituros premonebat, quamvis illos cerneret verba sua non capere, immo horrere, ut tamen nos instrueremur. Adhuc subiecit et ait quod modo lectum est. Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in nobis. Filium hominis se utique dicebat cuius corpus cottidie sacerdotes immolant in altari. Apostolus enim dicit: Panis quem frangimus nonne corpus domini est, et calix quem benedicimus nonne sanguis domini est. Et ipse quidem in corpore quod de virgine assumpsit semel passus est. Resurgens enim a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Sed misterium sui corporis et sanguinis cottidie a fidelibus per sacerdotum ministerium fieri mandavit racionali sacramento, quia nimirum aliud est et aliud videtur. Videtur namque panis, sed est verissime corpus Christi. Nisi igitur manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in nobis. Vitam videlicet anime ipsum Christum intelligamus qui alibi dicit: Ego sum via veritas et vita. Quem habere est vitam eternam possidere. Unde adhuc apercius adiungit: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam eternam. Possunt quidem homines sine hoc cibo temporalem hanc vitam in presenti seculo habere, eternam vero vitam habere nequeunt, que solis sanctis carnem et sanguinem Christi digne sumentibus promittitur. Denique ne putarent sibi in isto cibo et potu sic promitti vitam eternam ut iam nec corpore morirentur, cum dixisset qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, continuo subiecit et ait: Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Nam qui digne Christi carnem comedit et sanguinem eius bibit, mortuus corpore habet interim secundum spiritum vitam eternam in illa pacatissima lucis et refrigerii requie collocatus. Quod vero ad corpus attinet, nec ipsum vita eterna fraudabitur, quia resuscitabitur in novissima die ultra iam moriturum. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est ~~cibus~~ potus. Carnales homines cum de cibo et potu solliciti sunt id appetunt ut non esuriant neque siciant. Et cibo quidem corporali ad tempus famis expleta pellitur. et potu sitis refecta contempnitur. sed egesto quod acceperat cibo ventre evacuato iterum incipit esurire. Cibus iste spiritualis et potus ita sumentes satiat. ut nesciat iterum esurire. quia eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit. Nam per hunc cibum pervenitur perfecta sanctorum societatis. ubi est plena pax. et unitas illa beata. qua commendat apostolus dicens. Unus panis unum corpus multi sumus in Christo. Ad hanc quoque demonstrandam dominus et redemptor noster corpus et sanguinem suum ex illis rebus voluit consecrari. que ex multis particulis ad unum rediguntur. Nam panis ex multis granis conficitur. vinum ex multis acinis in unum confluit. Sic et unitas ecclesie. que est corpus Christi ex multis fidelium personis consistat. Deinde subsequenter exponit. quomodo id fiat. et quid sit manducare corpus eius. et sanguinem bibere. Qui manducat inquit meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo. Hoc perfecto est hanc escam manducare. et hunc potum bibere. manere in Christo. et Christum in se habere mansorem. Atque adeo peccator aliquis et indignus qui non manet in Christo. et in quo non manet Christus. licet carnaliter et visibiliter manducat. et sacramentum corporis domini dentibus atterat et in visceram transfundat. non tamen spiritualiter manducare credendus est. Non ad salutem. sed ad iudicium manducat et bibit. cum indignus et maculatam habens conscienciam presumit ad terrificum et vivificum appropinquare misterium. quod nullus alius digne sumit nisi qui mundum cor habere studuerit. Domino dicente. Beati mundo corde. quoniam ipsi deum videbunt. Sicut misit me vivens pater. et ego vivo propter patrem. Et qui manducat me et ipse vivit propter me. Quod dicit se vivere propter patrem. de humanitate eius quam de homine accepit non de divinitate intelligi licet de natura eius qua minor est patre. non de illa qua est equalis patri. secundum quod alibi dicit. Sicut habet pater vitam in semetipso. sic dedit et filio vitam habere in semetipso. Quod aperte dicitur. genuit filium vitam habentem in semetipso. Vivit ergo filius propter patrem. quia a deo patre missus est in mundum. ut patris obediret imperio. Humiliavit se ipsum usque ad mortem crucis. Nos autem manducantes Christum vivimus propter eum. quia accepimus eternam vitam per eum quam non habebamus ex nobis. Namque efficitur dei filius ex participatione patris a quo illi equalis est natus, sed nos proficimus et meliores efficimur per participacionem eius, cum percipimus corporis et sanguinis eius unum ei et transfundimur in eum. Aliter ergo. Sicut misit me vivens pater, et ego vivo propter patrem. Et qui manducat me et ipse vivet propter me. Ac si diceret: Quod vitam meam ad patrem refero tamquam ad maiorem, humilitas facit incarnacionis mee secundum quam pater misit me. Quod autem vivit propter me qui manducat me, participacio facit corporis et sanguinis mei. Ego itaque vivo propter patrem quia homo factus sum, ille non vivit propter me [illegible]. Hic est panis qui de celo descendit. Ne putaret de quolibet filio hominis et non de se dixisse: Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis, ~~mod~~ [illegible] nunc dicit: Hic filius hominis est ille panis qui de celo descendit. Nam supra dixerat: Ego sum panis vivus qui de celo descendi. Filius ergo [illegible] hominis idemque filius dei, mediator dei et hominum, ipse est panis qui descendit de celo. Illum manducando vitam eternam habebimus. Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Mortui erant quia in eternum non vivebat. Hoc est [illegible] qui est vita eterna non habebat.

Non enim in multis illorum beneplacitum fuit deo, quia propter sua peccata prostrati sunt in deserto. Ergo hoc non de morte corporis dicit sed de morte anime. Nam et illi profecto temporalem mortem subituri sunt qui carnem Christi manducant, sed victuri sunt in eternum, hoc est in Christo, quia ipse est vita eterna. Et est sensus: Non sic morientur in anima qui hunc celestem panem digne manducaverint, sicut patres qui manna manducaverunt mortui sunt tamen in eternum propter suam incredulitatem. Multi itaque audientes ex discipulis eius dixerunt: Durus est hic sermo. Quis potest eum audire? Redemptore nostro talia loquente que supra exposita sunt, et spiritalem carnis sue cibum fidelibus promittente, quidam ex discipulis quos plures [illegible] promiserat, carnaliter verba eius accipientes scandalizati sunt, et verba domini dura acceperunt. Quis autem potest eum audire? Id est, quis potest illi obedire? Putabant enim eam carnem qua indutus erat particulatim incisam credentibus in se distributurum, et quasi hoc contra naturam esset hominum ut videlicet humana carne in cibum sumere, quasi de re difficillima et impossibili dixerunt: Quis potest eum audire?

Sciens autem ihesus quia murmurarent de eo discipuli eius. Respondendum est cum ista dixerant sic ut a domino non audirent. Sed ille quem nichil latebat quique bene illorum noverat cogitaciones respondit et ait. Hoc vos scandalizat. Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. Suspensa et quasi defectiva oracio est. Verum aperte exponit quid illos movebat. Illi quippe putabant eum corpus suum erogaturum quod se dixit perfectum. et integro corpore in celum ascensurum. Si ergo inquit videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. subaudiendum. tunc videbitis quia non eo ~~mo~~ modo quo putatis meam carnem credentibus distribuo. sed spiritali gracia in illos ~~dando~~ dando ipsos membra corporis transfundo. Et hoc granum non consumitur morsibus nec dentibus teritur. sed interioris hominis palato. Hoc est racione et intellectu mentis percipitur. Unde et communio dominici corporis. greco quidem. sed latino usitatissimo sermone eucharistia id est bona gracia appellatur. Videtur enim sanctus ille panis. quo corpus domini consecratur. et ~~uis~~ visibiliter recipitur. sed virtus verbi domini. ac divinitas qua eum percipientes sanctificatur. videri non potest. Ascendit ergo christus cum perfecto corpore suo. et reliquit nobis sacramentum corporis sui.

Notandum vero quod dicit. Si videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. Per quod intelligimus unam dei et hominis in christo personam. Unus enim est christus verbum. anima et caro. filius dei. et filius hominis. secundum quam unitatem persone in celo erat cum loqueretur in terris. Erat enim in celo filius hominis. quem assumpsit deus. Erat in terra filius dei. qui assumpsit hominem. Subiungit autem et exponit quid inter sit inter carnem et spiritum et quid inter carnaliter christum manducantem et spiritualiter accipientem. Spiritus est qui vivificat. caro non prodest quicquam. Quomodo dixerat nisi manducaveritis carnem filii hominis. et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. nunc dicat. caro non prodest quicquam. ideo si carnaliter verba mea intelligi velitis. ut sic carnem meam sicut alium cibum manducetis. caro vobis nichil prodest. Qui enim ita sumit corpus domini ut tantum putet esse quod videt. et nichil ibi misterii latentis intelligat. fit illi secundum fidem suam. Nichil enim illi prodest sumere [illegible] corporis christi sumere qui tantum panem credit nichil quod ab aliis cibis corporalibus differre intelligit. Caro enim nichil prodest. sed per carnem spiritus aliquid operatur.

per salutem nostram. quia per carnem Christi quam sumimus capiamus spiritalem eius gratiam vivificantem. Spiritus est inquit qui vivificat. quia spiritalis gratia facit nos unum ut maneamus in Christo. et maneat in nobis Christus. Et hoc fit per caritatem que diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Sicut spiritus hominis id est anima non vivificat nisi ea membra que in unitate corporis continentur. recisa vero membra non vivificat. sed relinquit ea mortua. ita spiritus sanctus non vivificat nisi eos qui in corpore Christi. hoc est qui in unitate consistunt ecclesie. Verba que locutus sum vobis. spiritus et vita. id est spiritaliter intelligenda sunt. et hec intelligentibus. Ergo verba Christi si spiritaliter intelliguntur. spiritus et vita sunt. Qui non carnaliter acceperunt. sciunt quid in se ipsis spiritus et vita. sed illis non sunt. qui ea carnaliter intelligunt. et quomodo sit vendri nesciunt. Unde sequitur. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. et ideo non intelligunt. Fides enim clavis est intellectus. propheta dicente. Nisi credideritis non intelligetis. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent credentes. et quis esset eum traditurus. Erat enim ibi Judas cum illis unus qui in verbis domini scandalizati fuerant. sed eum nec tacuit. nec aperte demonstravit. ut omnes timerent quamquam solus ille periturus ~~erat~~ esset. sicque timentes in fide solidarentur. Quare vero non crederent. exponit causam eum subiungens. Propterea dixi vobis. quia nemo potest venire ad me. nisi fuerit ei datum a patre meo. Neque enim fidem. neque aliud donum habere possumus. nisi ~~a~~ nobis a deo prius detur. Nullus ergo locus gloriandi alicui in se ipso relinquitur. sed in deo. cuius gratia omne bonum fidelibus datur. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro. et iam non cum illo ambulabant. Abierunt retro. quia consecuti sunt post sathanam. precisi ab unitate Christi. quo non vere Christo inheserunt. sed aliqua necessitudine ad tempus illuc secuti fuerant. Dixit ergo Jesus ad duodecim. Numquid et vos vultis abire. Ad duodecim hoc locutus est. inter quos adhuc erat et Judas. manebat corpore. sed iam discesserat mente. Nondum hoc dixit. sed adhuc eum ignorabat. Futurum ~~tam~~ tamen erat. ut in proximo manifestaretur. et recederent ab hiis etiam corpore. a quibus animo longe distabat. Respondit Petrus unus pro omnibus. Domine ad quem ibimus. si a te recedimus. Ubi inquam similem reperimus. Verba vite eterne habes. quia vitam eternam nobis promittis in ministratione corpus Domini. Et nos cognovimus et credidimus. Ordo preposterus: primo enim est credere, postea cognoscere, quia per fidem itur ad cognicionem. Dicit ergo cognovimus et credidimus pro eo quod est credendo cognovimus. quia tu es Christus filius Dei. Hoc est: tu es vita eterna. Cognicio namque filii Dei vita eterna est, sicut ipse alibi dicit: Hec est autem vita eterna ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Ihesum Christum. Credidimus inquit quia tu es Christus filius Dei. Tu es vita ipsa eterna, et tu das nobis carnem tuam et sanguinem, non aliud das nisi quod es, vitam eternam. Respondit Ihesus: Nonne ego vos duodecim elegi et unus ex vobis est diabolus. Hoc quare dixerit evangelista aperire curavit subdens. Dicebat autem de Iuda Symonis Scarioth. Hic enim erat eum traditurus, cum esset unus ex xii. Unus erat ex xii numero non merito, sub numero non fide, sed callida simulacione. Querendum non quare Iudas cum reliquis apostolis electus dicatur qui filius erat diaboli. Sed aliter fuerat ille electus, aliter apostoli. Hii enim electi sunt ut permanerent in Christo et ut per illorum predicacionem fides eius mundo innotesceret, atque in omnem terram sonus eorum exiret. Electus est et Iudas ut per eum divine dispensacio misericordie in salutem generis humani impleretur. Bonitas enim Dei malicia illius bene utebatur ut unde ille periret nos redimeremur, sicut quondam in vendicione Ioseph fratrum malicia fratrum eum distrahencium bene usa est pietas Dei ad salutem multorum populorum. Duodecim autem apostolos Dominus elegit propter huius numeri venerabile sacramentum. Siquidem duodenarius numerus partibus septenarii multiplicatur, que sunt tria et quatuor. Sive enim ducti ter quaterni sive quater terni duodecim sunt. Et ternarius quidem ad sanctam refertur trinitatem, quaternarius vero ad quatuor cardines mundi spectat, quia duodecim predicatores electi sunt per quos fides sancte trinitatis per quadripertitum orbem annuncianda erat. Hii sunt duodecim fontes in Helim. Hii duodecim panes proposicionis. Hii xii exploratores quos misit Moyses ad explorandam terram Chanaan. Hii quoque xii leunculi qui fuerunt in throno Salomonis. Hee duodecim porte quas Ezechiel et beatus Iohannes in apocalypsi vidit a iiii plagis mundi ternas per singulas plagas distributas. Nam et ipse annus xii mensibus currit, et signa per que sol discurrit hoc numero distinguntur. De quo numero licet Iudas perierit, non tamen honor numeri ademptus est (feria secunda post palmarum est ewangelium) (sed et passio continuatur)

cuius in locum pereuntis mathias subrogatus est. Propter hanc namque huiusmodi excellentiam xii dominus apostolos elegit quibus alibi promisit dicens. Sedebitis super sedes xii iudicantes duodecim ~~tent~~ tribus israel. Quod nobis prestare dignetur. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat

Ante sex dies pasche venit ihesus bethaniam ubi lazarus erat mortuus. quem suscitavit ihesus. Et reliqua

Descripta superius sancti evangelii mirabili quadriduani lazari resuscitatione. quasi dei filius vivorum et mortuorum dominum evidentissime declaravit. subsequenter continuo quam multi ex iudeis. qui venerant ad mariam et viderant que fecit. crediderunt in eum. Quidam vero ex ipsis. abierunt ad phariseos. et dixerunt eis que fecit ihesus. Pharisei vero tante rei novitate perculsi. et infidelitatis sue nubilo tenebrati. collegerunt concilium et dicebant. Quid facimus. quia hic homo multa signa facit. atque ab illo die cogitaverunt ut interficerent eum. Et ut paulo post dicit. Dederant mandatum ut si quis cognoverit ubi sit indicet ut apprehendant eum. Ihesus vero qui futura omnia previdebat. iam non palam ambulabat apud iudeos. sed abiit in regionem iuxta desertum in civitatem que dicitur effrem. et ibi morabatur cum discipulis suis. Postea autem cum iam proximum esset pascha iudeorum ut ostenderet dominus se non timore mortis sed sue causa dispensationis refugisse sicut modo lectum est. ante sex dies eiusdem pasche. Primo quidem venit bethaniam. Deinde iherosolimam. Iherosolimam quidem. ut ibi passionis sue sacramentum impleret. Bethaniam vero. ut resuscitatio lazari memorie omnium circumstantium imprimeretur. magisque amplius principes confunderentur. et inexcusabiles convincerentur. qui non timuerunt eum occidere. qui poterat mortuos suscitare. a cuius nece iustissima nec beneficiis provocati. nec divina virtute perterriti animum revocare volebant. Considerandum sane quam multa in redemptionis opera in senario numero perfecta invenimus. Denique mense sexto per angelum annunciatus. et virginalis uteri sacrosanctis visceribus conceptus est. In perfecta etiam etate. sexta hora super puteum sedens. samaritane mulieri divini fontis latices aperire dignatus est. Sexta quoque mundi etate venit in mundum. et sexta feria creavit hominem. propter quem multiplicionis sexta feria redimendum. ante sex dies pasche. sicut nunc lectum venit dei filius bethaniam. Quibus ergo causis. magnam senarius numerus in sacris scripturis obtinet dignitatem quia eo sex perfectus esse cognoscitur. Partes namque eius sunt sexta quod est unum. tercia duo. media tria. Que in unum redacte sine ulla exuberancia superfluitatis aut detrimento imminucionis eundem senarium representant. Unum enim. duo. et tria. sex sunt. Nullus quoque alius numerus intra denarium reperitur qui sic integerrime impleatur. Hec vero partes senarii numeri habent aliquid misterii ex dignissimo sacramento nostre salutis quod possit aptari. Primum namque seculi tempus fuit sub lege nature. sub qua sancti patres qui ante legem fuerunt deo servierunt. et hec fuit quasi quedam unitas. Secundum constitit sub lege data per moysen. ut quod viciaverat natura lex bene reformaret. Erant duo natura et lex. Tercium seculi tempus nunc agitur sub gratia quando ut apostolus dicit. apparuit gratia dei omnibus hominibus. Quoniam sic liberum arbitrium. et lex moysi. sine gratia salutem humanam perficere non valebant. sicut nec unitas aut binarius. sine ternario senarium perficere nequeant. Cum ergo venisset dominus bethaniam. fecerunt ei cenam ibi devote ministre et fideles discipule eius. martha scilicet et maria sorores. et martha more sibi solito ministrabat.

Lazarus vero frater earum unus erat ex discumbentibus cum domino. Sicut enim dicunt mortuum dudum non vere sed fantastice eum suscitatum. ideo et lazarus cum domino discumbebat. ut dominum cum vivente loquente epulante. ac cum suis familiaris consedente aspicerent. saltem se dominum qui eum suscitaverat potencia cognoscerent. Mistice autem hec cena que domino preparatur fidem designat sancte ecclesie. In qua martha ministrat cum fidelis anima opera sue devotionis domino impendit. Lazarus vero qui unus erat ex discumbentibus cum domino eos significat qui post acerbissima peccatorum mortem ad iusticiam per penitenciam resuscitati sunt. et cum innocentibus qui in iusticia permansere celestis gratie dapibus reficiuntur. Bene autem hec cena in bethania celebratur que est civitas in latere montis oliveti sita et interpretatur domus obediencie. satis premonstrans ecclesiam que fideliter iussis sui conditoris obtemperat. et est super montem oliveti. hoc est misericordie constituta. quia ecclesia super Christum fundata est. Aptissime quoque in latere eiusdem montis quia ecclesia ablutionis aqua et sanguinis purificationis. que de latere Christi in cruce pendentis manaverunt. imbuta est. Maria autem accepit libram nardi pistici preciosi et unxit pedes domini Ihesu et extersit capillis suis pedes eius. Nardus aromatica species est, que fertur principalitatem tenere in unguentis. Pisticum autem unguentum vere fidele dicitur, quia incorruptum et ideo preciosissimum erat. Quodque unguendis pedibus domini sive secundum Matheum perfundendo capiti dignissime comparatur. Verum in hoc facto Maria non solum sue magne dilectionis, qua erga dominum certabat, dedit indicium, verum etiam aliarum fidelium animarum pietas signavit obsequium. Libra namque unguenti perfectionem iusticie figuratur. Pulchre vero hoc unguentum ex nardo pistico factum memoratur. Unguentum namque odorem bone opinionis insinuat, apostolo teste qui ait: Christi bonus odor sumus deo in omni loco. Et hoc unguentum ex nardo pistico, id est fideli, confectum erat, quia sine fide impossibile est placere deo. Nec potest esse bona fama sine fide catholica. Quid vero per pedes domini nisi humilia membra eius in ecclesia accipere debemus? Capilli vero superfluunt corpori et incisi non dolent. Quid ergo per capillos nisi exterior substancia designatur? Capillis ergo pedes domini tergimus, cum ea que superflua possidemus pauperibus et quibuslibet minimis ~~satagere~~ erogare satagimus. De qualibus in iudicio dicturus est: Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, michi fecistis. Domus autem impletur ex odore unguenti, cum ecclesia respergitur religiose vite fama bona. Hinc in canticis canticorum ecclesia loquitur: Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Ubi aptissime per hoc quod semel Maria fecerat, quidquid vel sancta ecclesia vel unaqueque fidelis anima agit exprimitur. Dicit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Scarioth, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis et datum est egenis? Putaremus fortasse propter curam pauperum Iudam hec fuisse locutum, sed sanctus evangelista qua mente id locutus sit aperire curavit, subdens: Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat et loculos habens ea que mittebantur asportabat. Non ergo tunc putemus perisse Iudam quando corruptus pecuniis dominum et magistrum prodidit, sed iamdudum perditus eum sequebatur, qui loculos, id est sacculos, habuit dominicos, in quibus a religiosis viris pecunia domino oblata reponebatur. Portabat ea que mittebantur in ministerium pauperum eroganda, que etiam infideli et scelesti mente furari consueverat. Videns enim dominus cor illius cupiditatibus et avaricie sorde pollutum commisit eius fidei quidquid vel ad quotidianum victus ministerium vel ad danda pauperibus elemosina habebat in sacculis, cuique de his que vellet agere permisit, quo eius animum vel collati honoris gratia vel habite pecunie memoria a nefanda perdicione revocaret. Sed quia avaricie modum ponere noluit, in tantum facinus prolapsus est ut a furto pecunie perveniret ad tradicionem domini qui sibi ipsam pecuniam commiserat conservandam. Sed sicut iste dampnatus est qui tam laudabili sancte mulieris facto invidens derogabat, ita etiam omnes illius complices eadem pena plectendi sunt qui famam virtutis quam ipsi habere nolunt proximis qui habent invidere non cessant. Dicit ei Ihesus: Sine illam ut in die sepulture mee servet illud. Tamquam iudicis simplicis et innocentis cum iste dixisset, dominus mansuete ei respondit et ad quod misterium huius rei pertineret exposuit, quod videlicet esset moriturus. Ideo quia Marie cui quamvis multum desideranti ad unctionem mortui corporis eius pervenire non liceret, donatum esse dixit adhuc viventi impendere sue devotionis obsequium, quod post eius mortem celeri resurrectione preventa implere nequiret. Hinc est quod Marcus dominum de illa dixisse testatur: Quod habuit inquit hoc fecit, prevenit unguere corpus meum in sepultura. Ac si dicat: Quia ad corpus meum defunctum tangendo non potuit, quod potuit fecit, et me talis funeris officio prevenire studuit. Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Patet enim hic dominus Iudam arguit avaricie gratia et non cura pauperum de pecunia loqui, sed magno paciencie moderamine ostendit se pro adhuc tempore corporaliter in mundo mansurum. Pauperes enim quibus elemosina possit impendi dixit semper habendos, atque ideo non esse obiurgandos eos qui tam parvo tempore ei inter homines conversanti de suis facultatibus ministrarent. Cognovit autem turba multa ex Iudeis quia illic est, et venerunt et ad Ihesum ut viderent quem suscitavit a mortuis. Curiositas istos non caritas adduxit, que tamen non infructuosa erat, quia venientibus et Lazarum quem suscitaverat mortuum videntibus resuscitatum vel sic poterunt in Christum credere, sicque ab ista curiositate proficerent in caritate. Nota autem quia iam cognovimus Bethaniam, id est Bethaniam in qua Christus mansionem faciebat. Veniamus illuc non solum ut videamus hominem a morte [illegible] suscitatum et spiritali vita donatum. Si etiam ut boni cuius vitam imitando ad visionem domini ihesu valeamus pertingere cum ipso in bethania. id est in celesti vita contemplari. Hec est vera bethania quam nullus nisi obediens valet introire. Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et lazarum interficerent. quia multi propter illum abibant et credebant in ihesum. O stulta impiorum calliditas et ceca versucia. Cogitaverunt occidere lazarum suscitatum. quasi non posset dominus suscitare occisum. qui potuit suscitare defunctum. Sed dominus utrumque se posse docuit. qui lazarum mortuum et seipsum suscitavit occisum. In crastinum autem turba multa que venerat ad diem festum. cum audissent quia ihesus venit iherosolimam. et cetera usque rex israel. Rami palmarum qui domino turbis obviam ei procedentibus offerebantur. significabant victoriam qua dominus erat mortem moriendo superaturus. et diabolo mortis principe per crucis tropheum triumphaturus. Hoc sane verbum hebraicum quod est osi osanna ex corrupto integroque compositum est. Osi namque apud illos dicitur salva sive salvifica. anna vero interiectio est obsecrantis. Consumpta ergo .a. littera que prius verbum terminat per virtute aleph a qua sequens sermo incipit. dicitur osanna quasi osianna. Osanna ergo interpretatur salva obsecro. Benedictum autem qui in nomine domini venisset. Hoc est in nomine dei patris consultantibus populi clamat innota quod ipse dicit. Ego in nomine patris mei veni. et non suscepistis me. Magister enim humilitatis qui se humiliavit factus obediens patri usque ad mortem. non in suo sed in dei patris nomine se venisse dicit. ut nobis humilitatis exemplum prebeat. quamquam possit intelligi etiam in suo venisse nomine. Nam et ipse dominus est. sicut scriptum est. pluit dominus a domino. Turbis igitur benedictum qui venerat in nomine domini regem israel triumphali preconio acclamantibus. tacebant mentes invidentium principum. Sed quid magnum fuit christo qui est rex seculorum rex fieri hominum. Rex erat igitur israel. non ut tributum exigeret. non ut hostes armis materialibus debellaret. sed ut veri israel id est mente se contemplantes regeret. et ad celeste regnum in se credentes sperantes quos perducat. Et invenit ihesus asellum. et sedit super eum. Hoc quidem beatus iohannes breviter commemorat. sed alii evangeliste qualiter gestum sit plenissime describunt. sicut scriptum est. Noli timere filia syon. Filia syon ecclesia est que adhuc terris peregrinatur. Filia civis celestis. que in celestibus iam sublimata renudata facie et gloriam domini speculatur. Unde bene syon speculatio interpretatur. Hec filia syon multa multitudine erat, que festiua agmina deducebat, fideli deuocione laudabat. Noli inquit timere, sed agnosce illum cuius fuso sanguine delicta omnia delebuntur et uita eterna donaberis. Sedens super pullum asine. Per asinam que cum pullo adducta est plebs iudaica figuratur, per pullum uero super quem nullus sederat gentilis populus accipitur, qui legem et cognicionem dei a nullo doctore susceperat. Utrumque ergo iumentum dominus iherusalem inducit, quia credentes ex utroque populo ad superne ciuitatis gaudia perducit. Hec non cognouerunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est, id est quando a mortuis resurgendo potenciam sue uirtutis ostendit, tunc recordati sunt quia hec erat scripta de eo. Uidentes namque ea que uel a domino uel in domino fiebant, conferebant ea cum hiis que in propheticis libris legebant, sicque intellexerunt omnia hec ante de christo predicta, inter que etiam hoc prenunciatum fuerat, quod super pullum asine sessurus esset. Testimonium ergo perhibuit turba que erat cum eo quando lazarum uocauit de monumento. Simplicis turbe exultantis ad tam mirabile signum quedam fauore id quod factum fuerat efferebat, et testimonium perhibebat. Nos inquiunt presentes fuimus, nos mandatum sedulis miraculum uidimus, ipsum etiam lazarum surgentem et adhuc linteo obuolutum, institis manibus pedibusque ligatum aspeximus. Hec et plura alia in testimonium uirtutis quam uiderat referebat, presertim quod cum domino iherosolimam ueniebat. Propterea inquit euangelista obuiam uenit ei turba, quia audiebant eum hoc fecisse signum. Pharisei ergo dixerunt ad semetipsos: Uidetis quia nichil proficimus. Ecce mundus totus post eum abiit. Non mirum si taliter loquitur turba et racionis nichil habentibus. Quid enim mirum si post eum uadit mundus per quem factus est mundus. Erant autem quidam gentiles ex hiis qui ascenderant ut adorarent in die festo. Et reliqua usque andreas rursus et philippus dixerunt ihesu. Ecce iudei eum dominum persequuntur et odiunt, gentiles et alienigene amplectuntur et diligunt. Illi execrantur et refugiunt, isti ueniunt et ambiunt. Denique illi eo occasione paschalem sollempnitatem innocentis sanguinis macula fedant, isti eo ipso salutari purgacione suas animas mundare desiderant. Sed audiamus quid dominus respondeat. Uenit hora

162

ut clarificetur filius hominis. Nemo putet ideo dominum se dixisse glorificatum. quia gentiles eum videre volebant. sed quia providebat gentes post suam resurrectionem credituras. ideoque postulatorum gentilium occasione qui eum videre cupiebant. annunciabat futuram plenitudinem omnium gentium. De qua apostolus dicit/ Cum plenitudo gentium introierit. tunc omnis israel salvus fiet. Ait ergo. Venit hora ut clarificetur filius hominis. Horam sue glorificationis tempus dicit post suam ascensionem. quando per ora apostolorum omnibus gentibus erat predicandus. Sed hanc altitudinem glorificationis oportuit precedi humilitate passionis. Unde secutus adiunxit. Amen amen dico vobis nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit. multum fructum affert. Granum frumenti se ipsum dicebat/ mortificandum in infidelitate iudeorum. vivificandum fide omnium populorum. Cuius grani sacro sepulto fuit. Occacio vel lapidis ad ostium monumenti advolucio. Deinde post resurrectionem velut herba tenera in quorundam fide nec dum robusta prorupit. Postea multum fructum attulit. cum predicatione apostolorum universitatem gentium ad fidem suam ad fidem suam colligit. Vidimus iactu huius purissimi et singularis grani per universum mundum innumera electorum grana excrevisse. qui per illius dilectionem mortificati multum fructum attulerunt. quia post parvi temporis laborem dominum sequentes et vestigia sua imitari querentes cum venacionem pervenerunt. Notandum vero quod cum sint innumera seminum genera. solummodo grano frumenti se dominus comparavit. Quare nobis et ecclesiasticus obtinuit ut sacramentum dominici corporis non ex quolibet alio. sed ex pane frumenti grano confecto conficeretur. Quia igitur hic de sua passione predixerat. ad eiusdem passionis nobis imitanda vestigia hortatur subdens. Qui amat animam suam perdet eam. Anima in sacro eloquio. gemino intellectu accipi solet. Est enim anima rationabilis quedam immortalis que substancia natura ignea. motu temperabilis. organum membrorum vivificando et regendo corpori attributa/ Dicitur enim anima presens vita. habitacio scilicet anime cum corpore. que isto corporeo cibo conciliatur. unde quod et alibi legimus dicente domino/ Ne solliciti sitis anime vestre quid manducetis. Et paulus neque enim preciosiorem facio inquit animam meam quam me. Hoc ergo sensu et hic anima intelligenda est per ponti videlicet vita. Quod autem ait: qui amat animam suam perdet eam. Et reliqua. Dupliciter est sentiendum. Qui amat animam suam, hoc est vitam suam, eo amore quo in deo et secundum deum amanda est, perdet eam, scilicet ut eius concupiscentias frangat, illicitos appetitus obterat, libitus enervet, sic quod eam a noxiis abstrahendo rebus honestis assuefaciat. Vel ita: qui amat animam suam inutili dumtaxat et nocivo amore, ut eam in suis totum concupiscenciis foveat, cunctisque carnalibus voluptatibus adquiescat, hic talis profecto perdet eam in futuro. Cui sensui magis subiecta sententia assentire videtur: Et qui odit animam suam et reliqua. Quo loco dicitur: qui odit animam suam, et additur in hoc mundo, et supra ubi dictum est qui amat animam suam, subaudiendum debet in hoc mundo. Ergo qui odit animam suam, hoc est vitam suam in hoc mundo, ut fortiter ad eius abterendas libidines militet, eius desideriis reluctetur, hic utique in vitam eternam custodit eam. Fit quoque miro modo ut eam et amando perdamus et odiendo servemus. Fecerunt hoc sancti martires, qui in presenti vitam suam odio habuerunt ut eam utiliter odiendo servarent, ne inutiliter diligendo perderent. Sane cum dominus: qui odit animam suam et reliqua, amandum ne nobis surripiat ille insanus intellectus, ut putemus nobis ipsis pro amore martirii manus inferendas. Fecerunt hoc quidam nequissimi homines tanto quam immaniores homicide quanto sui mactatores, qui ut nomen martirii caperent aut ignibus se mitterunt aut precipiciis inciderunt aut fluminibus se suffocaverunt. Non hoc precepit dominus, ymo si persecucionis tempus ingruerit de civitate in civitatem et de regione in regionem fugiendi preceptum dedit. Qui cum beato Petro qua morte deum esset clarificaturus predixit: cum esses iunior, et reliqua usque quo non vis. Quibus verbis non eum a se ipso sed ab alio significavit fore perimendum.

Non igitur cuiquam ut premissum est sibimetipsi pro laude martirii mors impia debet infligi, verum imminente passionis articulo, si audiencie comprehensus fuerit huiusmodi proposita condicione, ut aut vivendum sit negato Christo aut moriendum confesso, hic magis debet eligere mori dilecto Christo quam vivere offenso. Qui michi ministrat me sequatur. Paulo diligencius investigandum quid hic sit ministrare Christo. Neque enim illi soli ministrare Christo credendus est qui ei aliquid temporalis obsequii beneficium impendit, domum videlicet ornando, alimenta ministrando atque huiusmodi que in se humane fragilitatis exposcit. Ut ministerium illi agere potuerunt qui eum in carne presentem videre meruerunt. Sicut martha et soror eius maria, carusque germanus lazarus, qui ut legitur unus erat discumbentium cum domino. Neque solummodo boni sed et mali talia domino ministraverunt. Nam et iudam domino ministrasse, de quo scriptum est quia loculos habebat, licet exinde sacrilege scelestus furaretur et ea que mittebantur asportaret. Sed non omnes qui tali modo domino ministraverunt huius beate retributionis participes esse meruerunt, quia et iudas reprobatus est potius et dampnatus quam honorificatus. Ministrat igitur christo qui eius vestigia imitantur, in eius itineribus incedunt. Ideoque cum dixisset qui michi ministrat, mox addidit me sequatur, id est me imitetur, vias meas ambulet non suas. Verum christo ministrat qui in omnibus que agit non que sua sed que ihesu christi sunt querit. Ministrant et suarum mentium vertice veluti cedri sublimia contemplando extollunt. De torrente igitur in via bibet, quia mortem per transitum gustavit. Propterea exaltavit caput, quia resurgens celos conscendens ad dexteram patris collocavit. Unde apostolus: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et deus illum exaltavit. Nos etiam et si de torrente bibimus, non tamen in via, quia non per transitum mortem gustamus, sed nostra resurrectio in longum differtur. Sciebat autem et iudas qui tradebat eum locum, quia frequenter convenerat illuc cum discipulis suis. Iudas proditor domini, quia iam pridem eum tradere disposuerat, diligenter attendit locum in quo dominus cum discipulis suis retrahere consueverat. Lupus namque ille ovina pelle contectus, et alto magni patris familias consilio domini inter gregem toleratus, locum didicit ubi et pastorem insidiis appeteret et exiguum gregem ad tempus dispergeret. Luporum quippe mos est caulas ovium circuire et gregis dispersionem desiderare. Iudas ergo cum accepisset cohortem et a principibus et phariseis ministros. Et reliqua. Cohors non iudeorum fuisse intelligenda est sed militum romanorum. Datur ergo intelligi quod iudas a preside cohortem accepit, tamquam ad tenendum reum, ut servata publica dignitate si quis vellet resistere non auderet. Accepit et a principibus et phariseis ministros, ut si quis vellet obsistere non posset. Tanta ergo manus iudeorum congregata erat et armata veniebat, ut vel terreret re vel expugnarent si esset qui ipsum defendere auderet. Inimici quippe domini sic ista agebant. quasi necessaria putarent adversus eum. adversus quem nichil potuissent nisi ipse voluisset. Bonus enim bene usus est malis. ut de malis faceret bonos. Querebatur ergo dominus teneri ut infirmus et fragilis. sed ipse deitate et omnipotencia sua occultavit. et fragilitati assumpte carnis. sub humani corpusculi specie ostentavit. Venit illuc cum laternis. facibus et armis. Probabile et sicut ewangelista narrat. lux vera que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. cum luminibus querebatur. et tunc quidem in nocte. quia ipsi qui eum querebant nox erat. Unde eis dominus secundum alium ewangelistam dicit. Hec est hora vestra et potestas tenebrarum. Non si diceret Quia tenebre estis. ideo in tenebris valetis. Jhesus itaque sciens omnia que ventura erant super eum processit et dixit eis. Quem queritis. Dominus Jhesus quia deus erat. omnia que ei ventura erant sciebat. Quod volens ewangelista ostendere ait. Jhesus itaque et cetera. Destruitur autem hiis verbis eorum error. qui dicunt dominum non sponte. sed coactum advenisse ad passionem. Ecce enim ewangelista quia ultro se offerens quem queritis inquit. Iste qui non latuit. sed ultro se querentibus obtulit patet quia non coactus sed sponte passus est. Quare autem eos interrogavit. Numquid nesciebat. Non utique. sed ut illis dicentibus Jhesum nazarenum. ipse apertius responderet ego sum. Stabat autem iudas qui tradebat eum cum ipsis. Hunc locum alii ewangeliste non commemorant. Nec mirum eum et ipse hoc hic loco quod pretermisisse. sicut mattheus narrat. dominum dixisse. Amice. ad quid venisti. Et lucas. Juda. osculo filium hominis tradis. Et deinde subdit que mattheus commemorat. Datur ergo intelligi quia mox ut venit osculatus est eum. et statim [illegible] illum. Et tunc factum est quod hic subditur. Ut autem dixit eis ego sum abierunt retrorsum et ceciderunt in terra. Sed dicat aliquis quare ~~inimici~~ adversarii domini abierunt retrorsum et ceciderunt in terra. Ergo quia terribilem se eis ostendit. Ostendit quippe eis sue maiestatis claritatem. Unde valde miranda dei est et detestanda malorum clemencia qui nec sub tanta claritate credere voluerunt. Ubi tunc erat cohors militum Romanorum. Ubi ministri principum et phariseorum. Ubi terror et munimen armorum. Una quippe vox dicentis. ego sum. tantam turbam odiis ferocem armisque terribilem. sine ullo telo percussit. repulit atque prostravit. Ego sum dixit. et impios deiecit.

Quid ergo facturus est iudicaturus qui hoc fecit iudicandus? Quid poterit regnaturus qui hoc potuit moriturus? Audierunt enim Ego sum, sed quare eum non comprehenderunt cum invenissent quem quesierunt? Videlicet quia hoc noluit ille qui omnia que voluit potuit. Sed summopere animadvertendum, cum evangelista dicat de adversariis domini ceciderunt in terram, premisit abierunt retrorsum. Novit quippe sacre scripture more est ut bonos dicat cadere in faciem, malos vero retro. Qui enim in faciem cadit videt ubi cadit. Qui vero retro cadit ibi profecto cadit ubi non videt. Boni ergo dicuntur in faciem cadere quia humiliant se in presenti et se peccatores confitentur. Mali vero retro, quia que eos pena maneat non vident et peccatores se esse agnoscere contempnunt. Propterea evangelista de adversariis domini dicit abierunt retrorsum et ceciderunt in terram. Quod tamen hic evangelista specialiter de quibusdam persecutoribus domini dicit, hoc Iacob patriarcha prophetans de antichristo, de omni quoque mundi amatore generaliter loquitur dicens: Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi ut ascensor eius cadat retro. Cerasta enim grece latine cornua dicuntur. Unde cerastes dicitur serpens cornutus, per quem antichristus designatur qui de tribu Dan nasciturus est, quoniam coluber erit et cerastes. Coluber quo umbras ad se peccatores colit ad se diligit. Cerastes vero quia contra iustos potestatis cornua exercebit. Per equum vero designatur mundus, per ascensorem equi amator mundi, per ungulas equi finis mundi. Cerastes ergo id est antichristus ungulas equi mordebit, quia in mundi fine apparens amatores eius seducet. Iterum ergo interrogavit eos: Quem queritis? Hic super sicut dictum est queri debet cur eos interrogaverit, nunquid inscius. Non utique, sed ut illis dicentibus Ihesum Nazarenum competenter responderet: Ego sum. Tamquam diceret: Si potestatem comprehendi accepistis et me comprehendere venistis, quem non comprehenditis dum in presentia habetis quem queritis? Videlicet quia non vi sed nutu est potestatis. Cuius quidem monstravit impletum quod dominus superius dixit: Potestatem habeo ponendi animam meam et cetera. Si ergo me queritis sinite hos abire. Ac si diceret: Nondum instat tempus ut paciar. Sed quia hii infirmi sunt et nec dum in me credunt sicut eos credere oportet, sinite eos abire ne pereant. Et notandum quia et si quirebat ut hos imperabat tamen ut dominus primitus audiit et fecerit quod iussit dimiserit eos abire quos ipse volebat perire. Cur autem hoc imperaverit evangelista demonstrat subiungens. Ut impleretur sermo ihesu quem dixit quia quos dedisti michi non perdidi ex eis quemquam. Sed an eos perderet si tunc morerentur. an non postea morituri erant. Erant utique sed fortiores in fide. Tunc quippe infirmi erant et necdum credebant quemadmodum credunt quicumque non pereunt. Ecce enim petrus nondum comprehensus ad vocem huius mulierculae christum negavit. Quid faceret si comprehenderetur. Multo utique magis negaret. Negavit itaque et mortuus est. Si enim christum confiteri vita est negare christum profecto mori est. Symon ergo petrus habens gladium eduxit eum et percussit servum principis sacerdotum et amputavit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen servo malchus. Huius loci omnes evangeliste faciunt mentionem sed solus iohannes nomen servi expressit sicut solus lucas narrat dominum tetigisse auriculam eius et sanasse illam. Petrus igitur ut ostenderet quo affectu teneretur erga magistrum videns eum comprehendi evaginato gladio amputavit auriculam servi eo animi ardore quo et alia hoc gessit. Interpretatur autem malchus rex sive regnaturus. Unde apte significat populum iudeorum qui bene servus dicitur quia carnalis erat et carnali timore deo serviebat. Servus etiam dicitur propter agar id est litteram legis que eum genuit in servitutem. Unde dicit apostolus littera occidit. Per auriculam dexteram designatur spiritualis intelligentie auditus. Factus ergo servus auriculam dexteram perdidit cum auditum spiritualis intelligentie amisit. Tunc ergo dominus eius auriculam tetigit et sanavit cum per occulta inspirationis ei spiritualis intelligentie auditum restituit ut amputata vetustate littere in novitate spiritus ambulent. Unde apostolus subdit. Spiritus autem vivificat. Et apte hic servus rex dicitur propter eos qui in christum crediderunt. Qui bene reges vocati sunt quia semetipsos bene regere noverunt. Regnaturus autem dicitur propter eos qui in fine mundi credituri sunt et cum christo regnaturi. Et secundum quia maior pars populi in vetustate littere mansit quam ad spiritus novitatem transierit. Quod pulchre iacob patriarcha significat qui benedictus ab angelo claudus est factus. In hoc enim quod benedictus est illos significat iudeos qui in christum crediderunt et benedici meruerunt. In hoc vero quod claudus factus est illos significat qui in infidelitate permanserunt et ad hoc claudicat. Et apte quidem in femore percussus dicitur, per quod carnis propagatio designatur. Per latitudinem namque femoris multitudo designatur infidelium iudeorum. Et sciendum quia dominus factum petri improbavit, et ultra progrediendi non permisit dicens: Mitte gladium in vaginam. Calicem quem dedit pater non bibam illum? Per calicem gustum passionis exprimitur. Calicem ergo bibit cum mortem gustavit. Et apte hunc calicem se a patre a quo erat dicit accepisse, qui eum ut pro nostra salute moreretur in mundum misit. Unde apostolus dicit: Si deus inquit pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Si ergo a patre hunc calicem accepit, nunquid non et ipse sibi dedit. Et ipse utique huius calicis auctor est, quia semetipsum pro nostra salute ad mortem tradidit. Unde idem apostolus: Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam deo in odorem suavitatis. Sequitur: Cohors ergo et tribunus et ministri iudeorum comprehenderunt ihesum et cetera. Illud notandum, quia sicut cohors, ita et tribunus a preside directus est, videlicet ut terreret vel repugnaret, si esset qui christum auderet defendere. Utrosque quos superius evangelista omisit recapitulando commemorat. Hii nimirum comprehenderunt dominum, ad quem non accesserunt, quo ipsi dicebat, illi non tenebre permanserunt. Comprehenderunt enim eum in solo corpore, ad quem si fide sicut corpore accessissent, utique illud psalmiste accideret: Accedite ad eum et illuminamini. Illuminarentur utique si eum non manibus accedendo comprehenderunt. Ista tanto ab eo longinqui facti sunt quanto ad eum non mente sed solo corpore accesserunt. Et ligaverunt illum. Illum utique ligaverunt a quo ut solveretur optare debuerunt. Et fortassis in aliqui erant inter eos qui post eius resurrectionem a vinculis peccatorum soluti dicere potuerunt cum psalmista: Dirupisti vincula mea. Et reliqua.

Et adduxerunt eum ad annam primum. Cur autem dominus ad annam primum ductus sit, evangelista declarat subiungens: Erat enim socer cayphe. Ubi videtur ostendere quod cayphe consilio actum sit ut prius dominum ad annam ducerent, quatenus dum in ea consimilis sacerdotis sententia dampnaretur, cayphas minoris ~~pro~~ criminis re videretur. Sive ideo dominus primum ad annam ductus est quia domus illius ita sita erat ut eam preterire non possent, quia appropinquantes obtulerunt eum anne. Vel certe divinitus actum est ut ab utrisque dampnaretur. quatinus qui erat affinis consanguinitate, fieret socius in scelere. Qui erat pontifex anni illius. Satis contrarium videtur quod hoc loco dicit evangelista qui erat pontifex anni illius, cum in lege preceptum sit, ut unus tantum esset summus pontifex, quo mortuo succederet filius suus. ac si semper unus esset summus pontifex in templo domini. Sed hoc evangelista ideo ~~dicit quod ostendit ut omnis ille honor~~ dixit ut ostenderet quod omnis ille honor legalis iam defecerat. et omnes electi vicio sacerdocii ambicionis et avaricie infecti erant. nec ulli vite merito aut generis nobilitate honor sacerdocii reddebatur. Sed quicumque poterat amplius manum suam muneri accedebat ad principes romanorum. et emebat sibi summum sacerdocium. Quod luculentissime ostendit iosephus ille egregius hystoriographus. Dicit enim. Valerius gratus cum a sacerdocio deturbato ismahelem pontificem designavit filium baffi. Sed et hunc non multo post abiciens eleazarum anani pontificis filium pontificatui subrogavit. Post annum vero eciam hunc officio arcet et symoni cuidam camisi filio pontificatus tradidit ministerium. Qui et ipse non amplius quam unius anni spacio perfunctus. iosephum cui et cayphas nomen fuit. accepit successorem. Quod lucas evangelista manifestare voluit dicens. Sub principibus sacerdotum anna et cayphas factum est verbum domini et cetera. Ubi evidenter ostendit. quod a biennio predicationis iohannis usque ad passionem domini quatuor fuerunt summi pontifices. Et quia plures poterant eodem nomine vocari, ut ostenderet evangelista de quo caypha diceret. adiunxit. Erat autem cayphas qui consilium dederat iudeis. quia expedit unum hominem mori pro populo. Iste nimirum quia iniuste ad sacerdocium accessit nichil mirum si iniustum contra dominum dedit iudicium. Quia sepe contingere solet ut qui iniuste ad sacerdocium accedunt malum cuius inicium mesto fine concludant. Sequitur. Sequebatur autem ihesum symon petrus. et alius discipulus. Hii duo sequebantur dominum causa dilectionis. vel certe curiositatis. Unde alius evangelista de petro dicit. quia secutus est eum usque in atrium principis sacerdotum. et sedens expectabat ut videret finem huius rei. Secuti ergo isti sunt ut viderent finem rei. videlicet quem finem causa rei haberet. utrum dominus flagellatus dimitteretur. aut morti addiceretur. Et sciendum. quia alii evangeliste de petro dicunt, qui sequebatur a longe. ideoque quia longe ab eo recessit, tam facile negauit. Sed sollerter inuestigandum est quis fuerit ille alius discipulus. Fortasse enim Iohannes fuit, cuius hoc est euangelium. Quis uero fuit, non temere iudicandum est. Uerumtamen quia idem Iohannes malebat quibusdam indiciis quam proprio uocabulo suam designare personam, scilicet discipulus ille quem diligebat Ihesus, uidetur hic aliquo indicio suam demonstrare personam cum subdit: Discipulus autem ille erat notus pontifici, ideo introiuit in atrium pontificis. Petrus autem quia ignotus erat, ideo quemadmodum subditur, stetit foris ante hostium. Et quia foris stetit, postea tam facile negauit. Igitur discipulus ille quia introiuit non adeo foris, ut et ipse sine rei uideret, sicut ewangelista narrat: Exiuit et dixit hostiarie et introduxit petrum. Dicit ergo petro ancilla hostiaria: Numquid tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Ecce est illa tanta promittentis audacia, qui plurimum de semetipso confidens aiebat: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Ubi nam sunt illa uerba quibus inquit: Quare non te possum sequi modo? Animam meam pro te pono. Nonne hoc est sequi magistrum et animam suam pro magistro ponere? Id est negare se eius discipulum. Ecce ex effectu liquet quam uerum sit quod dominus ait: Sine me nichil potestis facere. Et quam uere dictum sit domini presciencia dicentis petro: Non cantabit gallus donec ter me negabis. Nichil igitur mirum si deus uera dixit et homo falsa de se presumpsit. Sed in accepta petri negatione illud animaduertendum est, quod dum petrus xpi discipulum se esse negauit, xpm profecto negauit, et se esse xpianum negauit. quia dominus non illi ait: ter negabis te meum esse discipulum, sed ter me negabis. Ipsum igitur xpm negauit qui se negauit eius esse discipulum. xpianum quoque se esse negauit. quo et nunc apostoli licet adhuc xpiani non uocarentur, quod nomen primum in antiochia exortum est, tamen reuera iam erant qui postea xpiani uocati sunt. et sicut communem fidem, ita et commune nomen ad posteros transmiserunt. xpianum ergo se petrus negauit quo ipsa re negauit, cuius nomen est uocari xpianum. Quod nomen non solum uiri, uerum etiam pueri et puelle libera uoce coram principibus et potestatibus confessi sunt, ideoque fortiter et uiolenter regnum celorum rapuerunt. Hoc ergo potuerunt alii. quod non potuit iste qui eiusdem regni claves accepit. Ecce illa cedrus paradisi solidissima petra et firmissima columna ecclesie non solum concussa est, sed etiam cecidit. Quid ergo facturus est quisque christianus nisi ab illo fulciatur qui dixit Sine me nichil potestis facere. Sed tamen advertendum qualis et quantus operator est spiritus sanctus. Nam petrus qui prius ad vocem unius mulierculae christum negavit, postmodum spiritus sancti gratia repletus coram nerone cesare et tocius imperatore orbis confidenter eum christum esse predicavit. Et hoc sciendum quia tota illa petri negacio trina fuit. et in prima ~~fuit~~ quidem omnes sibi evangeliste concordant, in ceteris vero valde dissonare videntur. Nam matheus et marcus in prima quidem et secunda ~~sibi~~ sibi conveniunt quo utraque a duabus ancillis interrogantibus facta dicunt. Lucas vero et iohannes in secunda satis videntur dissonare. quo lucas uno servo, iohannes autem pluribus interrogantibus dicit facta. Sed non debet videri contrarium quod fieri totum potuit. videlicet ut et duabus ancillis et uno servo et pluribus cogentibus negaverit. Recte ergo solito more evangelistarum quod unus pretermisit alius dixit. Ad primam igitur petri negacionem designantur qui eum ante passionem domini eum negaverunt. Per secundam vero illi post resurrectionem negaverunt eum deum et hominem vel qui in divinitate simul et humanitate erraverunt. Per primum galli cantum capitis nostri resurrectio. Tunc enim quasi gallus cantavit cum dominus resurrexit et prima voce pacis edidit dicens Pax vobis. Per secundum galli cantum totius corporis resurrectio designatur que celebrabitur in futuro. Et notandum quia evangelista dicit gallus cantavit. Hoc est quod alius evangelista dicit et conversus dominus respexit petrum. Tunc enim conversus petrum respexit cum gallus cantavit. Per gallum namque mistice christus designatur. dicente salomone Gallus succinctus lumbos et aries nec est rex qui resistat ei. Sive per gallum predicatorum chorus exprimitur sicut in libro iob legitur. Aut quis dedit gallo intelligenciam. Ideo sane quod petrus non prius amare flevit quam dominus illum respexit mistice designatur, quia quicumque ceciderit non suo conatu aut suis viribus surgere potest, nisi sub domini et sanctorum sublevetur auxilio. Sequitur. Stabant autem servi et ministri ad carbones quia frigus erat et calefaciebant se. Notandum quia non ait evangelista hiems erat, sed quia frigus erat quod sepe solet accidere vernali equinoctio. Beda de evangelio glossando ait quia frigus erat ut per qualitatem temporis [illegible] demonstrarent quid accideret Petro, videlicet et quia ardor caritatis in eo refrigescebat. Erat cum eis Petrus stans et calefaciens se. Et animadvertendum est quia noxius fuit ignis atrii Anne pontificis, atque mox ut Petrus accessit negavit. Pontifex ergo interrogabat Ihesum de discipulis suis et de doctrina eius. Finita prima Petri negacione quid apud pontificem gestum sit ostendit dicens: Pontifex ergo interrogabat eum et cetera. Interrogabat non studio discendi veritatem sed condempnandi. Ideoque Dominus respondit ei dicens: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in sinagoga et in templo quo omnes Iudei conveniunt, et in occulto locutus sum nichil. Hoc loco oritur questio quomodo sit dicat Dominus palam et nichil in occulto locutum, cum in superiori sermone quem discipulos in cena docuit dixerit: Hec in proverbiis locutus sum vobis; venit hora cum palam de patre annunciabo vobis. Quomodo palam de patre nunciabit si nichil in occulto locutus est. Sciendum est autem quia quod amodo palam locutus est videbat quia multi eum audiebant loquentem, quidam non et in proverbiis quo non omnes qui audiebant intellegebant. Sed dicit adhuc aliquis: Quomodo nichil locutus est in occulto cum frequenter turbis locutus sit in parabolis et eadem secrete disseruit discipulis. Ad quod dicendum quia non in occulto locutus est cum coram tot hominibus locutus est, id est coram discipulis, cum scriptum sit: in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, presertim cum ea intencione eis locutus sit ut eius verba per eos omni mundo innotescerent. Unde eis alibi dicit: Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, et quod auditis in cubiculis predicate super tecta. Sciendum quoque est quod quotiescumque Iudei temptando eum interrogabant ut in eo condempnandi occasionem invenirent, ita Dominus suam responsionem temperavit ut capcionem non pateret et ~~om~~ omnes eorum dolos retunderet et insidias calumniarum frustraret et velut fila stuppe disrumperet. Unde hic pontifici respondit: Quid me interrogas, hoc est a quo non vis discere veritatem et adversus quem stimulo agitaris invidie; illos potius interroga quos delectari audivi responsione. Et hoc est quod dicit: Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. Ecce hii sciunt quid dixerim ego. Hec cum dixisset unus ministrorum assistens dedit alapam Ihesu dicens: Sic respondes pontifici? Hic impletum est quod longe ante predictum est per prophetam dicentem: In virga percucient maxillam iudicis Israel. Sed quis unquam considerans illum qui alapam accepit. [illegible] Non oportebat illum qui eum percussit aut igni celesti consumi, aut terra dehiscente absorberi, aut demone correptum vexari, aut huiusmodi vel certe graviore pena puniri. Erat hoc totum dominus imperando facere posset. Sed maluit omnia patienter ferre quatenus nobis sue patientie preberet exemplum. Unde et percucienti dixit: Si male locutus sum testimonium perhibe de malo; si autem bene quid me cedis. Ac si dicat: Si contra veritatem locutus sum iuste arguor iusteque verberor. Alioquin iniuste me cedis. Quid igitur hac responsione verius, quid mansuetius, quid iustius. Cuius nimirum est quod psalmista dicit: Intende prospere procede et regna propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam. Sed fortasse dicat aliquis: Cur dominus noluit suum implere preceptum quod ante docuit: si quis iniquus te percusserit in maxillam prebe ei etiam et alteram. Ipse nimirum non solum alteram maxillam prebuit, sed etiam rationem reddidit cur percuti non deberet. Ad quod dicendum quia quidquid dominus dixit, verum, iustum et mansuetum fuit. Et non solum alteram maxillam iterum percussuro prebuit, sed etiam totum corpus in ligno figendum preparavit. Nec per hoc datur intelligi quod illa sua magna potentie precepta non presentatione corporis sed animi preparatione implenda sunt. Sed aut sequitur: Misit eum Annas ligatum ad Caypham pontificem. Non debemus tunc tantum intelligere fuisse ligatum, sed tunc ligatus est quando et captus. Datur ergo intelligi quod sicut ligatus illi presentatus est, sic ligatum misit eum ad Caypham. Vel debemus illum intelligere ad modicum fuisse solutum ut discuteretur, discussum vero iterum fuisse ligatum et missum ad Caypham. His ergo dictis redit evangelista ad ordinem sue narrationis ubi reliquerat Petrum, et recapitulat quod dixit: Erat inquit Symon Petrus stans et calefaciens se. Ubi oritur questio quomodo alius evangelista dicat quia Petrus sedens cooperatus fuit et interrogatus est et negavit, cum hoc loco Iohannes ostendit quia stans negaverit. Sed non est contrarium quia utrumque fieri potuit, vel liceat ut stans negaverit postea et prius sedens. Dixerunt ergo ei: Numquid et tu ex discipulis eius es? Negavit ille et dixit: Non sum. Dicit unus ex servis pontificis cognatus illius cuius abscidit petrus auriculam? Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negavit petrus. et statim gallus cantavit. Cum dominus astensurus malum petrum ecclesie pastorem et principem apostolorum esset relicturus querendum est cur eum negare permiserit. Ad quod beatus papa gregorius inquit. ~~Quos~~ Quem pastorem hunc erat ecclesie relicturus ad horam hunc labi permisit. ut in sua culpa perpenderet quomodo aliorum culpis ignoscere debuisset. Hunc ut resipiscendi ecclesie exemplum relinqueret. ut nullus de optinenda venia dubitet. quando ille veniam consecutus est qui christum negavit. Sed quia ille sepe de ardore fidei presumebat maluit eum dominus peccare in carnis fragilitate quam mentis timore. Quo levius peccatum est carnis fragilitas quam superbia. Mistice igitur prima ancilla designat immunda cupiditas. secunda carnis delectacio et voluptas. Tercius ut lucas dicit diabolus [illegible] sicut iohannes eius ministri et satellites demonis. Hec omnia nos persuadent christum negare. Superius narrat evangelista quia annas misit dominum ligatum ad caypham. et interposita petri negacione spiritu sancto stilum suum regente redit ad ceptum narracionis ordinem. Adducunt inquit ihesum ad caypham in pretorium. Pretorium sedes erat pretoris sive domus dicebatur in qua pretores ad singulorum negocia discernenda sedere consueverat. Pretores enim presides dicebantur sive prepositores eo quod civibus precepta darent. Sed querendum est quare evangelista dicat. adducunt eum ad caypham in pretorium. cum ipse pretor non esset nec pretorium haberet. Questio autem hec duobus modis solvi potest. Potuit enim fieri ut relicta domo anne in qua simul convenerant ut eum audirent aliqua necessitatis causa urgente et maxime tradicionis eius abierint ad presidem et domum sacerdocii discuciendum reliquerint. vel dicatur melius legi quia domus cayphe adeo erat ampla ut ibi eciam pretorium haberetur. certus ex aliqua parte seorsum domus sive seorsum iudicia fierent. Erat autem mane. Hoc loco admirandum est quantum fuerit studium iudeorum in malum. Tota siquidem nocte vigilaverunt ut homicidium facerent. et sanguinem innocentem funderent. Et ipsi non introierunt in pretorium ipsi iudei qui eum adduxerant. Cur autem in pretorium non introierint. Causam reddit evangelista dicens. Ut non ~~codam~~ contaminarentur. O impia cecitas alieno tabernaculo contaminari timebant. proprio scelere contaminari non metuebant. Pretorio alienigene iudicis coinquinari timebant. et sub innocentibus sanguinem effundere non formidabat. Sed quid est quod evangelista subiungit sed ut manducarent pascha. cum iam pascha non esset sed dies azimorum. Ipse quippe solus dies in quo necesse agnus immolabatur vocabatur pascha. Reliqui vero septem non pasche sed dies azimorum dicebantur. videlicet quia in hiis iudei azima tantum comedebant et fermentum in eorum domibus non inveniebatur. Hoc enim eis legis erat preceptum. et hec veteri consuetudo. Sed evangeliste hanc consuetudinem variant. apud quos et dies pasche pro die azimorum. et dies azimorum pro pascha positus invenitur. Exiit ergo pylatus ad eos foras et ait Quam accusationem affertis contra hominem hunc. Quia dixerat eos evangelista non introisse pretorium ideo recte subiungit Exiit ergo et cetera. Et sciendum quia consuetudo erat iudeorum. ut quem morte condempnarent. vinctum presidi offerrent. Quatenus per hoc presides eum morti condempnatum intelligerent. Secundum hanc utique consuetudinem dominum pylato vinctum obtulerunt. Unde pylatus eos interrogavit Quam accusationem affertis contra hominem hunc. Ac si diceret. vinctum video. et ex hoc dampnatum agnosco causam vero mortis et dampnationis eius ignoro. Afferte sententiam cause 2

dicate. ut probetur utrum iuste an iniuste condempnaveritis eum. Responderunt et dixerunt ei. Si non esset iniquus hic malefactor non tibi tradidissemus eum. Sed querendum est quomodo iohannes hoc dominum primum dicat fuisse obiectum a reliquis evangelistis aliud narratur. indicant quod regem se dixit iudeorum. Nam et de hoc illum primo pylatus interrogavit. Sed cum iohannes utrumque describit. patet quia hoc illi primo obiectum est quod iohannes primo commemoravit. Et quia viderunt iudei per hoc se non posse proficere. aliud obiecerunt. quod tamen hic quam ceteri evangeliste commemorat. Sed interrogandi erant tunc ceci illuminati. leprosi mundati. mortui suscitati. utrum esset hic malefactor. Quibus omnibus respondentibus quod non malefactor esset. sed potius salvator. condempnarent iudei. quo illi erat de quibus yheremias dominus loquitur dicens Retribuebant michi mala pro bonis. Dixit ergo eis pylatus. Accipite eum vos et secundum legem vestram iudicate eum. Tamquam dicat Vos qui legem habetis. et quid lex vestra procul dubio iusta est. Vos ergo secundum legem vestram iuste iudicate eum. Quibus verbis monstratur quia sapiencior illis erat pylatus. Dixerunt ergo iudei Nobis non licet interficere quemquam. Quid est quod loquitur insana crudelitas? Numquid non ipsi interficiebant eum, quem crucifigendum tradiderunt? An crux non interficit? Sic desipiunt qui non sectantur sed potius insectantur sapienciam. Si autem hic malefactor erat, cur eis non licebat interficere eum? Nonne lex precepit ut malefactoribus presertim qualem istum putabant, a deo suo seductoribus, non parcerent? Cur ergo dicebant: non licet nobis interficere quemquam? Videlicet hoc propter diei festiuitatem. Velut si dicerent: Nobis qui pascha celebramus non licet interficere quemquam, per reatum homicidii tanti diei festiuitatem federemus. Sed quod potius sentiendum est, callide hoc dixerunt, ut eum potestati presidis traderent, ut eum non abiciperet, sed a militibus Romanorum crucifigeretur, ipsi ab eius nece viderentur immunes. Et quia hec eorum fuit intencio, ideo contra omnis sacra scriptura que de illo premittit, omnes quoque ewangeliste causam dampnacionis eius in illos retorquent. Unde psalmista ait: Filii hominum dentes eorum arma et sagitte, et lingua eorum machera acuta. Unde est quod Lucas ewangelista, cum principes sacerdotum non venissent ad apprehendendum eum, sed tantum ministros misissent, narrat eos venisse. Dixit inquiens Ihesus ad eos qui advenerant principes sacerdotum: Tanquam ad latronem venistis. Luce xxii. Sed quid est quod subditur: ut sermo Ihesu impleretur quem dixit? De quo sermone dicat? Numquid sic accipiendum est quod Iudei dixerunt: nobis non licet interficere quemquam, quasi aliud sit crucifigi et aliud interfici? Non utique, quia illi eum crucifixerunt, qui ut crucifigeretur petitum dederunt. Ideo ergo capitur ut sermo Ihesu impleretur. Et certe non morte crucis voluit intelligi, sed quod eum Iudei gentibus tradituri erant. Illum ergo vult intelligi sermonem quem de sua tradicione discipulis dixerat: Tradetur inquiens filius hominis gentibus ad flagellandum et illudendum et crucifigendum, et tercia die resurget. Ut ergo iste sermo impleretur, ideo cum Pylatus vellet eum reddere Iudeis, ut secundum legem suam iudicarent eum, noluerunt eum recipere dicentes: nobis non licet interficere quemquam. Et hoc est quod dicit: significans qua morte esset moriturus, videlicet morte crucis. Introiuit ergo iterum Pylatus in pretorium et vocauit Ihesum et dixit ei: Tu es rex Iudeorum? His verbis condempnat Iudei quo nichil aliud ei obicere potuerunt nisi quod regem se dixerit iudeorum. Deinde et de hoc illum pilatus interrogavit. Sed querendum quomodo Iohannes hoc solum illi quasi speciale quasi fuisset narret obiectum cum lucas ewangelista et alia quedam illi opposita fuisse commemoret. Sed sciendum quod lucas simul et congregatim hoc iste sparsim inde scribit. Nam quod ille narrat eos dixisse. invenimus hunc subvertentem gentem nostram. Hoc est quod secundum Iohannem dicunt nos legem habemus. et secundum legem nostram mori debet quia filium dei se fecit. Et quod lucas subiungit prohibentem dari tributum cesari. Hoc est quod Iohannes narrat illos dixisse. omnis qui se regem facit. contradicit cesari. Et quod ille subdidit. dicentem se christum regem esse. Hoc est quod secundum Iohannem pylatus interrogavit. Tu es rex iudeorum. Ille vero congregatim quedam anticipando. hic vero sparsim et quedam recolendo descripsit. Respondit ihesus. A temetipso hoc dicis an alii tibi dixerunt de me. Quare hoc dominus pylatum interrogavit. Numquid nesciebat. Non utique. Noverat enim ut deus quid interrogaturus esset. aut quid ei pylatus esset responsurus. Sed tamen dici voluit. non quod nesciret sed ut scriberetur quod voluit ut nos sciremus. Respondit ei pilatus Numquid ego iudeus sum. Et cetera. Hoc dicto abstulit pylatus suspicionem qui arbitrari potuit dominum fuisse suspicatum quod a semetipso hoc dixisset. Ne se putaretur dicit. Non enim ego hoc dico qui non sum iudeus. sed gens tua et pontifices tradiderunt te mihi. Sicut est quod dicunt ipsi accusatores. Alioquin tu ipse dic causam facti. Et hoc est quod dicit. Quid fecisti. Ad hec dominus respondit. Regnum meum non est de hoc mundo. Hoc est quod bonus magister nos scire voluit. et sciendum quia potuit dominus hoc respondere ad primam presidis interrogationem. Sed maluit vicissim interrogacione utrum hoc a semetipso diceret an alii ei dixissent. quatenus illo respondente quod ab aliis audierit. ostenderet hoc illi a iudeis apud illum quasi crimen fuisse obiectum. quod utique tamen non erat. Palam fecit nichilominus quia vane sunt cogitationes hominum quas ipse solus novit ut deus. Aug. Igitur post responsionem pilati opportunius non solum gentibus sed et iudeis respondit. Regnum meum non est de hoc mundo. Quod si primo dixisset soli gentibus dixisse videretur. Audiant ergo iudei et gentes circumcisio et preputium simul et omnia regna terrarum quia dominus cor dominacioni nullum prestat impedimentum. quia regnum eius non est de hoc mundo. Audiant et metu vanissimo non metuant. quia deus non venit tollere regnum sed dare. non minuere sed augere. Audiant et mundi regna desinant. quo mos est regnantibus regnaturis mundialibus. sed pocius ad regnum veniant. quod non est de hoc mundo. Veniant credendo. et non seviant metuendo. Si ex hoc mundo esset regnum meum ministri mei utique decertarent. ut non traderer iudeis. Ministros dicit angelos sive apostolos. Et nunc notandum quia superius non ait. regnum meum non est in hoc mundo. sed de hoc mundo. Similiter hic non dixit. sed si in hoc mundo esset regnum meum. sed si ex hoc mundo. Regnum namque suum credentes est. quibus ipse loquitur. de mundo non estis et cetera. Notandum etiam. quia non sequitur nunc autem regnum meum non est hic. sed. non est hinc. Regnum enim eius hic est usque ad finem seculi habens secum mixta zizania tritico usque ad messem. id est usque ad seculi finem. Tunc enim venient messores. et colligent de regno eius omnia scandala. et eos qui operantur iniquitatem. et mittent in caminum ignis. Quod utique non fieret nisi regnum eius hic esset. Sed tamen non est hinc. quia quamdiu in mundo est peregrinatur a domino. quia non habet hic propriam et civitatem manentem sed futuram expectat malit. Regno quippe suo suo dicit. ego vos elegi de mundo. De hoc regno paulus apostolus inquit. cum tradiderit regnum deo et patri. Quod tunc quidem fiet cum dicturus est electis venite benedicti patris mei et cetera. De hoc regno angelus ad mariam dicit. Regnabit in domo iacob in eternum. Ubi notandum. quia non ait tantum regnabit in domo iacob. sed addidit in eternum. quia qui nunc in domo iacob regnat. id est in electis peregrinantibus in eis sine fine regnabit. Pylatus itaque audito nomine regni sollicitus factus. respondit dicens. Ergo rex es tu. Respondit ei ihesus. Tu dicis. quia rex ego sum. Quare sic dominus pylato respondit. Numquid metuebat se regem confiteri. Non utique. Sed sic suam voluit temperare responsionem ut veritatem diceret. et capcioni non pateret. Ego in hoc natus sum. et ad hoc veni in mundum. ut testimonium perhibeam veritati. In hoc dicit. non in hac re. sed propter hoc. Et est sensus. Ego propter hoc natus sum et ad hoc veni in mundum. scilicet incarnatus de virgine. ut testimonium perhibeam veritati

Et sciendum quia Christus deus veritati testimonium perhibens sibi utique perhibet. Eius namque vox est dicentis: Ego sum via veritas et vita. Et alibi: Ego testimonium perhibeo de me ipso et scio quia verum est testimonium meum. Sed quia non omnium est fides, ut singularem gratiam commendaret per quam secundum propositum vocavit electos, continuo subiunxit: Omnis qui est ex veritate audit meam vocem. Ubi summopere notandum quia non ait omnis qui audit meam vocem ex veritate est, sed omnis qui est ex veritate audit vocem meam. Non enim propterea quia vocem eius audit ex veritate est, sed quia ex veritate est propterea audit vocem eius. His ergo verbis ut dictum est singularem gratiam commendat, quod ex veritate illi hoc donum collatum est qui credit in Christum. Sed quid est aliud nisi quod donante Christo credit in Christum. Et hoc est quod dicit audit vocem meam, audit videlicet interioribus auribus, id est obaudit meae voci, tamquam diceret si dicat credit mihi. Pylatus itaque audita voce veritatis sollicitus factus interrogavit eum dicens: Quid est veritas? Sed miser atque infelix non expectavit ut responsum audiret. Et fortassis quia non erat dignus, vel certe in mente illi venit iudeorum consuetudo qua solebat eis dimitti vinctus in pascha. Unde postquam interrogavit quid esset veritas, cum noluisset mori iudeorum iudicare quem propter eis posset dimitti, ne mora fieret dimittendi, non expectavit ut quid esset veritas audiret, sed exivit ad iudeos ut occasionem ostenderet liberationis. Ego nullam causam invenio in eo, subauditur mortis. Est autem consuetudo ut unum vobis dimittam in pascha, et cetera. Haec consuetudo non legibus fuit praecepta, sed antiqua patrum traditione descendit ut unum vinctum in pascha dimitterent ob recordationem suae liberationis de egyptiaca servitute. Et quia Pylatus consilium liberationis eius ostendebat, idcirco subdit dicens: Vultis ergo dimittam vobis regem iudeorum? Quo illi audito, ut omnis evangelista narrat, clamaverunt: Non hunc sed Barrabam. Iudei igitur quia spreverunt salvatorem et petierunt sibi dimitti latronem, idcirco usque hodie ille vinctus latro suam in eis exercet latrocinia, videlicet diabolus. Nam et Barrabas filius magistri eorum interpretatur. Unde vere diabolum designat, qui magister fuit Barrabae ad patrandum homicidium, et iudeorum ad innocentem sanguinem effundendum. Sunt et quibusdam placet Barrabas interpretatur filius patris eorum. Unde aperte antichristum significat, qui erit filius patris eorum, id est diaboli.

Iudei ergo quoniam noluerunt suscipere Christum, ipsi pena peccati suscipient antichristum. Unde dominus alibi dicit: Ego veni in nomine patris mei et non suscepistis me; alius veniet in nomine suo, illum suscipietis. Et sciendum quod non reprehenduntur neque condempnantur iudei quod in pascha dimittere solebant nocentem, sed quia occiderunt innocentem. Sed nisi fieret, verum pascha non fieret. Iudeis namque ceremonialibus umbra tenebatur, sed per fallaces eiusdem umbre veritas implebatur. Nam quia iudei pascha in umbra et typo habebant, ut verum pascha fieret, Christus ovis et agnus immolabatur. De quo dicit Ysaias: Sicut ovis ad occisionem ducetur et tamquam agnus coram tondente se obmutescet et cetera. Acclamantibus iudeis et dicentibus: non hunc sed barrabam, tunc ut narrat evangelista Pylatus apprehendit Ihesum et flagellavit eum. Sed querendum est quare eum pylatus flagellare voluit. Numquid causa dampnationis eius? Non utique, qui procurabat liberationis. Flagellavit quippe eum ea intentione ut inimici ipsius eius penis et miseriis mitigati quasi saciati usque ad mortem sevire desisterent. Hinc est quod ea qui sciebant cohorte sua fieri permisit vel fortassis ipse fieri iussit, ea ut diximus intencione, quamvis evangelista hoc tacite dereliquerit. Nam hoc solum dicit: Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius et veste purpurea circumdederunt eum et veniebant ad eum et dicebant: Ave rex iudeorum. Hic nimirum veritas implebatur. Hec ea que de se Christus predixerat implebantur. Hic sic sancti martires ad pacienda omnia ferenda que inimici eorum vellent inferre informabantur. Hic mundus ille de patre electus ut mundum superbum non atrocitate pugnandi sed humilitate paciendi vinceret instruebatur. Ipse enim dominus ad hoc venit ut suos adversarios non potestate sed humilitate superaret. Et sciendum quod quamvis milites illudendo hoc facerent, nobis tamen qui credimus misteria operabantur. Nam pro diademate imposuerunt ei spineam coronam, pro sceptro regie dignitatis dederunt ei calamum, pro purpura qua reges veteres utebantur circumdederunt eum roseo limbo. Ubi fortasse queret aliquis quomodo Iohannes dicit circumdederunt eum veste purpurea, cum Matheus narret quia circumdederunt ei clamidem coccineam. Sed debet contrarium videri, quod ut origenes dicit utrumque idem coccus et purpura unius materie est. Concule namque marine cultris masc. lacrimas producunt sanguinolentas. Quibus collectis tinguntur utriusque generis vestimenta. Hoc tamen ast differunt quod purpura pallet rubore, coccus non nitore. Christe per spineam coronam designatur suscepto peccatorum peccatore. Tunc enim dominus spineam coronam accepit capiti cum eius divinitatis iure carnis fragilitatem assumpsit. Unde ysaias ait. Vere languores nostros ipse tulit et egrotaciones nostras ipse portavit in corpore suo super lignum. Quod autem in scripturis per spinas peccata designentur ostendit ipse dominus cum in principio libri genesis peccanti homini dicit. Cum operatus fueris terram spinas et tribulos germinabit tibi. Quod quamvis possit intelligi de hac terra que ab agricolis colitur, magis tamen de terra nostri corporis sentiendum est dictum. Hec enim terra dum eo studio colitur ut fructus bonorum operum reddat, sepe nobis pro virtutibus vicia resplendent. Terra ergo nostra spinas nobis et tribulos generat quia consciencia nostra aculeos nobis et punctiones viciorum peccatorum non cessat. Per purpuram sive coccum aptissime designatur caro illius que pro nostra salute passionibus obiicit. Quod ysaias ostendit cum in voce angelorum loquitur dicentes. Quis est iste qui venit de edom, tinctis vestibus de bosra. Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis sue. Quibus cum dominus respondisset, ego sum dominus qui loquor iusticiam et propugnator sum ad salvandum, continuo interrogaverunt dicentes. Quare rubrum est indumentum tuum et vestimenta tua sicut calcantium in torculari. Ad hec dominus. Torcular calcavi solus et vir de gentibus non est mecum. Et notandum quia sicut lucas ewangelista dicit. dominus apud herodem alba veste indutus est. Ad hoc aptissime misterio congruit, quod per hoc album magis vestis habitum designatur, designatur innocencia et castitas assumpte humanitatis. Per purpuram vero sive coccum veritas passionis per quam dominus venit ad gloriam venit regni immortalis. Quo sicut purpura colore habet sanguinis qui nobis effusus, ita alba vestis habitu ostendit regni immortalis quod dominus post passionem intravit, et ut electi eius intrarent ipse primus aperuit. Verum quia apostolus dicit. quicumque enim in christo baptizati estis christum induistis. et ysaias. vivo ego dicit dominus. quia omnibus hiis velut vestimento vestieris. pro amicta per utrumque vestimentum designari potest multitudo fidelium. que distinguitur in sanctos martires. et ceteram fidelium plebem. Dum ergo alba veste induitur. cum munda atque iustorum confessione decoratur. Purpura sive cocco vestitur. cum de martirii triumphis gloriatur. Hinc est quod in canticis canticorum sponsus in sponse horto non solum lilia colligit sed etiam rosas. Sancta quippe ecclesia in pace habet lilia et in bello rosas. In tranquillitate confessores. et in persecutione martires. Et notandum quia cum iste evangelista dicat. dabant ei alapas. Alter evangelista dicat. colaphis eum ceciderunt. Utrumque tamen misterio congruit. Sunt etenim in ecclesia qui eum cedunt alapis. sunt qui colaphis. Colaphis eum cedunt. qui suum honorem eius honori preferunt. In facie eum qui cum in carne venisse apertissime negant. Sequitur. Exiit iterum pylatus ad eos foras. et dicit eis. Ecce adduco eum vobis foras. ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. subauditur mortis. In eo quod pilatus exivit ad iudeos et dominum secum flagellatum. et spinis coronatum adduxit. ostenditur quod domino illa ludibria non ignorante preside facta sunt a militibus. Sed aut permisit ipse fieri. aut iussit ea intencione. ut diximus. quatenus inimici eius ludibria eius libenter biberent. et eius sanguinem ulterius non sitirent. Exiit ergo ihesus portans spineam coronam. et purpureum vestimentum. Exivit dominus ad iudeos non clarus imperio. sed plenus obprobrio. Et dicit eis pilatus. Ecce homo. Subauditur. quem se regem dixit. hoc ideo pilatus dixit. ut occasione liberationis eius protenderet quod eum appendi voluisse omnes evangeliste declarant. Dicit ergo ecce homo qui se regem dixit. Tamquam diceret. Si regi invidetis. ecce deiectum et humiliatum cernitis. Flagellatus est. ludibriosa veste amictus est. spinis coronatus. amaris conviciis illusus. alapis cesus. Quia forte ignominia eum refrigescat invidia. Sed in illis quo non refriguit. sed potius incaluit. Unde sicut evangelista adiungit. Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri. clamabant dicentes. Crucifige crucifige eum. Pilatus autem agnoscens quod ideo nolebant eum ipsi crucifigere ut ab eius nece inderentur immunes causa liberationis populi respondit. Accipite eum vos et crucifigite. Ego enim non invenio in eo causam. quod iudei agnoscentes. scilicet quia vellet eum pilatus liberare. responderunt. Nos legem habemus et secundum legem debet mori, quia filium dei se fecit. Ecce alterum maior invidia. Nam per illa indicabatur quod se dixerat regem, sed utrumque verum fuit. Quia et unigenitus erat dei filius, et a patre rex est constitutus super Syon montem sanctum eius. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Sed querendum est, propter quem sermonem timuit. Numquid quia audivit legem? Non utique, quia alienigena erat, et legem iudeorum facile poterat parvipendere. Timuit itaque quia audivit filium dei. Timebat enim ne homines crucifigendo deum interficeret. Et quia timuit, ad curiam ut dixi ingressus est pretorium, et interrogavit Ihesum quis esset aut unde esset. Ihesus autem responsum non dedit ei. Quid est quod sepe dominus interroganti Pilato respondit, hic autem respondere noluit. Cur enim noluit illi respondere? Quia talium sui responsione iustus appareret et redemptio humani generis non fieret. Sciendum quoque, quod domini hoc silencium non semel factum fuisse legitur. Collatis etenim omnium evangelistarum dictis invenimus, quia et apud principem sacerdotum et apud Herodem, quo cum Pilatus miserat audiendum, et apud ipsum Pilatum interrogatus respondere noluit. Sed quid est quod nunc respondit, nunc respondere contempnit. Sciendum est quia quociens non respondet non velut reus mortis aut dolosus aut sibi male conscius, sed sicut ovis et agnus, id est simplex et innocens, tacet. Quociens igitur non respondet, velut ovis tacet, et prophetiam Ysaie implet. Quociens autem respondet, tamquam pastor docet. Hinc est quod inferius dicente Pilato: Michi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te et potestatem habeo dimittere te? Respondit: Non haberes potestatem adversum me ullam nisi tibi datum esset desuper. Ac si dicat: Habes qualemcumque nunc potestatem, sed eam non haberes nisi tibi data desuper esset. Quia tibi data est ut sub potestate cesaris sis constitutus. Nam si tibi ita data esset facultas faciendi quicquid velles, utique dimitteres me. Hic autem ubi aperte dominus docet quod sicut boni ita et mali a domino accipiunt potestates. Sed et amplius ait: Non est potestas nisi a deo. Propterea qui tradidit me tibi maius peccatum habet. Hiis verbis aperte ostendit, quod maius peccatum habet ille qui aliquem simplicem et innocentem propter invidiam alicui potestati perimendum tradit quam ipsa potestas, si eum timore ob maioris alterius potestatis occidit. Et notandum, quia hoc dicto dominus non excusat pylatum super necessaria quod peccatum non habuerit, sed demonstrat quoniam peccatum habebat ille qui eum occidendum tradidit, iudeis peste corruptus. Exinde querebat pylatus dimittere ihesum. Quid est quod dicat exinde? Nunquid tunc primo illum dimittere quesivit? Si superiora legamus, invenimus utique quia sepe eum dimittere quesivit. Quod ergo dicit exinde non intelligendum est ex hac hora sed propter hoc. Tamquam dicat ex hac causa, id est ne haberet peccatum occidendo innocentem sibi traditum, quamvis minus peccaret quam hii qui pestem iudei corrupti puniendum tradiderunt. Hoc ergo iudei agnoscentes putaverunt quod maiorem terrorem illi inferre possent de cesare quam de eo quod dixerant: nos legem habemus etc. Quo homo ille alienigena facilius poterat legem aliene gentis contempnere quam cesaris sue potestatis auctoris. Ideoque clamaverunt dicentes: Si hunc dimittis non es amicus cesaris. Omnis enim qui se regem facit contradicit cesari. Reclamantibus iudeis et dicentibus si hunc dimittis etc. Pylatus territus cum audisset hos sermones adduxit foras ihesum et sedit pro tribunali in loco qui dicitur litostratus.

Litostratus locus erat sublimis habens pavimentum lapideum, id est tessulis ut tesserulis stratum. Unde et litostratus dictus est quasi lapide stratus. Hebraice autem gabbatha, quod interpretatur sublimitas sive collis. Quando autem hec gesta sunt ostendit evangelista subiungens: Erat autem parasceve pasche. Hora quasi sexta. Parasceve interpretatur preparatio, ideoque dies sextus parasceve interpretatur, quia eo die iudei duplices sibi preparabant cibos. Ad destructionem autem alterius parasceve evangelista addidit pasche, et dicit eis: Ecce rex vester. Hoc ideo pylatus dixit quia causa liberationis eius pendebat. Unde clamantibus iudeis: tolle tolle, crucifige eum, dicit eis pylatus: Regem vestrum crucifigam? Quibus verbis conabatur superare terrorem quem sibi ingesserat de cesare. Volebat nempe eos frangere ignominia ipsorum, quos frangere non poterat ignominia xpi. Sed maiore timore superatus est. Nam dicentibus illis: Non habemus regem nisi cesarem, tradidit eis illum ut crucifigeretur. Manifestissime se quidem contra cesarem venire videbatur, si profitentibus se non habere regem nisi cesarem alium regem vellet intelligi, dimittendo impunitum quem sibi propter hoc ausi tradiderant puniendum. Sed quid e quod dicit evangelista tunc. Numquid non suis etiam tradidit illum voluntati iudeis? Annon superius inquit: Accipite eum vos et secundum legem vestram iudicate eum. Et item: Accipite eum vos et crucifigite. Cur ergo eum tunc receperunt quem prius recipere tanto opere renuerunt? Aut si hoc non fuit, cur evangelista dicit tunc tradidit eis illum? Numquid sue narrationi contrarius est? Non utique. Notandum est itaque quia non ait evangelista tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigerent eum, sed ut crucifigeretur, videlicet a militibus sub potestate et iudicio presidis. Sed evangelista ideirco iudeis tribuit ut ostenderet eos implicatos illo scelere, a quo ipsi iudei omnimodis laborabant. Hinc est quod non solum evangeliste sed et omnis sacra scriptura que de hac re aliquid comprehendat causam deputationis eius in illos retorquet, quia illi eum crucifixerunt qui ut crucifigeretur pretium dederunt et crucifigendum tradiderunt. Quod vero sequitur: Susceperunt autem Iesum et eduxerunt eum, potest etiam ad milites referri qui erant apparitores presidis. Quod paulo inferius aperitur cum dicitur: Milites ergo cum crucifixissent Iesum, et reliqua. Sed evangelista hoc potius iudeis tribuit, ostendens quia illi eum susceperunt et eduxerunt qui presidi suggesserunt ut susciperetur a militibus et educeretur ad crucifigendum. Et baiulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvarie locum. Querendum est quomodo Iohannes dicat quod dominus sibi baiulaverit crucem, cum alii evangeliste narrent quia invenerunt hominem Cyreneum Symonem nomine quem angariaverunt ut ferret crucem post Iesum. Sed nulla debet videri contrarietas si intelligendum est quia egrediens dominus ipse sibi baiulavit crucem. Continuo autem ut invenerunt hominem Cyreneum nomine Symonem imposuerunt ei crucem ut ferret post Iesum. More ergo suo evangelista quod ceteri pretermiserunt designavit. Rursus querendum est quomodo dicat Iohannes quod hora quasi sexta, id est finita quinta, sexta inchoante, Pylatus sederet pro tribunali et dominum iudeis tradidit crucifigendum, quod et alii duo evangeliste expressius ostendunt dicentes hora sexta crucifixum, cum Marcus evangelista dicat quia hora ~~prima~~ tercia crucifixus est. Sciendum est autem quod iudei clamaverunt hora tercia dicentes: Reus est mortis. Et item: Crucifige ~~crucifige~~ crucifige eum. Marcus ergo ut ostenderet quia illi eum crucifixerunt qui ut crucifigeretur pretium dederunt et crucifigendum clamauerunt. Ideo hora tercia eum crucifixum dixit. Ceteri vero ewangeliste rei geste veritatem sequentes hora sexta asserunt eum crucifixum. Datur ergo intelligi quia hora tercia crucifixus est linguis, hora autem sexta manibus. Exiuit in eum qui dicitur caluarie locum. Caluarie locum quidam volunt dictum, quod ibi caluaria id est caput primi hominis sit sepultum. Ideo quod voluisse dominum ut ibi crucifigeretur quatinus sanguis ipsius super sepulchrum eius distillans redimeret eum. Quod ut beatus Jheronimus ostendit falsum est, quia non ibi adam sepultus est sed in hebron que primo dicta est cariatharbe id est ciuitas quatuor. Quod declarat liber Jhesu naue. Caluarie ergo locus dictus est quia ibi dampnatorum capita truncabantur, ubi dominus idcirco voluit crucifigi quatinus ubi prius fuerat area dampnatorum ibi figerentur vexilla martirii. Ubi eum crucifixerunt. Et cum eo alios duos. Hinc et hinc medium autem Jhesum. Hii duo sicut ex dictis aliorum ewangelistarum cognoscimus latrones fuerunt, cum quibus et inter quos dominus crucifigi voluit ut prophetiam impleret ysaie dicentis: et cum iniquis deputatus est. Unde lucas ait: Ducebantur et alii duo nequam cum eo. Scripsit autem et titulum pilatus et posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jhesus nazarenus rex iudeorum. Non vacat quod moriente domino titulum scripserunt regem quem dixerunt. Monstrabatur enim tunc quia regnum eius non est passione destructum sed augmentatum. Nec morti erat finiendum sed imperpetuum permansurum. Hunc autem multi legerunt iudeorum. Cur multi iudeorum legerunt reddit causam subiungens: Quia prope ciuitatem erat locus ubi crucifixus est Jhesus. Erat autem scriptum hebraice grece et latine. Iste quippe lingue omnes linguas excellebant. Hebrea propter iudeos in lege dei glorificantes, et quia ea lingua edita est sacra scriptura. Greca propter ~~philosophias~~ philosophos gentium, qui in hac lingua plurimum claruerunt. Latina vero propter romanos multis iam tunc et pene omnibus gentibus imperantes. Preterea sciendum quia dum multi iudeorum legissent hunc titulum plurimum eis displicuit. Ideoque ut narrat ewangelista dicebant pilato principes iudeorum: Noli scribere rex iudeorum, sed quia ipse dixit rex sum iudeorum. Respondit pilatus: Quod scripsi scripsi. [illegible]

Du itaque est. Diuinitus actum esse ut cilis pilatus ita responderet. Unde beatus augustinus dicit. O ineffabilis uis diuine operacionis etiam in cordibus ignorancium. Quis enim ualeat explicare. que uis uocis erat in corde pilati. que menti eius suggereret. ne corrumperet tituli inscripcionem. Erat quippe quedam uox occulta et si dici potest. quodam silencio clamosa. que hoc personabat. quod longe ante in psalmorum libris prophetatum est. ne corrumpas tituli inscripcionem. Titulus ergo destrui non potuit. quia ne destrueretur prophetatum fuit. Si enim non potuit destrui quod pilatus scripsit. multo minus quod ueritas per prophetam predixit. Quapropter si pilatus quod scripsit. scripsit. et ueritas quod dixit. dixit. Sed quid magni domino fuit. quod scriptum est rex iudeorum. cum ipse futurus esset rex omnium gencium. Nam quod rex iudeorum sit. ipse ostendit. inquiens per prophetam. Ego autem constitutus sum rex ab eo. super syon montem sanctum eius. Et ne quisquam propter montem syon solis iudeis regem eum crederet constitutum. subiunxit. Dominus dixit ad me filius meus es tu. ego hodie genui te. Pete a me. et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terre. Cur ergo magnum in hoc titulo nolumus intelligere sacramentum. in quo scriptum est rex iudeorum. si christus rex est gencium. Magnum utique sacramentum in eo continetur. quo oleaster factus est socius et particeps pinguedinis oliue. Olea uero non facta est particeps amaritudinis oleastri. Gentilitas namque conuersa est ad fidem et deuocionem patriarcharum. Nec propter hoc gentiles facti sunt iudei. id est confessores. Nam iudeus confessor interpretatur. In eo ergo quod scriptum est rex iudeorum. iudei illi sunt intelligendi. qui sunt semen abrahe. filii promissionis. et propter hoc et filii dei. Unde apostolus. Non qui filii carnis hii sunt filii dei. sed qui filii promissionis. hii computantur in semine. Rex igitur iudeorum christus. sed eorum qui iudei sunt spiritu non littera. circumcisione cordis non corporis. Que laus ut apostolus dicit. non ex hominibus sed ex deo est. Aptissime igitur christus rex iudeorum dicitur. id est omnium fidelium pertinencium ad supernam iherusalem matrem omnium nostrum. eterna in celis. Crucifixo domino quid gestum est ewangelista ostendit dicens. Milites ergo. et reliqua. De hac participacione et sorticione uestimentorum domini quomodo gestum sit sollicite inuestigandum est. Et primo quidem sciendum quod omnes ewangeliste huius rei faciunt mencionem. Sed alii breuiter et clause. Iohannes uero apertissime. Matheus enim dicit

Postquam crucifixerunt eum diviserunt sibi vestimenta ~~sua~~ eius sortem mittentes. Marcus autem. Et crucifigentes eum inquit. Diviserunt vestimenta eius mittentes sortem quis quid tolleret. Lucas vero. Dividentes vestimenta eius miserunt sortem. Iohannes autem et quot partes de vestimentis eius fecerunt ostendit scilicet quatuor ut singuli singulas tollerent. In quo facto patenter ostenditur quia quatuor fuerunt milites qui dominum crucifigentibus paruerunt presidi. Manifestissime quippe dicit. Milites ergo cum crucifixissent Ihesum acceperunt vestimenta eius et fecerunt quatuor partes unicuique militi partem. Et tunicam subauditur acceperunt. ut intelligamus quia in ceteris domini vestimentis nulla sors missa est. sed in sola tunica quam ceteris acceperunt. sed non similiter diviserunt. Qualis autem hec tunica fuerit exposuit ewangelista subiungens. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Cur ergo de illa sortem miserunt manifestatur. Dixerunt ergo ad invicem. Non scindamus eam sed sortiamur de illa cuius sit. Quibus verbis declaratur quia in ceteris vestimentis milites equales habuerunt partes. in tunica vero habere non potuerunt nisi scinderetur. Ne autem sciderent miserunt super eam sortem. Quippe inutile quisque corrupte acciperet si divideret. Huic itaque ewangelistarum narrationi propheticum testimonium consonat quod ipse continuo subdit. Ut scriptura impleretur dicens. Partiti sunt vestimenta mea. et super vestem meam miserunt sortem. Ubi notandum quia non ait sortiti sunt. vel sortientes partiti sunt sed tantum partiti sunt. ut ostenderet quod in aliis vestimentis sors necessaria non fuit. sed pro sola tunica additum est. et super vestem meam miserunt sortem. Sed quia quedam videtur inter ewangelistas dissonantia quomodo inter se non discrepent summopere investigandum est. Mattheus itaque dicens. Diviserunt vestimenta eius sortem mittentes. ad totam vestimentorum divisionem voluit pertinere et tunicam de qua sortem miserunt. quo vel ceteras vestes quas diviserunt et tunica fuit de qua sortiti sunt. Tale est quod et Lucas ait. Dividentes vestimenta eius miserunt sortes. Intelligendum est enim quod dividentes cetera pervenerunt ad tunicam. de qua sortitio facta est ut universa vestimentorum domini divisio impleretur. Igitur verum unumquodque est. quod Mattheus et Lucas aiunt

nisi quod lucas dicit sortes. ponens
pluralem numerum pro singulari. qua-
muis quedam codices inueniantur habere
sortem. Marcus uero in suis dictis
uidetur facere questionem. qui dicit
mittentes sortem super eis. quis quid
tolleret. Sic enim uidetur locutus
quasi super omnibus uestimentis. et non
super sola tunica sors missa sit. Sed
sciendum. quia breuitas locucionis eius
fecit obscuritatem. Sic enim dictum est
mittentes sortem super. ac si diceret
eam diuiderent, et cetera. Omnium quippe uesti-
mentorum eius diuisio completa non esset.
nisi sorte clarasset. quis illa tuni-
ca tolleret. ut sic contencio diuidencium
finiretur uel nulla pocius oriretur.
Ergo ait. quis quid tolleret non ad
omnia uestimenta que diuisa sunt refe-
rendum est. quoniam sola tunica sorti de-
putata est. Hoc ergo solummodo di-
ctum est. quis quid tolleret. ac si diceret
quis illa tunica tolleret ne con-
scinderetur. Pretermisit enim narrator nar-
rare quales sint. et quemadmodum
equalibus partibus factis. sola rema-
serit. Est ergo sensus. Diuiserunt
uestimenta eius mittentes sortem super
eis. quis illa tunica tolleret.
que partibus equaliter factis. sola
superfuit. Igitur magnopere inue-
stigandum est. quid significat illa
uestimentorum domini facta diuisio
et tunice sortitio. Nam quia

propheta dicit. uiuo ego dicit dominus
quia his omnibus. uelut uestimento uesti-
ris. Et paulus. quotquot in christo bap-
tizati estis christum induistis. recte
quadripertita uestimentorum domini diuisio
significat suam ecclesiam. toto qui
quatuor partibus constat terrarum orbe
diffusam. omnibusque partibus equa-
liter id est concorditer distributam.
Ut quod ipse dominus alibi dicit. Mit-
tet filius hominis angelos suos et
colligent electos eius a quatuor
uentis celi. Tunica uero illa sortita
unitatem designat ecclesie. que carita-
tis uinculo continetur. De qua apostolus
dicit. Unus dominus una fides. unum
baptisma. unus deus et pater omnium. Et
sciendum. quia apostolus locutus de
caritate. ait corinthiis. Emulamini
carismata meliora. adhuc excel-
lenciorem uobis uiam demonstro. Et it-
erum. Scire etiam supereminentem scien-
tie caritatem. Et alibi. Super hec autem
omnia caritatem que est uinculum perfectio-
nis. subauditur habete. Si ergo cari-
tas excellenciorem habet uiam et super-
eminet omni sciencie et super omnia pre-
cepta est. merito uestis per quam ca-
ritas designatur desuper contexta dicitur.
Inconsutilis autem esse perhibetur quia scissa
est. ut ecclesie unitas non scinditur
Et notandum quia illa domini tunica

ad unum perveniat. quia et sancta ecclesia
omnes in unum colligit. Hoc est in
fidei unitate. Ideo cum dixisset et
discipulis coniuncta. addidit pro toto. Catholica
siquidem est sancta ecclesia. quia ubique
una. Quicunque ergo ad eius unita-
te pertinet. cognoscit quomodo sancta
ecclesia tota sit ubique. quia ubique
una. Ad hoc nempe toto. sic greca
lingua indicat. sancta ecclesia dicitur
catholica id est generalis. sive uni-
versalis. Per sortem vero designatur
gratia dei. Sors namque omnibus placet.
ut in uno ad omnes perveniat. Sic et dei
gratia omnibus est accepta. et in uno
hoc est in fidei unitate ad omnes per-
venit. Sciendum quoque est. quia sors dum
mittitur. non personam recipit. non aliquorum
merita considerantur. sed occulto dei iudi-
cio reservatur. Similiter et gratia dei. absque
personarum acceptione gratuita bonita-
te quoscunque eligit. salvat. et quos
reprobat iusto iudicio condempnat
Preterea sciendum. quia crux. quamvis
ab impiis facta sit. et corpori domini
impacta. magnum tamen in se myste-
rium continet. Qui si aliud non ha-
bent hoc magnum esset quod apostolus
dicit. Qui autem sunt Christi. carnem
suam crucifixerunt cum viciis et con-
cupiscenciis. Attamen et aliud
magnum in se misterium continet. Ha-
bet enim quatuor cornua. per que
quatuor mundi partes designantur.

Ideo quia dominus crucifigi voluit. ut
ostenderet ipso genere passionis. quia non
unum tantum. id est iudaicum populum. sed to-
tum genus humanum redimere venit.
Crux eciam super terram figitur. celestia
et terrena demonstrat. Dominus itaque
ideo voluit crucifigi. ut ostenderet
quia passionis sanguine celestia et
terrena id est angelos et homines
pacificaret. Unde apostolus. Pa-
cificans sanguine crucis sue. que
in celis sunt. et que in terris. Aliud
eciam crucis est misterium quod dicit
apostolus. ut possitis comprehendere cum
omnibus sanctis. que sit latitudo.
longitudo sublimitas. et profundum
Est enim latitudo crucis in ligno
transverso. quo manus pendentes
extenduntur. et significat bona opera
que fiunt in latitudine caritatis
Unde scriptum est. latum mandatum
tuum nimis. Omnes namque addidit
quia non solum amicos vero. sed eciam
inimicos iubemur diligere propter dominum
Longitudo crucis est. a ligno trans-
verso usque sursum. qui supereminet
capiti. Significat autem virtutem
spei. sive supernum finem. quo cuncta nostra
bona opera referuntur. Nam cuncta
bona que in latitudine et longitu-
dine bene et perseveranter fiunt
ob superiorum premiorum amore sunt
facienda. Profundum vero crucis est
parte qua terre figitur. ubi occulta est

-nit investigari potest. sed inde cuncta eius apparencia et eminencia surgunt profundum. ergo crucis designatur gratia dei, a qua cuncta opera bona procedunt, sive profunditas iudiciorum dei, que comprehendi non potest. De qua dicit apostolus O altitudo sapiencie et sciencie dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et cetera. Postrema signum crucis credencium frontibus adhibetur, eiusdem signo chrisma conficitur, quo fideles perunguntur, ipsa etiam eius signo aqua sanctificatur, unde idem regenerantur, necnon corporis et sanguinis domini sacrificium quo aluntur per eius signum consecratur, et sine hoc nichil eorum recte perficitur.

Sequitur. Stabant autem iuxta crucem ihesu mater eius et soror matris eius maria cleophe et maria magdalena. Sciendum est quod mos erat iudeorum, ut non reputaretur in culpa, si mulieres preceptores suos sequerentur, et eis de suis facultatibus ministrarent ut possent. Secundum hanc consuetudinem ut ceteri ewangeliste declarant, iste mulieres secute sunt dominum a galilea in iudea et ei de suis de suis facultatibus que poterant ministrabant, minime que a singulis quibusque religiosis viris offerebantur, ipse preparabant. Hic autem mos erat gentibus insuetus et maximum eis scandalum generabat. Quod manifeste indicat apostolus dicens. Nunquid non habemus potestatem mulieres sorores circumducendi. Ostendit autem se habere potestatem sed non fecisse, ne scandalum gentibus generaret. Sed querendum est quomodo iohannes dicat has mulieres iuxta crucem domini stetisse, cum reliqui ewangeliste narrent quod steterunt a longe. Que tamen questio duobus modis solui potest. Secundum comparacionem quippe eorum qui propius stabant, ipse longe steterunt. Secundum eorum autem qui longius, ipse prope stetisse narrantur. Sive magis sciendum est, quia primo iuxta steterunt, ut hec commendacio fieret, quam ewangelista subiungit. Deinde propter populi frequenciam, quia ingens erat concursus ingentis per spectaculum, steterunt a longe, expectantes exitum rei.

Allegorice. Hec mulieres sanctam ecclesiam significant, que secuta est dominum de galilea, id est seculi huius volubilitate, in iudea, id est in fidei confessione, et ei cottidie devocionis simul et bonorum operum impendit obsequium. Sive significat unamquamque fidelem animam.

Sequitur. Cum vidisset ergo ihesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri sue. Et cetera. Sciendum est quia maluit beatus iohannes dilectionis indicio. quia proprio notabile sua demonstrauit presencia. Quod autem dicit quem diligebat Ihesus, non intelligendum est quod ceteris postpositis eum solum diligeret. sed quod pre ceteris familiarius amauit. Et hoc quidem ad simile genus pertinet sue uirginitatis. Virgo namque a domino electus est. et uirgo in euum permansit. Virgo autem a deo electus est ut ei dominus uirginem matrem commendaret. Mulier. ecce filius tuus. Nonnulli dictum autumant de Iohanne. sed falsum est. quod hoc dominus de semetipso dixit. Tamquam aperte dicat. Vide quomodo homo corpore sumptus patitur. quomodo pendet caro corpore sumpta. Cur me olim ad miracula prouocabas. et ego tibi dixi. nondum uenit hora mea. Ecce uenit hora quam tibi predixeram. Qui te creauit. olim miraculis innotescebat. Nunc quem tu peperisti pendet in ligno. Per hoc enim miranda et stupenda faciebam. per quod coequalis sum patri. ab eo ante omnia secula genitus. per quod nunc pacior. corpore constat assumptum. Deinde dicit discipulo. Ecce mater tua. Tamquam iterum dicat matri. Hunc pro me habebis uicarium. quia me ulterius non habebis mortalem filium. Notandum est. quia crux pacientis facta est cathedra docentis. Prebuit exemplum dominus quod ammonuit faciendum. Hoc munere bonus ille preceptor in cruce docuit. quod multo ante in lege iussit. Honora inquit patrem tuum et matrem tuam. ut diligenter filii piis parentibus curam adhibeant. Ex hac doctrina paulus didicit quod monebat dicens. Tempus habemus operemur bonum ad omnes. maxime autem ad domesticos fidei. ~~nulli magis sunt~~ Domestici fidei nulli magis sunt. quam parentes filiis. et filii parentibus. Hinc etiam dicit. Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet. fidem negauit et est infideli deterior. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Hoc loco quidam uolunt sibi audiri matrem. sed conuenientius sibi auditur curam. Querendum tamen est quomodo discipulus ille matrem domini in sua curam susceperit. qui nichil habebat proprie. qui iam dudum omnia reliquerat. retia. patrem. simul et nauiculam pariter. cum unius esset cordis de quibus in actibus apostolorum legitur. quod nemo suum aliquid esse dicebat. Sed sciendum est quod in eodem libro legitur quotquot erant possessores prediorum et agrorum uendentes afferebant precia. et ponebant eam ante pedes apostolorum. Distribuebatur autem unicuique prout opus erat. Discipulus ergo ille dilectus et famulus ita matrem domini et magistri sui in suam curam suscepisse credendus est. qui dum distribueretur singulis prout opus erat ipse preces ste virginis acri pietate et solerti studio notitia inspirabat. Postea sciens Ihesus quia omnia consummata sunt ut impleretur scriptura dicit: Sitio. Omnia que in lege et prophetis de domini passione predicta sunt impleta erant. Unum tamen adhuc erat implendum, scilicet quod in psalmorum libro legitur: Et in siti mea potaverunt me aceto. Ut ergo impleretur illud dicit: Sitio. Ac si diceret: unum adhuc non fecistis. Ut ergo illud impleatis date quod estis. Isti namque iam degeneraverant a vino et dulcedine patriarcharum atque prophetarum et conversi erant in amaritudinem. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto ysopo circumponentes obtulerunt ori eius. Querit fortasse aliquis quomodo hoc factum sit. Alii evangeliste declarant, videlicet in arundine. Datur ergo intelligi quia iste amarus potus per arundinem ad crucis sublimia elevatus est. Allegorice vas plenum aceto designatur mundus iste plenus iniquitate. De quo dicit apostolus: Mundus in maligno positus est. Per spongiam corda iudeorum quasi de pleno vase, id est de mundi iniquitate repleta et tortuosis cavernosisque latibulis fraudulenta. Ysopus vero herba est humilis purgans pectus cuius radix saxa scindit. Ergo si

ceat autem Christi humilitatem quem iudei crucifixerunt et se crucifixisse putaverunt. Hec etenim Christi humilitas saxea corda fidelium gentilium scilicet et iudee mollivit et purgavit ut omnes fidem libenter susciperent. Hinc est quod psalmista dicit: Asperges me ysopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor. Christi namque humilitate nos mundamur, quos nisi se ille pro nobis humiliasset usque ad mortem, mortem autem crucis, sanguinis perfusione nostra salus non esset. Idcirco psalmista desiderabat ut ipse humiliaretur, contulit nobis eius humilitatem super nivem dealbari, id est peccatorum omnium remissionem consequi. Per arundinem vero sacra scriptura designatur, que hoc facto implebatur. Ita sicut lingua greca dicimus vel alia qualibet non carnale membrum significantibus, sed sonum qui lingua exprimitur, ita etiam in arundine scriptura intelligitur que arundine scribitur. Sed cur calamum scriptura designetur ostendit Ysaias dicens: In cubilibus in quibus ante dracones habitabant orietur viror calami et iunci. Per calamum namque predicatores designantur, per iuncum vero auditores. Calamus quippe et iuncus ad humorem aque nascuntur. Sic et predicatoribus necessariis omnibus et auditoribus dum cor ficere scripture instruuntur. psalmum renascantur. Et quidam usque adeo proficiunt ut scriptores fiant. qui quasi calami sunt in ecclesia. Quidam vero a deo pigri sunt. ut qui audiunt intelligere nequeant. Hii in ecclesia sunt quasi iunci. In cubilibus ergo in quibus habitabant dracones id est in cordibus gentilium in quibus demones habitabant. oritur viror calami. id est viriditas predicatoris. et viror iunci id est viriditas recte fidei. Cum ergo accepisset acetum dixit. Consummatum est. Hic oritur questio quomodo iohannes dicat cum accepisset acetum cum alius evangelista dicat noluit bibere. Quomodo accepit si noluit bibere. Sed nulla contrarietas debet videri. Accepit enim non ut biberet. sed ut quod scriptum erat impleret. Unde alius evangelista dicit. et cum gustasset noluit bibere. Dicit autem consummatum est. illud videlicet quod tanto ante prophetia dixit. Deinde quia nichil erat quod prius quam moreretur fieri oporteret. tamquam ille qui habebat potestatem ponendi animam. et iterum sumendi eam. peractis omnibus. ad que venerat peragenda. inclinato capite. emisit spiritum. Notandum vero est. quia dicit matheus. quod emissa voce magna spiritum emisisset. Que autem fuerit hec vox. lucas ostendit. Pater inquiens in manus tuas commendo spiritum meum. Quis igitur ita dormit cum vult. sicut ihesus mortuus est cum voluit. Quis ita vestem deponit cum vult. quemadmodum ihesus carne se exuit quomodo voluit. Quis ita vadit quo vult. veluti dominus quo voluit abiit quando voluit. Sequitur. Iudei ergo quoniam parasceve erat. ut non remanerent in cruce corpora sabbato. erat enim magnus ille dies sabbati. Parasceve preparationem dicebatur sexta feria. id est preparatio. quia eo die iudei duplices sibi preparabant cibos. Quia ergo ille dies sabbati magne erat festivitatis. ideo ut narrat evangelista. accesserunt iudei ad pylatum. et rogaverunt eum ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Non crura quidem eorum verba sonare videntur. sed tollerentur tota corpora ne pendentes in cruce magnum diem festum diurni sui cruciatus horrore fedarent. Utrum vero pilatus fabulis iudeorum annuerit non ostendit. sed mox quod subditur. venerunt ergo milites. et primi quidem fregerunt crura. et alterius qui crucifixus est cum eo. datur intelligi quod annuit

Ad Ihesum autem cum venissent et viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. Quare non fregerunt eius crura? Videlicet quia non potuerunt, que ne frangerentur predictum fuit. Sic nimirum preceptum est hiis qui pascha celebraturi erant: Os non comminuetis ex eo. Quomodo gestum sit ostendit. Sed unus militum lancea latus eius aperuit. Ubi animadvertendum quam eleganti et vigilanti sermone evangelista usus est. Non enim ait percussit aut vulneravit, sive ut quedam falsa exemplaria habent perforavit, sed aperuit, tamquam ostium panderetur unde sacramenta manarent sine quibus ad vitam que vera est nemo potest pervenire. Que autem fuerint hec sacramenta aperte subditur. Et continuo exivit sanguis et aqua. Hec sunt illa sacramenta per que humani generis redemptio orta est. Sanguis enim ille fusus est in redemptionem peccatorum. Aqua vero illa salutare temperat poculum. Ipsa nimirum et lavacrum prestat et potum. De latere ergo Domini sanguis exivit redemptionis et aqua ablutionis, quibus misteriis edificata est costa et appellata est vita mater omnium vivorum. Hoc etiam prefigurabat quod Noe in latere arce ostium fecit, per quod animalia intrarent que non erant diluvio peritura. Per archam quippe significatur ecclesia, per animalia vero fideles et electi designantur. Hoc ergo facto iam tunc significabat quod per hec sacramenta fideles et electi introducendi erant in corpus Christi quod est ecclesia, ne cum mundo perirent. Et qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius. Hiis verbis beatus Iohannes suam demonstrat personam. Et ecce dicit testimonium eius verum, quod si ipse non diceret nos utique crederemus. Evangelista etenim veritatis falsum scribere non potuit. Quare ergo hoc dicit? Ad confirmationem videlicet sue narrationis. Et ille scit quia vera dicit, ut et vos credatis. Scit ille quia vidit. Unde oportet ut eius testimonio credat etiam ille qui non vidit. Sed notandum quia non ait sciatis ut cognoscatis, sed credatis. Ille quippe vidit, scivit et agnovit. Nos vero et si non vidimus, tamen credimus. Credere enim magis pertinet ad fidem quam ad cognitionem. Quid enim aliud est credere nisi fidem accommodare. Fides autem earum rerum est que non videntur. Unde apostolus: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Et nota quod duo testimonia de sacra scriptura. duabus predictis reddidit rebus. Nam quia superius dixerat ad ihesum cum venissent ut viderunt eum iam mortuum non fregerunt eius crura. ut hoc prophetico testimonio confirmaret ait Facta autem sunt hec. ut scriptura impleretur. os non comminuetis ex eo. Hoc enim illis preceptum est. qui pascha celebrare iussi sunt. agni vel ovis immolacionis. que figura veri agni id est domini nostri ihesu christi gerebat. Et quia dixerat. unus militum lancea latus eius aperuit. ut hoc etiam approbaret subiunxit. Et iterum alia scriptura dicit. Videbunt in quem transfixerunt. Ubi dominus in qua passus est carne ad iudicium venturum se promittit. Peracta demum dominica passione iuxta legis et prophetarum oracula. quod super eius corporis gestum sit sepultura declarat dicens. Post hec autem rogavit pilatum ioseph ab arimathia. eo quod esset discipulus ihesu occultus autem propter metum iudeorum ut tolleret corpus ihesu. et permisit pylatus. Arimathia. ipsa est et ramathaim civitas elchane et samuhelis. Querendum est autem. quomodo dicat evangelista quod esset discipulus domini occultus. Si enim discipulus erat. quomodo occultus. Aut quomodo occultus cum ipse accesserit ad pilatum et petierit corpus domini ut sepeliret. Sciendum vero est. quia discipulus erat domini quem iam in eum crediderat

Occultus vero erat propter metum iudeorum quo cum non dum esset corporibus presentibus minime poterat animum per confessionem nominis eius. Ideo quod mansit occultus. quousque iudeorum exarsit amencia. interim vere intendum erat scandalum. Sedatum vero ut cum clementia iudeorum cum tempore comperit. quo parvipendere eorum scandalum posset. accessit. et petivit corpus domini. Accepit et sepelivit. Non enim tunc discipulatus causa venisse putabatur. sed pietatis. ut debitum funeri obsequium preberet. quod hominibus tam bonis quam malis fieri solet. Interpretabatur autem ioseph auctus sive augmentatus. Et pulchre quidem qui pro actione boni operis augmentatus est. quod corpus domini accipere ac sepelire promeruit. Nos admonemur ut ioseph esse studeamus. quatenus corpus et sanguinem domini digne accipere atque in cordis habitaculo recondere mereamur. Et sciendum quia divitibus providendum est. ut iste ioseph dives esset. Aliter enim nec ad presidem accedere nec corpus domini impetrare potuisset. Scitur etiam actum esse ut esset et iustus quo aliter ut corpus eius sepeliret non mereretur accipere. Venit autem et nichodemus. qui venit ad ihesum nocte primum. Quod dicit primum non intelligendum est. quod ad eius sepulturam primo

Nichodemum venerit quo Ioseph per illo venerit. Et quando primo venit ad dominum nocte venit. Meminit namque evangelista pristine sue narrationis. Datur ergo intelligi quod tunc primo ad dominum nocte venit quando et de plurimis misteriis imbui promeruit. Deinde frequenter accessit ut audiendo fieret discipulus. Sedula itaque domini predicatione corroboratus venit. et pariter cum Ioseph corpus domini digna veneratione sepelivit. Volens igitur evangelista ostendere quomodo venerit. videlicet cum donationibus. subdidit dicens Ferens secum mixturam mirre et aloes. quasi libras centum. Centenarius numerus perfectus est. Per hoc ergo quod mirre et aloes quasi libras centum attulisse dicitur. perfecte mortificationis fuisse monstratur. Nam per mirram mortificatio designatur. Unde et in canticis canticorum loquitur Messui mirram meam cum aromatibus. Et notandum quod hoc unguentum simplex fuit. quia ex diversis aromatibus licentiam conficiendi non habuit. Sciendum quoque est quod iste Nichodemus magni fuit meriti. Nam cuius meriti fuerit in revelatione protho martiris Stephani pene omnibus gentibus declaratum est. Acceperunt ergo corpus Ihesu. et ligaverunt illud linteis cum aromatibus. Querit fortasse aliquis cur hic evangelista corpus domini dicat linteis involutum cum alii narrant tantum sindone munda obtectum. Sed contrarium videri non debet quod ceteri aut singularem numerum pro plurali posuerunt. aut spiritu sancto perordinante qui eorum stilum regebat ceteris omittentibus illud solum commemorare congruum putaverunt. quo corpus domini in apparentia fuerat involutum. Hic autem et alia que fuerunt intelligi voluit. dum corpus eius linteis involutum narravit. Linteum sane ex lino fit. Linum ex terra nascitur. et cum grandi labore ad candorem perducitur. Pulchre ergo per linteum designatur candor immaculati corporis eius. quod ex terra idest ex virgine sumptum est. Hinc ecclesie consuetudo descendit ut sacrificium domini corporis non in ~~pu~~ purpura neque in holosericis vestibus sive auro textis sed in sindone munda consecretur. Sicut et a papa Silvestro institutum fore perhibetur. Sequitur. Sicut mos est Iudeis sepelire. Mos namque est multis ut mortuorum corpora variis aromatibus condita sepeliantur. quatenus diutius illesa permaneant. Sed non frustra credendum est dixisse evangelistam. sicut mos est. Hoc quippe ni fallor ammonere voluit ut in huiusmodi officiis que mortuorum corporibus adhibentur uniuscuiusque gentis consuetudo servanda sit nisi forte sit contra fidem. Gra erat in loco ubi crucifixus est ihesus hortus. et in horto monumentum novum in quo nondum quisquam positus erat. Quid in hac narratione evangelista demonstrare voluit. Videlicet quod sicut in virginis utero nullus ante illum nullus post illum conceptus est. Ita et in hoc monumento nemo ante illum nemo post illud positus est. Bene ergo solus in monumento quia solus in virginis utero. Unde ipse dicit Singulariter sum ego donec transeam. Omnes enim qui in iniquitatibus concipiuntur et in delictis nascuntur in retia diaboli cadunt. Ipse vero singularis fuit quia de spiritu sancto conceptus peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius. Donec ~~tr~~ transiit a corruptione videlicet carnis ad gloriam immortalitatis. Ibi ergo propter parasceuen iudeorum quia iuxta erat monumentum posuerunt ihesum. Hijs verbis accelerata vult intelligi dominici corporis sepultura ne advesperasceret. quando iam tale aliquid propter parasceuen facere non licebat. a cuius vespere usque ad eandem horam alterius diei. sabbatum celebrare in lege preceptum est. Et ideo quia ibi erat hortus. et in horto monumentum. ibidem posuerunt eum.

Dominica sancta pasche Secundum marcum

Maria magdalena et maria iacobi et salome. Et reliqua.

Maria magdalena a castello magdalo de quo esse creditur sortita est nomen. licet postea in bethania habitasse legatur. sicut et dominus ihesus christus licet in bethleem fuerit ortus. tamen in nazareth noscitur esse conceptus et nutritus. Unde et nazarenus est appellatus. Ista est maria soror marthe et lazari quem dominus suscitavit a mortuis ipsa est etiam de qua dominus septem demonia eiecit. et que pedes illius unguento unxit. et lacrimis rigavit. De qua queri potest. si a demonibus vexabatur. quomodo concubitum femine demoniace homines sane mentis expetere ausi fuerint Ad quod dicendum. spiritaliter potius eam a demonibus fuisse vexatam quam in corpore. Per septem enim demones septem criminalia vicia designantur. a quibus omnis plenitudo viciorum originem ducit. Ab hiis ergo domino miserante curata est. Maria autem iacobi mater est iacobi apostoli minoris qui in evangelio frater domini appellatur Ideo quod filius fuit matertere eius vel propter nimiam sanctitatem et insuperabilem predicationem christi qui fuit etiam primus iherosolimorum episcopus. quem precipitatum de pinna templi iudei fullonis fuste excerebraverunt. Minor autem dicitur ad distinctionem alterius iacobi qui maior sicut est dictum. De maria salome. origenes et iohannes crisostomus arbitrantur matrem filiorum fuisse zebedei. iacobi scilicet maioris et iohannis evangeliste. Unde et in quibusdam codicibus ita reperitur inveniri incipit liber apocalypsis iohannis apostoli salome. Ipsa est et maria iohannis. Qualibet nonnulli ex superfluo more interpretationem sequentes. peregrino intellectu asserunt matrem salvatoris hoc censeri vocabulo. Interpretatur enim salome pacifica. Sed non claret quare evangelista matrem domini in cathalogo sanctarum mulierum ultimo loco tenere voluerit. Appropinquante igitur domino ad passionem astiterunt mulieres et alie multe sicut erant illum a galilea ministrantes ei de substancia sua. Et si queritur cur dominus hiis feminas consortium habere voluit. Sciendum consuetudinem fuisse apud gentem iudeorum inter quos dominus corporaliter versabatur. ut mulieres suis predicatoribus temporalis vite subsidium ministrarent. Non enim dicebatur in culpa si corporalia acciperent quibus spiritalia bona tribuebant. Hinc paulus apostolus suis auditoribus dicens. Si nos vobis spiritalia seminavimus magnum est si vestra carnalia metamus. Et alibi. Nunquid non habemus potestatem sorores circumducendi sicut apostoli et fratres domini.

et cephas. Ecce et duo alii christus qui pro nobis pati dignatus est. Sane quamquam constat. Passo ergo domino et cunctis discipulis timore recedentibus, iste mulieres intrepide cum domino permanserunt. Et deposito corpore de cruce cum vidissent ubi ponebatur, regredientes in civitatem emerunt sibi aromata et paraverunt unguenta in ipsa die parasceue. Hoc est sexta feria in qua tantum eis hora diei permisit videlicet usque ad solis occubitum. Succedente vero sabbato in quo non erat licencia operandi propter legis edictum, incipientes autem a vespera usque ad vesperam alterius diei cessando esse ab opere, ceterum opus imperfectum dimiserunt et sabbato quiete siluerunt. Transeunte autem sabbato et appropinquante die dominica in qua iudeis facultas operandi redierat, quod prius ob impossibilitatem parandorum aromatum minus fecerant supplere studuerunt. Quibus quidem rite sicut decebat instructis, iam exorto sole, id est absente aurora ab orientali parte, quod nunquam fit nisi in civitate solis superos convenientibus devocionem suam completurae ad monumentum venire curaverunt ut ungerent corpus dominicum. Mos namque traditur fuisse genti iudaice ut nobilium mortuorum corpora quorumdam aromatum confectionibus condirent, ut plurimo tempore incorrupta et absque vermium scaturigine illesa durare potuissent. Secundum spiritualem vero intellectum per unguenta designantur sancta corpora. Unguenta siquidem alibi sunt et alibi odorem reddunt. Pari modo sancte actiones ab hominibus geruntur et alibi in parte bona opinione effunduntur. Unde paulus apostolus ait: Christi bonus odor sumus deo in omni loco. Sancte vero mulieres animas figurant spiritualium virtutum pigmentis refertas. Cum enim qui crucifixus et mortuus est credentes cum bonorum operum concentu illum querimus, ad monumentum profecto domini cum aromatibus properamus. Et valde mane una sabbatorum. Una sabbatorum vel una sabbati dies illa ut dicit Remigius accipe quemadmodum nos christiani ob reverenciam resurrectionis christi diem dominicam appellamus. Sicut enim nos a prima feria que est dies dominica dies ebdomadis computamus dicentes secunda feria, tercia feria et cetera usque ad septimam feriam, ita et iudei dies suos a sabbato computare inceperunt dicentes sabbatum, secunda sabbati, tercia sabbati, et quarta sabbati, quinta sabbati, sexta sabbati. Dicitur autem prima sabbati vel una sabbati sive una sabbatorum prima vel una die sabbati, quod significat diem dominicum. Orto iam sole. Qua hora iste mulieres ad monumentum salvatoris venerunt secundum evangelistas diversi sentiunt, et pene ut simpliciter videtur sibi contraria. Matheus namque scribit eas ad monumentum venisse una sabbati que lucescit in prima sabbati. Lucas pullorum cantu eas venisse commemorat. Iohannes vero tempore adventus earum tenebras adhuc ad monumentum fuisse denunciat dicens: Una sabbati Maria Magdalena venit mane cum adhuc tenebre essent ad monumentum. Porro Marcus ut presens lectio narrat ~~[illegible]~~ orto iam fuisse sole venientibus illis affirmat. In tanta ergo diversitate ac dissonancia evangelistarum dubium cum intelligentibus videtur cui potissimum fides debeat adhiberi. Sed tamen nequaquam culpa mendacii est suspicanda in evangelistis, ut alius aliud vel aliter sensisse videatur, presertim cum eorum idemque spiritus sanctus omnibus affuisse constantissime credatur. Sed ideo diversa eos protulisse dicendum, ut in multis simul amorem predictarum mulierum quo circa dominum flagrabat legentibus plenius ostenderet. Quod enim varie hore adventus illarum ad monumentum Christi ponuntur, debet intelligi propter illud eas nocte venisse et recedente nocte que sabbatum subsecuta est atque appropinquante die dominica dominum resurrexisse de sepulchro. Potest et ita intelligi quod evangelista dicit orto iam sole mulieres ad monumentum venisse, ut sol quidem in parte orientis iam ortus fuisse dicatur, non tamen adhuc splendorem sue lucis intra septa sepulchri infudisse intelligatur. Quod vero orto sole ad salvatoris monumentum cum preparatis unguentis venitur, mystice nobis informatur, quatenus revelata facie discussis quibusque viciorum tenebris suavitatem sanctorum operum omnipotenti deo offerre satagamus. Nobis quippe taliter agentibus verus sol orietur, qui intima mentis nostre in precordiis splendore perpetue lucis irradiabit. De quo impii dampnati in inferno dicunt: Sol iusticie non est ortus nobis. Et propheta: Vobis timentibus nomen meum orietur sol iusticie. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Lapidem illum qui ori spelunce appositus fuerat, eciam ex verbis consequentibus pergrandem fuisse discimus, adeo ut a mulieribus nulla racione posset revelli. Unde quod sexus fragilis agere non poterat, aperuit dicens: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Quo ordine lapis ab ore monumenti sit revolutus, Matheus evangelista suis verbis aperit dicens: Ecce angelus domini descendit de celo et accedens revolvit lapidem. Quo in loco intimandum quod dominus iam eciam antequam lapis submoveretur surrexerat. Unde et angelus domino egredienti de monumento adiutorium non prebuit, sed lapidem revoluto resurrectionis illius evidenti indicio mulieribus declaraverunt. Figuraliter lapis ille legem significat moysaicam que antiquo populo in lapide conscripta est. Et vero revolucio huius lapidis reseracionem designat misteriorum celestium que in legis scriptura usque ad tempus adventus condita latuerunt sed nulla racione aperiri poterant antequam in Christo que figurabant opere explerentur. Et ubi peracto dispensacionis temporalis misterio completa per passionem surrexit mox eadem celestium secretorum archana qualiter ad se pertinerent electis a se discipulis declaravit. Nempe quemadmodum Domino suscitato monumentum illud preclusum fuit intrantibus, ita eciam post illius resurrectionem sacramenta legalia cunctis nimirum patuerunt credentibus. Unde magis scriptum est quia resurgens aperuit sensum discipulis ut omnia que de eo scripta erant intelligerent. Consequenter autem ewangelista premissa revolucioni lapidis ad astruendam fidem resurrectionis subnectit: Erat quippe magnus valde. Etenim lapis ille ingens ad os sepulchri loco obicis advolvitur ad roborandam fidem dominice resurrectionis constat divinitus actum, quatenus dum illud saxum vis divina repelleret quod multitudo hominum in loco quidem movere valebat nullus occasionem haberet dicendi corpus dominicum ab apostolis furto fuisse sublatum. Per lapidem quippe revolutum super quem angelus sedit ut Matheus narrat lex intelligitur in lapideis tabulis scripta. Significabatur enim per hoc quod observacio veteris legis removenda iam atque calcanda erat et predicacio ewangelii introducenda. Et introeuntes in monumentum. Quod sepulchrum monumentum illius custodibus armatis premunitum fuisse ewangelista ostendit ne quis discipulorum potuisset accedere. Querendum ergo sollicite quare mulieres monumentum introire potuerunt quod tanta diligencia custodiis militum vallabat sic ewangelii historia sufficienter exponit. Sed huius questionis enodacio ex verbis Mathei ewangeliste est expetenda. Scribit enim angelum nimis terribili fulgureo vultu ad monumentum apparuisse pre cuius timore custodes exterriti sunt et facti sunt velut mortui. Sicut ergo iuxta hanc narracionem milites ita sunt pavore labefactati ut nec mulierculas quidem prohibere potuissent qui absque obstaculo locum sepulchri intrarent aut certe dicendum quod mox ut signum resurrectionis patuit cum tremore terre plenissimo in civitatem reverti studuerunt rei geste ordinem pontificibus narraturi ut ewangelista sancta simulque explicat. Si autem querit aliquis quomodo illud sepulchrum tot homines intra se potuerit continere, noverit longe aliud fuisse quam ea que apud nos habent sepulchra. Ut enim asserunt sanctorum locorum lustratores, monumentum illud domuncula erat in petra excisa, capiens novem vel octo homines, et tante altitudinis ut tantum illius summum manu extenta quilibet possit attingere. In cuius aquilonari parte incisus est loculus in eadem petra, ubi corpus dominicum positum fuit, longitudine septem pedum et trium palmarum mensura, cetero pavimento eminentior. Habebat quoque ipsa domuncula introitum ab orientali plaga, per quem mulieres in ipsam domum quam diximus introierunt. Viderunt inquit iuvenem sedentem. Recte iuvenem Marcus fuisse commemorat, qui illius resurrectionem nunciabat, qui in etate xxx annorum passus est et resurrexit. In qua etatis mensura omnes in die iudicii credunt resurgere, cuiuscumque etatis sint aut maioris scilicet vel minoris, cum ab hoc seculo per mortem recedunt. In dextris. Quantum ad literam attinet, angelus qui sedebat utrisque in dextris erat, et mulieribus qui introibant et domino qui iacebat. Quia enim ut dictum est quadrata domuncula ostium in monumento habebat a parte orientis, locus dominici corporis qui in aquilonari parte erat intrantibus in dextris erat. Super cuius loculi sponda angelus residens, iacenti etiam domino in dextris erat, quia cum caput corporis occidente versus positum erat, necesse fuit dexteram illius in meridianam partem respicere, in qua angelus sedebat. Spiritualiter quoque intellecta recte convenire videntur. Notandum vero est quod Matheus dicat angelum domini descendisse de celo et revolvisse lapidem ab ostio monumenti et sedisse super eum. Lucas vero narrat duos viros stetisse iuxta illas in veste fulgida. Marcus iuvenem sedentem visum esse ab illis affirmat. Evangelistis ergo de resurrectione domini tam varie ac diverse inter se narrantibus quomodo fides adhibenda est? Si enim iuxta narrationem Luce duo angeli stantes mulieribus apparuerunt, quomodo Matheus et Marcus unum fuisse affirmant? Ad quod dicendum quia ipse spiritus sanctus qui scribis evangelistis ad scribenda acta salvatoris ministravit, ipse quoque modum narrationis ita modificavit ut quod alter tacuit alter aperire curaret. Unde absque ulla ambiguitate utrumque verum esse constat, et stantes angelos et sedentes apparuisse secundum diversitatem horarum quibus ad monumentum mulieres venire studuerunt. Lucas vero angelos stantes visos fuisse corememorat ut humanitate filii dei ostenderet vultu dei patris assistere · et pro nobis illum interpellare. Hoc est rogare non voce sed miseracione. Sedere quippe quiescentis est vel regnantis. Stare vero pontificis est ad aram. Ut ergo monstraret ewangelista marcus christum qui ex infirmitate mortuus est regnum et potestatem celi secundum humanitatem super omnia accepisse memoret quod alibi dicit Data est michi omnis potestas in celo et in terra consequenter in eius resurrectione angelum sedentem describit. Quia uero redemptor noster corrupcionem mortalitatis iam incorruptibilis effectus exuerat signanter ad spiritalem intellectum in omnibus resurrectionis illius in dextera sedebat. Siquidem per dexteram futura beatitudo, per sinistram vero presens vita figuratur. Unde et sponsa in cantico amoris loquitur Leva eius sub capite meo et dextera illius amplexabitur me. Leva quippe sponsi capiti sponse supponitur quia intencione sancte ecclesie omnis prosperitas et felicitas presentis vite premitur et calcatur. Dextera autem sponsi eam amplexabitur cum in gaudium perpetue felicitatis inducta tota in amore conditoris refundetur. Sequitur. Coopertum stola candida. Pluribus in locis angeli ante dominum passionem visi fuisse leguntur nec tamen vestibus eorum fulgentibus vel candidis usquam describuntur, sicut post eius resurrectionem apparuisse narrantur. Prorsus nonnumquam vestem candidam festivis intimandis complementibus congruere. Angelus igitur resurgente domino candida stola amictus apparuit ut perfecto claritatem tante solempnitatis etiam in ipsa pulchritudine habitus demonstraret. Sicut enim sanctorum dicitur quod venerabilius ceteris sanctuarii locis habetur, et canticum canticorum vocatur quod omnia cantica sua dignitate superexcedat, sic certissime paschalis festivitas omnium solempnitatum valet appellari solempnitas. Diem quippe resurrectionis que hac solempnitate tripudiantibus animis celebratur non solum hominum verum etiam angelorum festivitas fuit, quia videlicet dum humanum genus resurgendo ad celestem ~~[illegible]~~ patriam reduxit perfecto dampna celestia patrie celestis que labentibus angelis contraxerat reparavit. Nec pretermittendum quod matheus de angeli visione loquens describit quia erat aspectus eius sicut fulgur et vestimenta eius sicut nix. Ideo angelus in fulgure apparuit ut militibus qui ad custodiendum monumentum accesserant terrorem incuteret. Ideo autem in candore nivis ut mulieribus de nece domini merentibus consolacionem inferret. In fulgure etenim terror timoris, in nive autem leve blandimentum candoris existunt. Quia ergo redemptor noster in iudicio hoc est in novissima omnium hominum resurrectione et pavendus reprobis et blandus electis videbitur, merito testis eius resurrectionis angelus et in fulgure vultus et in candore vestis apparuisse memoratur. Qui dicit eis: Nolite expavescere. Hanc habent consuetudinem benigni angeli ut quotienscumque apparentes hominibus viderint eos sua visione perturbatos mox blando alloquio consolacionem inferant. Econtra maligni spiritus quoscumque eos sua visione consternatos viderint amplioribus terroribus eos ad pavendum excitant. Angelus ergo mulieres blando alloquitur sermone dicens: Nolite expavescere. Tamquam aliis verbis loqueretur: Paveant illi qui adventum civium supernorum non amant, pertimescant qui carnis desideriis pregravati ad eorum se societatem pertingere posse desperant. Vos autem cur pertimescitis, que in obsequio salvatoris concreatos vestros concives videtis. Ihesum queritis. Hoc nomen quod est Ihesus humanitatis attributum est unigenito filio dei. Dicente angelo ad beatam virginem Mariam: Ecce concipies et paries filium et vocabis nomen eius Ihesum. Ihesum autem salvatorem interpretari notissimum est. Ideo videlicet quia ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Sed quia in populo iudeorum hoc nomine quod est Ihesus multi vocari poterant, sicut Ihesus ille qui post Moysen populum in terram repromissionis induxit, et Ihesus filius Syrach, ad differenciam aliorum subiungit angelus et dicit: Nazarenum. Nazarenus utique redemptor noster fuit quia in ipsa civitate conceptus ac nutritus est, licet in Bethlehem fuerit ortus. Dicitur quoque Nazarenus quia ipse est flos mundicie et virtutum, quod interpretatur Nazareth. Unde alio loco dicit: Ego flos campi et lilium convallium. Rursus quoniam in una eademque civitate Nazareth nonnullos poterat habere equivocos, notam causam subiungit dicens: Crucifixum. Et si enim multi Ihesus mibi esse poterant, solus tamen ille ipse in tempore fuerat crucifixus. Surrexit. Surrexit per potenciam deitatis qui mori voluit per infirmitatem carnis. Non est hic. Non est hic dicitur per presenciam corporis qui ubique est per plenitudinem divinitatis. Ecce locus ubi posuerunt eum. Ac si dicat: Et si michi non creditis saltem vacuo credite monumento. Sed ite dicite discipulis eius et Petro quia surrexit. Merito queritur cur discipulis aliis memoratis Petrus designetur ex nomine. Sed certius

Unde quare christus dicitur nazarenus

respondendum quia nisi nominatim expressus fuisset inter condiscipulos non auderet venire qui magistrum negaverat. Vocatur ergo nominatim ne desperaret ex negatione. Si querat aliquis quare dominus Ihesus Christus beatum Petrum in tantum deseruit ut se negare labi permiserit, qui enim ante passionem filium dei esse publice confessus fuerat. Novimus mira dispensatione omnipotentis hoc gestum fuisse. videlicet ut is qui princeps ecclesie et pastor dominicarum ovium hoc est custos animarum erat futurus neminem quamvis peccare desperaret. neminem propter peccatum in desperationem verteret. neminem de venia desperare, si in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset. Quod non solum de beato Petro sed et de omnibus sequacibus illius est intelligendum. Quo loco magna infirmitati nostre ad agenda penitentia spes fiducia que tribuitur qui etsi peccando labimur, ad veniam tamen exemplo resurgentis apostoli invitamur. Quem etsi flevisse legimus, quid tamen penitens in fletu dixisset non invenimus. Lacrimasse dicitur, verum quod precibus quoque satisfaciens fuderit non refertur. Cur hoc nisi utiliores sunt preces lacrimarum quam implorationes sermonum. quia sermo in precando forte fallit, lacrima non fallit. Sermo enim medium non totum hominis profert negotium, lacrima semper totum loquentis prodit affectum.

Et ideo Petrus in penitencia sua iam non utitur sermone quo Christum negaverat, ne illi sermonem crederet ad confitendum quo usus fuerat ad negandum. Invenimus autem et aliud cur tacuerit Petrus, scilicet ne tam cito et velox venie postulatio per imprudentiam plus offenderet quam impetraret. Debet enim ante mereri indulgentiam qui verecundius deprecatur. In omni igitur culpa ante flendum est. et sic petendum. Lacrime enim tacite quodammodo preces sunt. veniam non loquendo postulant et merentur. Causam non dicunt et misericordiam consequuntur. Operepretium quoque est edicere quare prime mulieribus et non viris dominica resurrectio primitus fuerit nunciata. Pro nimirum ut que in paradiso mortem prima intulerat, ipsa prior resurgentem vitam nunciaret, ne ipse sexus perpetuo obprobrio apud viros culpabilis et desperabilis haberetur. Ecce precedet vos in Galilea. Iuxta litteram cur dominus in Galilea videri voluit facilis responsio patet. quia scilicet decebat ut resurgens a mortuis in patria sua vicinis et propinquis suis in sua carne semetipsum ostenderet, ac de resurrectione sua eos ~~lactificaret~~ letificaret. qui de eius morte per certius fuerant contristati. Iuxta spiritualem vero intellectum in galilea se uidendum predixit. que interpretatur transmigracio facta. quia scilicet iam transmigrauerat atque transierat dominus ac redemptor noster de passione ad resurreccionem. de corrupcione ad incorrupcionem. De morte ad uitam. Sed non est quesitu indignum. quare se in galilea specialiter uidendum pollicitus sit cum resurgeret a mortuis neque ibi primum. neque ibi solum apparuerit. Cum enim ex dictis ewangelistarum intra quadraginta dies post suam resurreccionem. decies illum uisus fuisse appareat. octaua manifestacione in galilea a discipulis uisus esse conuincitur. Que questio specialiter est differenda. Interpretatur enim galilea transmigracio ut dictum est uel reuelacio. Agitur secundum id quod transmigracio dicitur. significabat hijs uerbis quibus dixit precedam uos in galileam quod gracia dei hoc est annunciacio sancti ewangelij que per christum mundo oblata est a iudeis propter perfidiam erat auferenda et ad gentes per apostolos migratura. Et sic sensus precedam uos in galileam. Hoc est in gentilitatem. Iuxta quem intellectum pulchre se dixit precedere discipulos in galileam. quia nisi christus apostolos precessisset corda gentilium inspirando atque illorum predicacionem in cordibus populorum fundando. nulla racione potuissent homines indocti et illiterati ac potius piscatores et telonearii. tot reges. tot principes. atque tot gentes longa consuetudine temporum ydolorum cultui deditas ad fidem christi conuertere. quo fides et credulitas populorum non preuenit per sapienciam uerbi compositi sed per graciam muneris diuini. Aliter uero secundum hoc quod galilea reuelacio dicitur. illa significat reuelacionem qua ueritas dilectoribus suis alibi repromittit dicens. Si quis diligit me. manifestabo me ipsum. Et rursum ad patrem. Hec est autem uita eterna. ut cognoscant te solum deum et quem misisti ihesum christum. Que manifestacio non nisi in celo sanctis est tribuenda. promissorum autem uerborum sensus talis est. Precedam uos in galileam. hoc est ad uisionem patris celestis. et postea uos sequentes. ibi me uidebitis. Precessit enim christus electos suos per humanitatis ascensionem. cum quadragesimo die sue resurreccionis ascendit in celum. Que subsecuturi sunt ipsi cum in die iudicij receptis corporibus immortalibus inducentur in illam manifestacionem in qua uidebunt christum facie ad faciem. non iam in forma serui. sed in equalitate patris. Unde iohannes dicit. Videbimus eum sicuti est. Ibi eum uidebitis sicut dixit uobis. Quando hoc dixit discipulis dominus. Post peractam cenam. pergens ad passionem Cum surrexero inquit. precedam uos in galilea. In galilea ergo. hoc est in gentilitate discipuli dominum viderunt. cum per sua predicacione in cordibus qui de gentibus crediderunt dominum per fidem et credulitatem habitare fecerunt. Sicut enim homo corporaliter habitat in domo manufacta. ita deus qui spiritus est spiritualiter habitat in cordibus credencium eorum videlicet qui quod corde credunt operibus adimplere contendunt. Quia vero paschalem sollempnitatem et officiis et lectionibus devote recolimus. dignum profecto est ut de tanta sollempnitate aliquid ad animarum imitacionem trahamus. quatenus congruam festivitati vitam colamus. Pascha quippe transitus interpretatur. Galilea autem transmigracio vel revelacio. Qui ergo superne claritati ad quam possidendam conditi sumus. et gaudii celebritatibus admisceri cupimus. Necesse est ut de peccatis ad iusticiam. de seculo ad deum. de viciis ad virtutes. de infimis ad celestia mente salubriter transeamus. quatenus conditorem nostrum in galilea. Hoc est in revelacione celestis patrie. facie ad faciem libero contuitu videre mereamur amen.

Duo ex discipulis ihesu ibant ipsa die in castellum. Et reliqua

Scriptura sacra spiritus sanctus hac racione modificavit ut nec continua littere superficiem simpliciter observaret. nec semper obscurioribus misteriis involuta. prolixiori exposicione opus haberet. sed ita seriem illius dispensavit. ut nunc magnitudine sacramentorum obscura. nunc vero historie simplicitate contenta auditori vel lectori hac diversitate revelaret. Unde plerumque videbis in brevibus verbis grandissima et pene inscrutabilia esse misteria. plerumque autem in prolixiori narracione intelligenciam solummodo planam iacere. et pene nullis sacramentorum implicacionibus innotescere. Presens igitur lectio in exposicione sua non multum ad loquendum postulat. sed fidem dominice resurreccionis simplici historica narracione confirmat. Duo inquit ex discipulis ihesu. Et reliqua. Narrant greci scriptores gigantem herculem uno anhelitu c. xxv passus cucurrisse. quibus expletis constitit. et abstando huiusmodi spacium stadium vocavit. Est autem stadium octava pars miliarii quod constat c. xxv passibus. Dum vero miliarium. Hoc est mille passus constituit octo stadia. Et lx stadia septem conficiunt miliaria. et medietatem octavi. Que in summam reducta longitudinem conficiunt v. Quod spacium itineris in mistica spiritualem intellectum rectissime ambulantibus congruit. Beati maque miliarium preterierat. quia xpm innocenter usque ad mortem quam sexta feria subiit vicisse credebat. Septimum [illegible] transierat quia de morte ac sepultura eius certi existebant. Octavum vero nondum preterierat. quia resurrexisse illum dubitabant. Emaus autem alii dicebant castellum. vel civitatem que nunc Nicopolis dicitur. que prius subruta et demum sub marco aurelio antonio restructa. cum statum mutavit et nomen. Et ipse Jhesus appropinquans ibat cum illis. Duas ob causas duobus loquentibus de se adesse voluit. Primo ut fidem suam in illorum cordibus solidaret. Secundo ut impleret quod ante passionem suam predixerat. ubi inquiens duo vel tres congregati fuerint in nomine meo. ibi in medio eorum sum. Qui sicut tunc implevit corporaliter. ita cottidie in ecclesia spiritualiter implet cunctis qui vel de sua vel de aliorum salute tractaturi in nomine salvatoris conveniunt. ad eum cognoscitur. Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent. Non quidem cecitate omnimoda contenebrati fuisse putandi sunt sed cum ad alia aptos visus haberent xpm solummodo recognoscere nequibant. Tale quid et de persecutoribus Helisei in regum libro legimus quia dum rex israhel misit [illegible] ad capiendum eum. et adoratione eius qui missi fuerant. percussi sunt cecitate. et iterum cum voluit aperti sunt oculi eorum. Huiusmodi vero cecitas apud grecos distincte aurosia vocatur. vel aorosia. id est cecitas vel invisibilitas. Quia ergo et isti et amabant xpm. et tamen de eo dubitabant. presentem se illis exhibuit. sed specie cognoscibilem non ostendit. Et ait ad illos. Qui sunt hii sermones. quos confertis ad invicem. Et reliqua usque his diebus.

Peregrinum eum vocabant cuius presenciam non agnoscebant. Re autem vera peregrinus erat eis. quia percepta immortalitate longe ab eorum fragilitate distabat. Vel peregrinus erat eis. quia a fide ~~illorum~~ illorum procul recesserat non ~~credentibus~~ credentes resurrexisse illum a mortuis. Et ille dixit. Que. Et dixerunt. De Jhesu nazareno et cetera usque sermone. Requirendum cur eum virum et prophetam dicant et xpm taceant. Profecto vel nondum plene credentes. vel certe solliciti ne in manus persequencium inciderent iudeorum. presertim cum ignorarent quis esset cum quo loquebantur. Prophetam tunc dominum appellatum pluribus exemplis liquidum est. Quorum unum est ipso dicente. Non capit prophetam perire extra Jherusalem. Fuit autem potens in opere, id est miraculis. Et in sermone, hoc est in doctrina. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israhel. Et se ipsos redarguebant quod in domino speraverant, quasi errore detenti fuissent cum in Christo redemptionem Israhel perficiendam esse sperabant. Unde et non dicunt speramus sed sperabamus. Tantam enim huiusmodi spem amiserant, verum ymmo iudeorum fabulas putabant, non solum Judei et apostoli Christum in mundo universo post resurrectionem plurimis annis temporaliter regnaturum, et gentibus sue iuris ac iudeis totius orbis principatum congrua singulis quantitate partiturum. Unde et post resurrectionem domini discipuli interrogantes dicunt. Domine si in tempore hoc restitues regnum Israhel. Id est ut illi qui tibi per carnem propinqui sunt, te distribuente in hoc mundo regnum et principatum obtineant. Hac ratione etiam filiorum Zebedei mater inducta suadentibus filiis adhuc carnaliter sapientibus petebat a Christo ut cum ipse principatum accepisset in toto mundo, unus filiorum eius sederet ad dexteram atque ad sinistram alter. Sed et mulieres quedam ex nostris terruerunt nos. Sequitur. Querit quare eos terruerit mulierum. Respondendum: ideo eos territos fuisse mulieribus corpus domini ablatum nunciantibus, quia metuebant ne calumpnia sublati corporis scribe et pharisei in apostolos retorquerent. Hec autem omnia que hic breviter Lucas capit in dictis aliorum evangelistarum plenius explicantur. Et ipse dixit ad eos. O stulti et tardi corde ad credendum et reliqua usque in gloriam suam. Merito stulti et tardi corde vocantur qui de Christo tam infideliter sapiebant. Oportebat magis Christum pati, quia nisi ille pateretur, genus humanum ad pristinam dignitatem reformari non posset. Hoc enim deus pater ante omnia secula cum filio et spiritu sancto decreverat, ut genus humanum quod in Adam perierat certo tempore unici filii passione et morte consilium recuperaret. Adiuncta. Incipiens a moysi et cetera usque erant. Hoc loco pigritiam nostram redarguit, quamvis in scripturis sacris quantum docti sumus edocti, necdum ipsi quam aliquibus intellectu percepimus opere exercuimus. Nam moyses et prophete omnes prenunciaverunt Christum per passiones tormentorum in gloriam suam intraturum. Qua ratione Christianos se iactitat, qui quam sacras scripturas qualiter ad Christum pertineant investigare non curat. Et appropinquaverunt castello quo ibant et cetera usque longius ire. Fingere dicimus usitato sermone compo-

Unde et compositores luti figulos vocamus. Simplex igitur veritas nichil per duplicitatem fecit, sed talem se eis corporaliter exhibuit, qualis illorum mente se esse cognovit, ut quia illi de quo dubitabant, ita eis videretur quasi longius ire vellet. Probandi autem erant, si hii qui eum etsi necdum ut deum diligerent, saltem ut peregrinum amare potuissent. Sed quia extranei a caritate esse non poterant cum quibus ipsa caritas gradiebatur, coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum quoniam advesperascit et inclinata est iam dies. Ecce quo presidio nobis datur exemplum, quatenus peregrinos ad hospitium non solum invitemus, verum etiam trahamus. Quanta enim virtus sit hospitalitatis, hinc liquido patet, quod constat sanctos viros dum hospitalitatem sectarentur angelos recepisse. Hinc enim per Paulum dicitur: Caritas fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt quidam angelis hospicio receptis. Hinc Petrus ait: Hospitales invicem sine murmuracione. Isti denique de quibus sermo est, quod caritate hospicii peregrino ut sibi videbatur non negaverunt, Christum hospitem suscipere meruerunt. Et accepit Ihesus et cetera usque eum. Quem in exposicione scripturarum non intellexerunt, in panis fraccione cognoverunt. Audiendo enim precepta dei illuminati non sunt, faciendo, hoc est caritatem exhibendo, illuminati sunt. Nempe hoc est quod dicit apostolus: Non auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Quicumque ergo vult audita intelligere, necesse est ut prius studeat intellecta opere complere. Hinc ordine psalmista intelligens ait quodam loco sic: In mandatis tuis exercebor et considerabo vias tuas. Nisi enim quis in mandatis dei que potuit se operando utiliter exercuerit, ad considerandas vias, hoc est precepta omnipotentis dei, sublimiter non assurgit. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via et aperiret scripturas. Loquitur dominus in ewangelio: Ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut ardeat. Hunc ignem haud dubium quin spiritu sancto mentes discipulorum flagrabant, cum eis dominus in via loqueretur. Quia nimirum cum sermo predicantis auditur, animus inflammatur. Et mens sancto desiderio estuare inchoat, que prius in duricia infidelitatis mala frigida tabescebat. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Iherusalem et invenerunt congregatos undecim. Duodecimo iam perdito, dicentes quod surrexit dominus vere et apparuit Simoni. Iam fama apud discipulos passim meruat quod dominus surrexisset. Nam et mulieribus per angelos hoc nunciatum fuerat. et ipse dominus surgens apparuerat petro primo omnium virorum. quod evangelium et paulus apostolus commemorat. Ubi autem ei apparuerit tam ydoneis assertoribus ~~infor~~ instructi modis omnibus non dubitamus. Et ipsi narrabant. et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. Non est pretermittendum quod sancti doctores affirmant. Hoc impedimentum in oculis discipulorum deo permittente a satana fuisse immissum. ut eum in via non cognovissent. quem illum postmodum in fractione panis agnoscere valerent. Quod a magno sacramento vacuum non est. Panis enim qui ex multis granis conficitur. unitatem ecclesiastici corporis designat quod ex multis fidelibus multiplicatum perficitur. De quo apostolus. Unus panis. unum corpus multi sumus in christo. Hic panis conspergitur. quando fideles baptizantur. Coquitur cum spiritus ~~sanctus~~ sancti perceptione confirmatur. Quod ergo discipuli christum non nisi in fractione panis agnoverunt figuraliter significat nullum perfectam dei cognitionem sicuti agnoscendus est posse habere nisi perfecto corpori ecclesie integritate fidei et operationis studuerit intus esse. Hanc autem unitatem quia heretici observare noluerunt idcirco a corpore christi quod est ecclesia tamquam membra putrida sunt resecati et agnitionis dei expertes inventi. Nos vero qui membra ecclesie summo christi esse meminimus hac ratione humiliter perdocemur quatinus ab unitate corporis illius in presenti minime separemur si gaudiis illius in futurum participare optamus qui cum deo patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Stetit ihesus in medio discipulorum suorum. et dixit eis Pax vobis. Et reliqua.

Textus istius sermonis hesterne lectioni que duos discipulos quibus dominus in fractione panis agnitus est commemorat in iherusalem mox fuisse regressos atque invenisse congregatos undecim et eos qui cum ipsis erant resurrexisse dominum contestantes. Hiis ergo narrantibus que gesta erant in via. Dum hec loquerentur stetit ihesus in medio discipulorum non immemor sue sponsionis qua se ante passionem pollicitus fuerat cunctis pie de se cogitantibus ac loquentibus affuturum. Hanc autem manifestationem illam esse quam et Iohannes commemorat clausis foribus narrans ingressum domini ad discipulos novimus, et dicit eis: Pax vobis. Non sine magno sacramento et natus et passus ac resurgens mortalibus pacem ingeminat. In nativitate enim salvatoris pax commissa est generi humano quando illa consona vox angelorum audita est: Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bone voluntatis. Ad passionem quoque pergens dicit ipse discipulis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Resurgens etiam a mortuis dicit: Pax vobis. Ideo nimirum ita egit ut patenter ostenderet se ideo natum, ideo passum atque ideo resurrexisse ut nos in pacem et reconciliationem patris et angelorum reduceret, qui prius cum deo patre et cum angelis discordiam habuimus, a quorum claritate per culpe meritum longe distabamus. Conturbati vero et conterriti estimabant se spiritum videre. Discipuli infidelitate adhuc madefacti quam pridem comprehenso domino imbiberant putaverunt se apparente domino non verum corpus sed spiritum potius quem in manibus patris tradiderat cernere. Error tamen discipulorum postmodum factus est error Manicheorum hereticorum qui in Christo vera carne fuisse negant. Spiritus autem plerisque in locis pro anima ponitur, ut in illo ewangelio: Et inclinato capite emisit spiritum, hoc est animam. Et ille dixit ad illos: Quid turbati estis et cogitationes ascendunt in corda vestra? Tamquam peritus agricola terre pro semine spinas germinanti loqueretur: Unde hic noxie herbe vel tribuli, cum ego huius terre sulcis purissima mandaverim semina? Parimodo et dominus: Unde nequam in cordibus vestris pestes infidelitatis pullulant, cum ego fidei sincerissima instruxerim vobis? Signandum vero est quod prave cogitationes non dicuntur descendere sed ascendere, quo ab infimis corporis mentes hominum quasi spine de terra consurgentes occupant. Nam bone cogitationes desuper in humanis cordibus infunduntur, iuxta quod scriptum est: Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum. Videte manus meas et pedes meos quia ipse ego sum. Cum cognitio hominis potissimum in vultu consistat, cur eis manus et pedes ostendit et non potius faciem? Nimirum ut cicatricum vestigia adhuc retentibus licet etiam sanatis illum ipsum esse cognoscerent. cum manus pedesque in ligno crucifixi fuerant. Sed et quod lancea perfossum fuerat in testimonium vere carnis Iohannes eundem monstrasse commemorat. Unde solent infideles fidelibus calumniam ferre quod videlicet ratione corpora de pulvere putrentia ad immortalitatem a Christo credunt reparanda, cum ipse suorum vulnerum nequiverit oblitterare cicatrices. Quibus vera ratione est respondendum quod qui plus fecit consequenter etiam minus facere posset si vellet. Hoc enim qui semetipsum etiam a mortuis resuscitare potuit, cicatrices etiam vulnerum si voluisset delere potuisset. Quatuor tamen cause a patribus traduntur per quas stigmata suorum vulnerum in se passus est removari. Primo videlicet quod supra dictum est ut ostensis cicatricum vestigiis nebulam dubietatis a cordibus discipulorum repelleret. Secundo ut pro nobis assistens susceptam quam vulneratam in sua humanitate carnem illo ostendens clementiorem circa nos illum efficiat atque ad miserendum nos facilius flectat. Tertio ut electi per passionem unici filii dei redempti in ipso intuitu vulnerum pro salute sempiterna illi decantent propensius munia gratiarum. Postremo ut adiudicandum genus hominum in fine mundi adveniens perfidis videlicet ad meritum sue dampnationis demonstret quid ab eis passus sit et specialiter reprobis quid pro eis pertulerit

ostendat. ut dum in tali spe- cuius nomine sustinuisse meminerint qualia ipse pro eis pertulit, iusta accedente dampnatione eternaliter se noverint merito puniendos. Et licet humana divinis nequeant equaliter comparari, possumus tamen ut aliquis sub exemplo dicamus ipsum in hac parte militi fortissimo conferre, qui a proprio rege adversus tyrannum vel qualibet gente inimica destinatus fortiter decertat. Et licet vulneribus multis exceptis victoria tamen potitus triumpho. Hostem devicit, patriam liberat, spolia cum victorialibus signis reportat. Cui arte probatus adcurandum medicus mittitur. Quasi ab eo perquisierit utrum ne ita curari velit ut omnia vestigia plagarum cum cicatricibus deleantur, an potius ita vulnera quidem sine deformitate plenissime recipiat sanitate cicatricibus adhuc manentibus. Haut dubium quin respondeat sic quidem se velle sanari ut omnis deformitas absistat, note tamen vulnerum in illius corpore perseverent quibus dum regi ostensis eas intuitus fuerit, fidelissimum militem suum supra preclaro actu gratiando remuneret, et nichilominus per quorum libertate et salute tali se discrimini dedit indesinenter illi gratias agant. Et dicit omnibus palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Hic locus valet contra eutichianam heresim que videtur asserere quod corpus electorum post resurrectionem erit impalpabile ventis aereque subtilius. Euticius enim fuit episcopus constantinopolitanus a quo heresis eutichiana dicitur. Sed contra hanc pestem veritatis debet fateri quod sicut corpus dominicum post resurrectionem et palpabile fuit quia a discipulis attrectari potuit et subtile fuit quod clausis foribus ad apostolos intravit, ita corpora electorum in resurrectione erunt quidem palpabilia per veritatem nature sed subtilia per operacionem divine potencie. Nec non putandum est huic loco dissonare quod paulus apostolus dicit: quia caro et sanguis regnum dei non possidebunt. Caro enim trifarie intellectu in scripturis accipitur. Iuxta naturam videlicet ut est illud: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. Iuxta corrupcionem vel fragilitatem ut est: et recordatus est quia caro sunt, id est et moribundi. Iuxta culpam quippe ut ibi: caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem, quod est vicium adversus virtutem concupiscit. Caro igitur regnum dei possidebit iuxta naturam, non tamen iuxta culpam vel corrupcionem. Credimus autem homines non tantum cum carne et ossibus sed eciam cum sanguine vel quicquid ad naturam eius pertinet resurgere, sed sine corrupcione tamen aut aliqua mortali mutabilitate. Habetis hic aliquid quod manducetur. Ac si dicat: Vos putatis me spiritum esse et non corpus. Spiritus autem sicut scitis ꝯ manducare non potest. Ut ergo credatis me verum corpus habere, afferte aliquid ad manducandum, ut cum me manducantem videritis, verum corpus me habere non dubitetis. Non est tamen arbitrandum electos post resurrectionem ullam comedendi necessitatem habituros. Quo et quod redemptor noster post resurrectionem suam comedit, non necessitatis sed potestatis fuit, ut scilicet ex carnalis alimonie percepcione dubitantibus discipulis verum corpus eum habere claresceret. Aliud est autem necessitate comedere, aliud potestate. Aliter siquidem bibit aqua terra siciens, atque aliter solis radius calens. Illa indigencia, iste potencia. Sic autem verum tenendum quod ille cibus quem dominus post resurrectionem comedit nulla illi digestione vel sagine adiumentum tulit ut mortalium solet corporibus, sed ita penitus absumebatur virtute potencie ut ultra non esset, velut absumitur gutta aque immissa magno igni. At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Piscis assus per significacionem Christum significat, qui tamquam piscis latere dignatus est in aquis, hoc est in populis generis humani, et capi voluit laqueo mortis nostre, videlicet cum esset sine peccato per mortem corporis pervenit ad gloriam resurrectionis. Assatus quoque est in tribulacione passionis sue. Ille qui factus est piscis assus in passione in favum mellis conversus est nobis in resurrectione. quia dulcedinem sue misericordie fidelibus suis reseravit. Dum coram illis in celum ascendens. spiritus sancti ductione de celo ubertim eis infudit. Ille favus mellis eundem Christum significat in duabus naturis. Quid enim est aliud favus nisi mel in cera. Et quid mel in cera nisi divinitas in humana natura. Moraliter quoque quod dominus post suam resurrectionem piscem assum cum favo comedit. designat. quod si hic Christo compatimur. et dulcedinis eius magnitudinem ipso largiente palato cordis gustamus. in futurum intra corpus eius. Hoc in societatem fidelium transfundemur. Illos enim ad eternam quietem in suo corpore suscipit. qui cum hic tribulacionibus pro deo senciunt. ab amore interne dulcedinis non recedunt. Vel etiam cum assi pisce favus sumitur. quia qui hic afflictionem pro veritate suscipimus. illic dulcedine vera saciamur. Queri autem potest quid sit quod dominus ante passionem ieiunavit xl. diebus utpote mortali cibo adhuc indigens. et comedit post resurrectionem cum discipulis. cibo iam non indigens. Sed facilis responsio est quia in eo quod ante passionem ieiunavit. laborem nostrum quem pro nobis susceperat ostendit. atque ammonuit ut sicut ipse abstinuit a cibis. ita et nos omni tempore in hoc mundo ieiunemus a viciis. In convivio vero quod post resurrectionem sua comedit consolacionem suam nobis exhibuit. Et sicut tunc discipulos in convescendo consolatus est sic nos cottidie presencia divinitatis consolatur. Ieiunavit ergo ante passionem veluti clamans. abstinete vos a carnalibus desideriis. Manducavit cum discipulis post resurrectionem tamquam dicens nobis. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummacionem seculi. Et cum comedisset. et reliquias sumens dedit eis. Hoc ideo ut et ipsi vere quia sumpserat escam fuisse probarent et aliis in argumentum ad ostensionem fidei reliquias ostendere possent. Et dixit ad eos. Hec sunt verba et cetera usque vobiscum. Quod dicit hec sunt verba hoc sensu accipiendum est. tamquam alia locutione diceret. Hoc est impletio illorum que ante passionem meam vobis predixi quorum opere in dictis completa cognoscere potuistis. etiam alia mea verba ex veritate. Quodque sequitur. cum adhuc essem vobiscum ita est sentiendum quod tunc quando erat cum illis quibus loquebatur presencia corporis. sed non erat cum eis velut ante passionem fuerat societate mortalitatis. Quoniam necesse est impleri omnia et cetera usque de me. Necesse erat utique scriptum est de Christi passione et resurrectione praedixerat adimpleri. Quae nisi illa in Christo completa fuissent, nemo iam illius auctoribus crederet. Unde quidam sapiens obsecrat dicens: Da mercedem Domine sustinentibus te ut prophetae tui fideles inveniantur. Quod est aperte dicere: Praesentia adventus tui loco muneris ac mercedis largire te expectantibus, ut nos qui prophetico spiritu afflati incarnationem tuam praecinimus te adveniente vera dixisse quandoque inveniamur. Dixerunt praeterea pagani Christum magum fuisse et magicis praestigiis mentes hominum pervertisse. Sed quamvis magus vi peritia quaque artibus mira posset facere, numquid potuisset antequam nasceretur semetipsum praenuntiare? In hoc ergo Christi veritas potissimum probatur Deus, quia potuit semetipsum per scripturas suas etiam nec dum natus praedicere. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas. Non solum scripturas legis et prophetarum spiritualiter illis manifestavit, sed etiam ut eas intelligere possent sensum aperuit. Et quos in ostensione membrorum suorum ad fidem resurrectionis suae muniuit, eis etiam aperiendo sensum intellectum scripturarum revelat, ut praenuntiata mysteria intelligant et in Christo cuncta completa esse non ambigant. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est. Subaudi: sic impletum cernitis. Et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertia. Scilicet quia nisi ille pateretur et resurgeret, ut in hesterna lectione tractatum est, genus humanum ad vitam non rediret. Et praedicari in nomine eius penitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. Ordo omnino necessarius exposcebat ut primum pateretur, postea resurgeret, deinde celum credentibus aperiret. Postremo remissionem peccatorum praecedente tamen penitentia praedicari iubet. Addens vero in omnes gentes errori Donatistarum specialiter videtur occurrere, qui dicere praesumpserunt ecclesiam tantum in Affrica esse, male illud in Canticis canticorum et intelligentes et distinguentes, quo sponsa sponsum alloquitur dicens: Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubas. Huic ergo distinctioni incongrua facientes submittebant quasi vocis Domini responsionem: In meridie, subaudientes: ibi pasco, ubi cubo, ut per meridiem Affricam intelligamus. Quae sententia longe secus accipienda ipsa erroris falsitate perniciosam comprobat. Ut autem qui eius sensum nosse desiderat non multum alibi laborare cogatur, compendiose etiam huic sermoni interserere utile iudicavimus. Sancta ecclesia multimodis persecutionum adversitatibus pressa auxilium invocat redemptoris. Quia enim multi sunt pseudoprophetae appropinquante mundi termino exeunt in mundum dicentes: Ecce hic Christus et ecce illic, necessario ecclesia Christum obsecrat ut ei demonstret in quorum corde et opere habitare dignetur tempore persecutionis. Dicit enim: Indica michi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubas in meridie. Ista per meridie ubi sol fervet ardor tribulationum exprimitur. Deus sic aperte dicit ecclesia: Qua multifarie me adversancium persecucio instar meridiani estus comprimit, ostende ut declares quibus in locis inveniri queant eos quorum tua habitatione sunt digni et qui presencia tua peccati incipientibus abhorruisse. Gemina ob causam redemptor in predicatores in mundum destinaturus ab Jherusalem eos imperavit inchoare. Primo videlicet quia plurimi erant ibidem eciam de persecutoribus Domini ad vitam eternam preelecti, qui apostolorum vocatione erant ad fidem colligendi. Quales fuerunt illi de quibus ut Lucas refert, una die predicantibus apostolis crediderunt tria milia, altera die quinque milia, et deinceps multa milia. Deinde ut quia tunc temporis universus orbis preter paucos Iudeos ydolatrie feditate horrebat, ne quis gentilium predicantibus apostolis penitencia de salute diffideret, voluit operari Deus primo suis persecutoribus parcere, ut nemo qualibet scelestus, quolibet peccatorum sarcina pergravatus desperaret de venia, cum eos eciam qui filium Dei interfecerant recolerent per facta commissos obtinuisse salutem, prestante domino nostro Ihesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat.

Feria 4ta post pascha

Manifestavit se Ihesus discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic. Et reliqua.

Cum veritas in ewangelio dicat: Nemo mittens manum suam in aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei, non cuidam imprudenti questio oritur, cur Petrus apostolus a domino de piscacione vocatus ad fidei officium post vocacionem iterum tamen rediit. Ad hec breviter respondendum quia sunt quedam negocia que sicut ante vocacionem sine culpa aguntur, ita eciam post vocacionem inoffense repetuntur. Sunt alia que quia nequaquam sine offensa possunt peragi, post abrenunciacionem nullatenus debent iterari. Hinc est quod Petrus qui simplicem victum piscandi arte sine peccato quesierat, eciam postquam a domino vocatus est, in eodem opere sine culpa exercebat. Matheus vero quia in theolonii lucris rapacibus scelus inesse perspexit, semel eis abrenunciavit, ac deinceps ad illa non rediit. Et exierunt, et illa nocte nichil prendiderunt. Diutius piscantibus discipulis in capiendo magna facta est difficultas, ut adveniente creatore magna fieret miraculi patrati sublimitas. Mane autem facto stetit Ihesus in litore. Non absque racione sacramenti post resurrectionem in litore consistebat, qui ante passionem coram discipulis super maris undas ambulaverat. Mare etenim turbulenta maris vero presentis seculi tumultus corruptionemque mortalitatis humane significat. Litus vero maris excessum atque cessationem significat corruptionis. Quia ergo redemptor noster de mortalitate et corruptione ad incorruptionem et immortalitatem concesserat, congrue iam non in maris fluctibus sed in soliditate litoris stare demonstrabat. Dixit eis: Mittite in dexteram navigii rete et invenietis. Collatis evangeliorum dictis bis invenimus discipulos ad piscandum iubente domino retia misisse in mare, semel videlicet ante passionem et semel post passionem. Et tamen in ea piscatione que ante passionem facta est, in quam partem rete missum fuerit non designatur. Hic vero in dexteram partem rete missum dicitur. Quod subtiliter ergo intuendum, quia due hee piscationes inter se differentiam habent. Significant enim ecclesiam unam quidem, sed sibi quodammodo dissimilem. Prima igitur illa piscatio figurat ecclesiam qualis nunc est, mixtos videlicet bonos cum malis, agnos cum hedis, iustos cum peccatoribus. Secunda vero haut dubium quin ista que presencialiter recitatur designat etiam qualis post diem iudicii futura est, illa scilicet civitate celestis Iherusalem, que ex solis angelis sanctis et hominibus electis constabit. In illa igitur prima, ubi premissum est, indifferenter retia missa narrantur; hic vero dexteram partem tenuisse referuntur. Palam quid per dexteram nisi boni figurantur, qui ad dexteram sunt in iudicio statuendi? Quid non per sinistram nisi reprobi, qui in sinistra nichilominus sunt collocandi? Priore igitur loco retia non in dextera non in sinistra partem iactata referuntur, quia presens ecclesia in rete predicationis omnimodis reprobos cum electis trahit, quia nec solos bonos nec solos malos quos capit eligit, sed utrosque indifferenter trahit, donec veniatur ad litus, ut in alia parabola pisces boni separantur a malis, quod significat in fine seculi electos secernendos a reprobis. In hac vero relatione in dexteram rete mittitur, quia in illa superna ecclesia soli sancti homines cum angelis ad regnum admittuntur, qui nichil sinistri operis sed totum agunt dextere actionis. Notandum quoque quod hic certus describitur piscium numerus, quia videlicet novit dominus qui sunt eius, quibus et dicit: Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in celis. Ibi vero pisces quidem multi fuisse memorantur, sed quot fuerint non exprimitur. Nimirum hoc adeo, quia hii qui numerum excedunt in reproborum sorte numerantur. De quibus psalmista: Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Dixit ergo discipulus ille quem diligebat Ihesus Petro: Dominus est. Iohannes videlicet hoc dixit quod hoc scripsit evangelium, quamvis semper sic dixerit quasi de alio, more scripturarum usitatissimo loquitur. Ergo Simon Petrus audiens quia dominus est, eodem mentis ardore quo et cetera faciebat tunica succinxit se. Figurata locutio est. Non est enim putandum quod toto corpore fuit nudus, sed a decenti consueta potius apparatus. Ideo autem tunica succinxit se, ne eius diffusione impediretur ad natandum. Alii vero discipuli navigio venerunt, non enim longe erant a terra, et cetera usque piscium. Quod ergo alio loco per duas significatur naviculas, illud etiam hic per ducentos cubitos figuratur. Unitas videlicet omnium electorum qui ex duobus populis adunata sunt perfecti perpetua, que centenario numero qui de leva in dexteram ducitur aptissime figuratur. Ut ergo descenderunt et cetera usque panem. Non est arbitrandum quod panis prunis suppositus fuerit, sed ita potius debet intelligi quia viderunt prunas positas et piscem suppositum, viderunt et panem non super prunas sed alio in loco collocatum. Ascendit Simon Petrus et cetera usque in terram. Quid est quod Petrus rete in terram traxit nisi quia ipsi sancta ecclesia specialiter est commissa, dicente sibi domino: Si diligis me, pasce oves meas. Ipse denique rete plenum piscibus ad terram trahit, cum carnales homines verbo predicationis de gurgite presentis ad soliditatem fidei et celestis patrie perducit. Hoc egit dum in carne maneret verbis et epistolis; hoc agit cottidie scriptis et miraculorum signis. Plenum magnis piscibus cl tribus. Nisi hic numerus magno redoleret misterio, nequaquam evangelista Iohannes tam vigilanter illum curasset exprimere. Consurgit autem centenarius quinquagenarius ac ternarius numerus ex decem et septem. Denarius namque et septenarius per ternarium ductus in quinquaginta unum consurgit hoc modo: ter deni triginta; rursum ter septeni xxi. Qui pariter copulati quinquaginta unum complent. Itemque quinquagenarius primus numerus ter ducitur et ad cl iijes pervenit. Denarius igitur legis perfectionem significat propter totidem precepta lapideis tabulis indita. Septenarius vero propter septiformis gratiam spiritus sancti figuratur, et quid significat hoc modo demonstratur videlicet et septenario, nisi quia nullo modo aliter legis que in decem preceptis constat adimpleri possumus nisi per spiritum septiformem adiuvemur. Sed quia et in nostra operacione et in verbis et operacionibus nostris que est gratia spiritus sancti in fide trinitatis roboratur, denarius et septenarius ter repetitus ut ad quinquagesimum primum numerum ascendat. Quod etiam perfectioni convenire nostro Eucaristie sacramento. Nam quia quinquagesimus annus in lege iubeleus, hoc est remissionis appellatur, congrue per quinquagenarium numerum ea requies ad quam recte credendo et in fide sancte trinitatis sancte operando tendimus designatur. Que tunc vera erit cum in unitate constiterit. Tunc namque erit vera requies sanctorum cum deum omnipotentem qui unus trinus in personis colitur unum esse in substantia et maiestate perspexerint. Ternario ergo quinquaginta et unus triplicatur, et in centum quinquaginta et tres proficit. Qua summa omnium sanctorum qui ad vitam eternam predestinati sunt multitudo signatur. Parvus etenim numerus, qui facile comprehenditur, infinita sanctorum milia designat. Decebat ergo ut redemptor noster per suam resurrectionem tot pisces per significationem caperet, quot sanctos per generalem resurrectionem secum regnare donabit, ut etiam in sua resurrectione numerum quoque glorie demonstraret, et cum tanti essent non est scissum rete. In ea piscatione que superius ante passionem facta commemoratur pre multitudine piscium ruptum rete dicitur. Quod quid aliud significat nisi quia in presenti ecclesia multi reprobi cum electis habitant qui ipsam fidei unitatem suis pravitatibus scindunt. Hic vero rete scissum fuisse denegatur cum dicitur: Et cum tanti essent, id est tam magni vel tam multi, non est scissum rete. Quia nimirum in illa summa civitate patrie celestis que ex solis ut dictum est constat electis, et multi erunt et tamen vinculum per hereses vel discordias scindere non potuerunt. Nam neque hec inibi ullo modo cadere valebunt. Et nemo audebat, et cetera usque dominus est. Hic locus hunc habet sensum. Tam evidenter omnibus patebat quod ipse esset apostolis ut nemo super hoc dubitare auderet. Nam si dubitassent, consequens erat ut eum interrogarent. Et venit Ihesus et cetera usque et piscem similiter. In ea lectione que hesterno recitata est pisce asso simul et favo mellis comedisse narratur. Quod quid significet plenius ibi digestum est. Idem ergo in hoc loco piscis assus significat quod et in precedenti evangelio dominus videlicet passus. Panis quoque ipse est qui dicit: Ego sum panis vivus. Piscem ergo cum pane comedit, significans quia qui ex humanitate pro nobis pati potuit ipse etiam pane divinitatis sue nobis refecit ac recreavit. Hoc iam tertio et cetera usque a mortuis. Quod dicit dominus hac apparitione tertio manifestatum non ad ipsas visiones quibus apparuit sed ad numerum dierum per quos apparuit est referendum. Siquidem

Ipso die quinquies apparuit. Primo scilicet marie magdalene flenti ad monumentum. Secundo eidem marie et alteri eiusdem nominis eiusdemque devocionis regredientibus a monumento. Tercio petro quo tamen loco incertum habetur. Quarto duobus in emmaus pergentibus. Quinto ipsa die ad vesperam clausis foribus ad discipulos intrans. Sexto apparuit post dies octo quando aderat thomas. Septimo ad mare tyberiadis ut hec lectio narrat. Octavo in monte galilee. Nono recumbentibus discipulis ascensurus in celum. Decimo ipso die sue ascensionis non iam in terra sed in nubibus elevatus apparuit. Hec igitur manifestacio quantum ad numerum visionum pertinet septima, quantum ad dies vero tercia esse probatur.

Tandem notandum est quod redemptor noster hoc ultimum convivium cum septem discipulis non sine typo misterii celebravit. occulte videlicet innuens illos supremo beandos esse convivio qui hic per bona opera plenitudine septiformis spiritus impleri meruerint. Ita tamen si sacramentum istorum nominum quod in interpretacionibus suis habent ipse quoque in suis habere studuerint actibus ut videlicet sit obediens divinis preceptis quod interpretatur simon. Agnoscat creatorem suum sive petram suam quod sonat petrus. Penetret eciam abyssum divinorum misteriorum quod exprimitur per thomam. Quicquid eciam boni habuerit donum dei esse agnoscat quod per nathanahel figuratur. Sit viciorum supplantator cum iacobo. Gracie dei deputet quod recte gesserit cum iohanne. Gemina eciam caritatis precepta custodiat que videntur significare duo discipuli qui cum supradictis fuisse memorantur. Intuendum quoque quod dominus hanc refectionem quam habuit cum septem discipulis prandium appellavit dicens. Venite prandete. quod significat refectio eterne beatitudinis. Iohannes autem apostolus in apocalypsi aliud convivium superne remuneracionis non prandium sed cenam nupciarum agni vocatus est. Quia cum post prandium cena restat, recte hoc convivium quod habuit dominus cum septem discipulis prandium dicitur, per quod futura sanctorum refectio figuratur. Quia vero post cenam prandium nullum manet, rectissime illa beatitudo que in fine mundi sanctis dabitur cena appellatur. Ad cuius dulcedinem domino opitulante pertingere mereamur. Amen.

Maria stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret inclinavit se et prospexit in monumentum. Alleluia.

V irtutis perseverancie multis quidem in locis sacrarum scripturarum commendatur. Sic precipue ex verbis huius evangelice lectionis quantum in omni boni opere perseverantia necessaria et utilis sit evidenter ostenditur. Paulo namque superius refert beatus Iohannes evangelista quia una sabbati valde diluculo venit Maria cum adhuc tenebre essent ad monumentum et vidit lapidem sublatum a monumento. Cucurrit ad Symonem Petrum et ad alium discipulum quem amabat Ihesus, Iohannem videlicet, et dixit eis: Tulerunt dominum de monumento et nescimus ubi posuerunt eum. Qui currentes venerunt ad monumentum et introgressi viderunt linteamina posita et sudarium quod super caput domini fuerat atque ita crediderunt quod mulier dixerat dominum scilicet sublatum de monumento. Et abierunt inquit evangelista discipuli ad semetipsos. Hoc est unde venerant redierunt. Subsequitur vero evangelista: Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Quo loco considerandum quantus amor mentem sancte huius mulieris accenderat. Que etiam discipulis recedentibus ipsa non recedebat. Plorans vero stabat quia furatum dominum credebat. Et cum cuius amore torrebatur videre non poterat. Et quia in querendo sola perseveravit, sola quem querebat videre promeruit. Ex quo cognoscitur quia in omni bono opere virtus perseverantie necessaria est. Hinc est enim quod dominus dicit: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. In lege etiam cauda hostie cum capite in Dei sacrificio iubebatur offerri. Cauda namque finis est corporis. Et tunc acceptum Deo sacrificium offerimus si bonum opus usque ad finem conducere studemus. Ad hoc quoque pertinet quod Ioseph tunicam talarem inter fratres suos dicitur habuisse. Tunica namque talaris consummationem designat boni operis. Hinc est etiam quod psalmista dicit: Constituite diem solempnem in condensis usque ad cornu altaris. In cornu namque altaris finis est. Et ille diem solempnem usque ad cornu altaris constituit qui opus bonum usque ad consummationem perseverando perducit. Sed quia plura de bono perseverantie diximus, cum quo fructu exhibeatur, cum hoc satis inhiat de qua sermo est muliere videre possimus. Nam sequitur: Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum. Iam se hec mulier inclinaverat, iam vacuum viderat monumentum, iam discipulis sublatum dominum nunciaverat. Quid igitur est quod se iterum inclinat? Sed inconsolabiliter amanti non sufficit semel aspexisse. Sicut enim nos cum re cara querimus quia ubi eam prius dimisimus querimus, sepius tamen illuc respicimus ubi eam nos habuisse meminimus, ita hec sancta mulier crebro monumentum inspiciebat ubi corpus domini sui positum sciebat fuisse. Et vidit duos angelos in albis sedentes unum ad caput et unum ad pedes ubi positum fuerat corpus Ihesu. Considerandum quod beatus Lucas ewangelista duos angelos ad sepulchrum domini stantes describit in vestibus. Beatus vero Iohannes in albis eos et sedentes apparuisse commemorat. Est nimirum sedere regnantis est stare pontificis ad aram. Quia ergo dominus ac redemptor noster Christus nobis et sacerdos fieri dignatus est, recte in visitatoribus sepulchri eius angeli modo stantes modo sedentes apparuisse dicuntur. Et quia dominus Ihesus idem deus est et idem homo, recte duo angeli alter ad caput alter ad pedes sedisse referuntur. Caput namque domini celsitudo divinitatis est accipienda apostolo dicente: Caput Christi deus. Per pedes vero humilitas incarnationis illius exprimitur. Unde per Moysen dicitur: Qui appropinquat pedibus eius accipiet de doctrina illius. Quasi ergo ad caput Christi sedet angelus cum Iohannes ewangelista proclamat: In principio erat verbum et verbum erat apud deum et deus erat verbum. Quasi vero ad pedes sedet angelus cum idem ewangelista dicit: Et verbum caro factum est et habitavit in nobis. Qui dicunt ei: Mulier quid ploras. Et reliqua. Requirunt angeli causas doloris eius, non quo ignorarent cur illa fleret, sed ut nominaret quem querebat ferventiori amoris igne estuare inciperet. Dicit illis: Quia tulerunt dominum meum et nescio ubi posuerunt eum. Dominum suum dicit domini sui corpus a toto videlicet partem designans. Solet enim scriptura divina sive doctores loquentes aliquando a toto partem significare, aliquando a parte totum significare. A toto quidem partem exprimit cum cottidie fatemur nos credere in Christum qui passus est et sepultus, descendit ad inferna et tercia die resurrexit, cum sola caro eius mori et sepeliri potuerit, anima ad inferna descenderit, divinitas vero eius ubique presens permanserit. A parte vero totum ostenditur cum ewangelista dicit: Verbum caro factum est, cum non sola carne deus sed integrum hominem, qui ex carne constat et anima, susceperit. Hec cum dixisset conversa est retrorsum et cetera. Aperte satis ut dominum Maria videre posset retrorsum fuisse conversa dicitur. Cum enim convertit illuc aspectum dirigit ubi prius terga habuerat. Maria ergo quodammodo terga in faciem domini dederat quia de eius resurrectione dubitabat. Furtum esse credebat. Retrorsum igitur se dum [illegible] convertit quia ad credendam eius resurrectionem appropinquare cepit. Cum tamen dominus ei presenciam suam ostendit ut eum et videret et non cognosceret. Quia enim Maria et amabat et dubitabat, ei dominus foris visibilis bilibus apparebat, nec tamen se ab ea cognosci permittebat. Qui dicit ei: Mulier, quid ploras? quem queris? Sed maria dominum quem non cognovit hortulanum esse putavit loci ipsius oportunitate inducta. In horto namque sepultus fuerat Ihesus. Ista sequentia confirmant quia hortulanum credebat et cetera usque ego eum tollam. De re errando non penitus errabat. Revera enim dominus ei hortulanus erat in cuius corde virencia fidei plantaverat. Simul etiam attendendum quia cum nec dum dixisset quem querebat, quasi ad eum qui sciret bene nosset desiderium respondit dicens: Domine, si tu sustulisti eum, dicito michi et cetera usque eum tollam. Proprium magni est amoris ut nullum credant ignorare quod amat, immo omnes sentire arbitrentur eodem amore. Illud etiam perpendendum quia in nimii amoris fragilitate sui scilicet oblita fuerit. Putabat enim se dominum corpus ferre posse, cum constet ab humana mulierula perfectiori corpus non posse portari. Dicit illi Ihesus: Maria, et cetera usque quod dicitur magister. Superius conversa quando dominum vidit conversa fuisse dicitur. Quid est quod iterum convertitur? Sed ibi conversa est corpore, hic mente. Ibi conversa est ut quem non agnoscebat videret, hic vero ut quem videbat agnosceret. Notandum vero quia superius ubi eam dominus generali nomine mulierem vocavit, ab ea agnitus non est.

Mox vero ut eam proprio nomine appellavit, eum ~~agno~~ maria agnoscere potuit. Solemus enim caros et bene notos suis appellare vocabulis. Vocavit ergo eam ex nomine ut sibi familiarem et bene cognitam se ostenderet, tamquam diceret: Recognosce a quo cognosceris. Veniens autem maria dominum quem recognovit magistrum vocat, quod celestis magisterii doctrinam ab eo perceperat. Iam vero quid mulier fecerit evangelista non dicit, sed ex eo quod dominus dixerat: noli me tangere, manifeste innuitur quod confestim ut eum agnovit pedibus eius tenere voluerit. Sed quid est quod ei dominus ait: noli me tangere? Numquid enim dominus a femina post resurrectionem tangi formidabat? Et quid est quod alibi legimus quod revertentibus mulieribus occurrit dominus, ille vero accesserunt et tenuerunt pedes eius? Aut numquid postquam ad patrem ascendisset, cum maria tangere poterat? Sed tactus iste spiritualiter est accipiendus. Christum enim tangere est veraciter in eum credere. Quod ergo dicit: noli me tangere, tale est ac si dicat: noli de me sic sentire. Nondum enim ascendi ad patrem meum. Hoc est: non dum in corde tuo credor equalis patri. Nam enim dominus meus mente ad patrem ascenderat quem resurrexisse credebas adhuc inter mortuos requirebat. Vade autem ad fratres meos et dic eis. Magna dignatio domini et immensa pietas semper ad agnoscendum parata. Non enim dicit vade ad fugitivos, vade ad desertores et negatores, sed vade ad fratres meos, de quibus olim per psalmistam dixerat: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Sed et nos pro modulo infirmitatis nostre vel quantitatis huius notabili dignitate consortium possimus, si voluntatem dei patris implere satagamus, ipso quod dominus in ewangelio dicit: Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in celis est, ipse meus frater sororque et mater est. Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, deum meum et deum vestrum. Distincte loquens dominus magnum nobis misterii aperit sacramentum. Non enim dicit: Ascendo ad patrem nostrum vel deum nostrum, sed ascendo, inquit, ad patrem meum et patrem vestrum, deum meum et deum vestrum, quia videlicet aliter illi est deus pater, aliter nobis. Illi enim substancialis est ut sit dei filius, nos per adopcionem facti sumus filii dei. Ac si dicat: Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum. Patrem meum videlicet per naturam, patrem vestrum per graciam. Deum meum quia homo factus sum, deum vestrum quia ex hominibus dii effici meruistis. Venit Maria annuncians discipulis. Et cetera. Pia omnipotentis dei disposicione actum constat, ut resurgens a mortuis dominus primo mulieri videndus appareret. Quia enim per feminam generi humano mors illata fuerat, apte resurgens vitam per feminam mundo innotescere voluit, ne sexus femineus apud viros eterne maledictionis elogio dampnabilis haberet.

In illo tempore: Undecim discipuli abierunt in galileam in montem ubi constituit illis ihesus. Et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Et reliqua.

Dominus ac redemptor noster ante passionem suam crebro apostolis et potenciam sue passionis et gloriam sue resurrectionis predixerat. Locum eciam quo eis post suam resurrectionem visui erat longe ante prenunciavit dicens: Postquam autem resurrexero, precedam vos in galileam. Implevit vero iam eius resurrectione. Hoc ipsum angeli mulieribus apparentes iterato inculcare studuerunt: Precedit vos in galileam, ibi eum videbitis sicut dixit vobis. Preceptum ergo domini celorum discipulorum obediencia subsecuta est. Ita peracta sollempnitate paschali que per octo nobis dies celebratur, sicut sancta ewangelia loquitur: Undecim discipuli abierunt in galileam. Et cetera. Bene dominus post suam resurrectionem in galilea, bene in monte videri voluit. Galilea namque transmigracio interpretatur. Mons vero in quo apparuit illa significat celsitudinem potestatis, qua assumpta a filio dei humanitas super omnes eciam angelos exaltata est. Quia igitur resurgendo a mortuis redemptor noster ea de corruptione ad incorruptionem de ignobilitate ad gloriam de contemptu ad regnum transmigrauit. Recte in galilea et in monte se discipulis ostendebat. Sed et nos si cupimus eius aspectu perfrui necesse est ut de uirtutibus ad uirtutes. De terrenis ad celestia studeamus emigrare. Si iuuat contemplari uultum eius in sublimitate celorum satagamus in presenti conscendere celsa uirtutum. Nulla nos terrena desideria illiciant ulla uoluptatum blandimenta retardent. Si adhuc carne in terris positi satagamus mente manere in celestibus ut cum apostolo dicere possimus: Nostra conuersatio in celis est. Et uidentes eum adorauerunt et cetera. Merito uidentes dominum adorauerunt quem et ante passionem miraculis et nunc ipsa resurrectione prodente deum uerum euidentissime cognoscebat. Si uero querimus unde dubitauerit. Beatus lucas euangelista manifestat qui dominum discipulis post resurrectionem apparuisse describens statim subiungit: quia conturbati et conterriti existimabant se spiritum uidere. Potius enim se arbitrabantur spiritum uidere quem in manibus patris audierant commendatum ipso dicente: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, quam corpus quod de ligno deponi et in sepulchro uiderant collocari. Sed hec eorum dubitatio multum nostre fidei profecit quia dubitantes et resurrectionis dominice ueritatem inquirentes quid nobis credendum quidue esset constantissime tenendum ostenderunt. Sed qua dominus eos de sua resurrectione dubitare conspexit dignatus est propius accedere eisque per semetipsum loqui ut qui eum uidentes non crediderant saltem loquentem audientes cognito uocis sono ad fidem patrate resurrectionis eius pertraherentur. Unde sequitur: Et accedens ihesus locutus est eis dicens: Data est michi omnis potestas in celo et in terra. Hanc potestatem pro parte assumpte humanitatis credendum est accepisse secundum quam minor est patre. Nam per diuinitatem qua equalis est patri sicut cuncta condidit ita omnia possidet et regit iuxta quod alibi dicit: Omnia que habet pater mea sunt. Et ego et pater unum sumus. At humanitate uero secundum quam mori et resurgere potuerat super omnia potestatem a tempore resurrectionis accepit. Nam secundum hoc exaltatus est super omnia secundum quod se humiliauerat infra omnia. De qua autem humiliatione uel exaltatione apostolus loquitur dicens: Humiliauit se ipsum factus obediens usque ad mortem et cetera usque ad inferorum. Sed hec tanta sublimitas hec tanta domini potencia non despexit eos qui per peccatum serui facti erant diaboli. Ipsis quoque suis crucifixoribus locum penitencie non negauit. Nam sequitur euangelista: Euntes ergo in mundum uniuersum docete omnes gentes. Et cetera. Missurus dominus apostolos ad predicationis officium commemorat in celo et in terra se potestatem accepisse premisit ut per hoc maiori constancia animarentur. Qui videlicet sciret eius sibi ubique affuturum auxilium cuius potestas ubique diffundebatur. Et ante passionem quidem sua dominus preceperat: in viam gencium ne abirent et in civitates samaritanorum ne introirent, sed irent ad oves que perierunt domus israel. At postquam illi tante gracie munus contempserunt et auctorem sue salutis ad crucis supplicium poposcerunt, iuste iam predicacio ad gentes committitur cum dicitur: Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. Ubi ordo baptizandi considerandus est. Primum namque precepit docere, deinde baptizare. Ante enim qui baptizandus est debet instrui qualiter in deum credere oporteat, et sic salutari lavacro perfundendus est. Sine fide enim tinctio baptismatis nichil valet, quia sicut fides sine operibus mortua est, ita sine fide impossibile est placere deo. Ceterum parvulis qui per etatem nec dum boni quid vel mali nosse possunt, sola suscipiencium fides sufficit ad salutem. Qui tamen et ipsi cum ad intelligibilis etatis tempus venerint, docendi sunt qualiter credere aut qualiter acceptum baptisma debeant custodire. Considerandum vero quia non dicit in nominibus patris et filii et spiritus sancti, sed in nomine, ubi aptissime unitas trinitatis ostenditur eademque maiestas. Quod vero sequitur: docentes eos servare omnia que mandavi vobis. Hoc doctoribus precipitur ut ad fidem venientibus primo doctrinis proprie fidei imbuant, deinde baptizent, sicque postea competenter omnia illis ecclesiastice doctrine precepta liberius tradant. Nec dicit docentes quedam sed omnia. De omnibus enim ~~dicit~~ docendi sunt quibus omnia convenit observare. Ut enim iacobus dicit: quicumque omnem legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Et ecce ego vobiscum sum. Et cetera. Quia de ~~temporali~~ corporali presencia apostolis erat relicturus, ne illi de eius absencia quasi desolati tristarentur, promittit se dominus cum eis usque ad seculi consummacionem futurum. Dicendo autem vobiscum sum usque ad consummacionem seculi, ostendit se scire diem finis seculi. Nam quod alibi dicit: de die illa nemo scit neque angeli neque filius nisi solus pater, ideo ipse dominus diem iudicii ignorare dicitur, quia nobis eam certa dispensacione scire non permittit, ut videlicet dum quando dies iudicii futurus sit ignoramus, parati semper et sollicitius laboremus. Ostendit eciam nos de futuris electis in ecclesia usque ad seculi consummacionem cum quibus esse dignetur.

Cum esset sero die illo una sabbatorum et fores essent clause ubi erant discipuli congregati propter metum iudeorum, venit ihesus et stetit in medio et dicit eis. Pax nobis. Et reliqua

Quod in ewangeliis una sabbati nuncupatur dies dominicus semper intelligendus est a quo ipse dominus resurrectionis initium ebdomadis exordium sumpsit. Semper quemadmodum nos christianorum institucione pape Silvestri secantes prima feria et secundam vel tertiam licet contra artem dicimus, pari modo apud iudeos septimane dies primus prima sabbati vel prime sabbatorum et secunda et tertia sabbati nominati sunt. Dicit autem una sabbati vel una sabbatorum pro eo quod dici potest una dies a sabbato. Non est putandum hanc manifestacionem domini salvatoris octava die sue resurrectionis celebratam fuisse, hoc est ~~quo~~ hodie quo eadem lectio annuatim in ecclesia recitatur, sed potius primo die quo resurrexit a mortuis. Unde sicut Lucas manifeste declarat duobus discipulis ambulantibus in Emaus appropinquans Ihesus ibat cum illis et compellentes eum ad hospicium cognoverunt illum in fractione panis. Et illi surgentes eadem hora regressi sunt in Iherusalem et invenerunt congregatos undecim et eos qui cum illis erant dicentes quod surrexit dominus vere et apparuit Symoni. Et ipsi narrabant que gesta erant in via et quomodo cognoverunt eum in fractione. Cumque de hys omnibus loquerentur stetit Ihesus in medio eorum et dixit eis Pax nobis. Et hoc est quod in presenti lectione loquens Iohannes ewangelista dicit. Cum sero esset die illo. Hoc est die primo resurrectionis dominice. Per serum enim intelligi vult tardam horam illius diei quando reversi sunt illi duo de castello Emmaus in Iherusalem. Serum namque dicit tarde. Sicut enim dicimus loquentes sero venisti hoc est tarde. Quod autem addidit die illo ad illud refert ewangelista quod supra dixit, una sabbati venit Maria Magdalena videre sepulchrum. Quod statim demonstrat subinferendo una sabbatorum. Sicut nos a prima feria que est dies dominica computamus dies ebdomadis dicentes prima feria, secunda feria et cetera usque ad septimam feriam, ita et iudei dies suos a sabbato computare inceperunt ita dicentes. Sabbatum, prima vel una sabbati sive sabbatorum, secunda sabbati, et cetera usque ad sextam sabbati. Dicitur autem prima vel una sabbati sive sabbatorum prima vel una dies a sabbato quod significat diem dominicum. Quod vero dicit propter metum iudeorum intelligendum est quia iam divulgatum erat in populo ablatum fuisse corpus domini de monimento et a custodibus corruptos fuisse muneribus a principibus sacerdotum ut dicerent quod illis dormientibus venerunt eius discipuli nocte et furati sunt eum. Unde et in passione illius adierunt Pilatum dicentes. Domine recordati sumus quia seductor ille dixit post tres dies resurgam. Iube ergo custodire sepulchrum usque in diem tertium ne forte veniant discipuli eius et furentur eum et dicant plebi surrexit a mortuis. Timentes igitur discipuli ne forte sententia iudeorum in eos revolveretur de corpore domini quod sublatum dicebant de monumento, clausis foribus hoc est obstrusis ostiis erant congregati in conclavi sublimi domo tremebundi expectantes finem rei. Sed et alii duo viderunt manifeste quod dicebant. Sed et mulieres terruerunt nos que ante lucem fuerunt ad monumentum et non invenerunt corpus eius. Mirum vero videtur quibusdam quomodo redemptor noster veram de sepulchro carnem retulit, si hanc ad discipulos clausis ianuis intromisit, cum utique solidum et pingue corpus sed non recipiat ut alicubi non apto aditu transeat. Sed celerius est respondendum quod opera omnipotentis dei si ex humana racione comprehendi possent, nequaquam admiranda erant. Cum autem humanum intellectum magnitudine sui excedit, diligenter considerantibus admiracionem gignit. Nec enim fides habet meritum cui humana racio prebet experimentum. Cur autem incredibile videatur aut mirum quod corpus iam immortale atque incorruptibile clausis ianuis introduxerit, si veraciter creditur quod passibilis adhuc et mortalis in mundum veniens salva virginitate genitricis in lucem nascendo erupit. Pandi

Duo valde stupenda redemptor noster resurgens in suo corpore exhibuit, quod videlicet aliud et incorruptibile et tamen palpabile demonstravit, ut in altero dubitancium fidem instrueret, in altero vero fideles ad premium eterne incorrupcionis invitaret, et sicut ipsum viderent apostoli incorrupcionis perpetuitate donatum, ita se omnes electi immortalitatis munere crederent esse donandos. Inter hec vero sciendum est quod sicut corpus redemptoris nostri post resurrectionem et palpabile et subtile fuit, ita omnium electorum corpora cum resurrexerint et palpabilia erunt per veritatem nature et subtilia per effectum divine potencie, ut scilicet ad quoscunque locos secedere voluerint sine difficultate aliqua transmeare possint, et ubicunque fuerint deum omnipotentem sine obstaculo ac sine impedimento contemplentur. Quod ne cui videatur incredibile, condecet exemplis ad propositum applicare. Ecce omnes nos qui in occidentibus partibus positi sumus orientem solem cottidie in suo ortu clare videmus. Quis non novit quot preruptorum moncium altitudines, quot terrarum dimensiones nos et solem intercludunt. Simili racione electi post diem iudicii ut premissum est ubicunque constiterint claritate omni potentie dei presencie contemplabuntur. Quod vero dicit propter metum iudeorum, sic est accipiendum quod discipuli posito in morte domino adversus iudeos metuebant ne sicut magistrum peremerant separatos quoque illius impia temeritate multaret. Sed pius dominus afflictis servis consolacionem daturus venit et stetit in medio et dicit Pax vobis. Digna plane salutacio et redemptori nostro resurgenti omnino conveniens. ut is qui dispensacione sue passionis terrena cum celestibus pacificaverat regressus a mortuis pacem mortalibus importaret. Et cum hoc dixisset ostendit eis manus et latus. Hoc in argumentum vere resurrectionis pietatis fidelium actum esse creditur ut vel ipsis vulnerum stigmatibus conspectis nemo incredulitatis amitteret. Lucas dicit ostendisse illum manus et pedes. Iohannes vero manus et latus. Ubi declaratur utrumque eis ostendisse. Sed cum unus evangelista reticuit alter declarare curavit. Sicut et alibi de adventu mulierum ad monumentum christi. Diverse hore posite sunt ab ewangelistis. ostendentes ipsa veritate locucionis non semel tantum sed frequenter eas ad sepulchrum noctu venisse. Plurime vero cause a doctoribus explicantur cur redemptor noster qui mortem moriendo subegit. signa mortis in suo corpore remorari permiserit

Quarum potissima hec esse creditur ut ad examinandum mundum iudicium veniens ipsa eadem vulnera que ab impiis pertulit suis contemptoribus ostendat. Non solum autem hec ipsa sua vulnera deus exhibebit ad iudicium qualiter demonstrabit. sed etiam ut doctorum assercioni ipsa crux cum affixionibus adiuvantum manibus angelicis deportabitur. ut sicut scriptum est. videant in quem compunxerunt et plangent se super eum omnes terre. Videant inquam iudei quem dampnaverunt. pagani quem cognoscere renuerunt. heretici in manus fidem dereliquerunt. cuncti generaliter reprobi qui contempserunt et sine excusacione pereant qui sine retractione peccaverunt. Dixit ergo eis iterum Pax vobis. Iteracio in scriptura confirmacionem operis solet ostendere. Hinc namque est quod Ioseph Pharaonis exponens sompnium dicit. Quod autem iterum vidisti secundo. ad eandem rem pertinens firmitatis indicium est. Sicut misit me pater et ego mitto vos. Missio in hoc loco incarnacio filii debet intelligi. Tunc namque pater filium misit. cum hunc pro reparacione humani generis humanari fecit. Misit autem illum non ut frueretur mundanis deliciis. sed ut pro hominum salute subiret supplicium passionis. ~~passionem [illegible]~~ Nunquam tamen ideo illum odisse dicendum est quia ad.

passioni eum destinavit. Non utique odisset, immo eterna caritate illum dilexit, sicut Iohannes de eo testatur: Pater diligit filium et omnia dedit in manu eius. Ut ergo pater dilexit filium quem ad patiendum misit, ita incarnatus filius amavit apostolos quos tamen maxime ad passiones sufferendas velut agnos inter lupos destinavit. Ex qua ratione claret quia tunc quisque potius a deo se diligi debet credere quando vel flagellis divinis vel improbitate hominum infestorum atteritur, ut sapiens quidam ait: Fili noli deficere a disciplina domini. Et cetera usque castigat omnem filium quem recipit. Hoc cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite spiritum sanctum. Hec questio crebra prius expositione ventilata videtur exurgere cur videlicet redemptor noster discipulis bis spiritum sanctum dare voluerit. Semel videlicet in terra consistens, ut hic legitur, et semel celo presidens, ut in actibus apostolicis declaratur. Qua questione beatus gregorius papa hoc modo egregie solvit. Duo etenim sunt caritatis precepta quia per spiritum sanctum in cordibus electorum diffunditur amor videlicet dei et proximi. Unde et in lege dicitur: Audi israhel dominus deus tuus deus unus est. Diliges dominum deum tuum ex tota mente et proximum tuum sicut te ipsum. Et cetera. In terra ergo datur spiritus ut diligatur proximus. De celo datur spiritus ut diligatur deus. Sicut ergo una dilectio in duo scinditur mandata, sic unus spiritus in duo data. Verum tamen cur primum in terra et postmodum de celo sit datus inquirendum. Profecto quia per amorem proximi pervenitur ad amorem dei. Et cum amor dei principalior sit dignitate, amor tamen proximi prior est in ordine, quo non possumus venire ad amorem dei nisi prius diligamus proximum. Unde Iohannes dicit: Qui fratrem suum non diligit quem videt, deum quem non videt quomodo potest diligere? Possumus de hac questione adhuc conicere aliquid. Multa siquidem sunt dona gratiarum spiritus sancti secundum illud quod apostolus dicit: Alii quidem datur per spiritum sermo sapientie, et cetera usque ait: Hec autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult. Igitur ad aliud acceperunt apostoli spiritum sanctum ante ascensionem, ad aliud post eandem ascensionem. Primo denique gratiam spiritus sancti ad hoc perceperunt ut possent recte vivere et in predicatione quibusdam prodesse et peccata dimittere et baptizare et credentibus spiritum adoptionis infundere, dicente eis salvatore: Quorum remiseritis peccata, et cetera. Secundo vero, id est post ascensionem, multo maiorem spiritus gratiam perceperunt ut possent non paucis sed pluribus prodesse et ut haberent potestatem operandi virtutes et gratiam sanitatum. Et quod his omnibus maius est, qui cunctis gentibus erant p(re)dicaturi. cunctarum gencium linguis loquerentur. et ad diuersas gentes ingraturi, nullo indigerent interprete. Unde paulus aplus gloriatur apud chorinthios dicens. Gracias deo. qd omnium urm linguis loquor. Inter hec nec stendum est et tota libertate pronunciandum. qd apli sancti eoquo tempore eorum secuti sunt spm sanctum habuerunt. Unde et saluator e templo clamabat. si quis sitit/ et cet usque ad aque viue/ Quod exponens ewangelista subnectit. Hoc aut inquit dicebat de spiritu Et reliqua usque in eum/ Si enim apli nondum in eorum crediderant. consequenter utique spm sanctum habebant. Nec putari debet contrarium qd ibi subiungit. Nondum enim erat spus datus. sed subaudiendum potius. quia nondum ita erat datus aperte. sicut postea dandus erat/ Apli ergo qui ante passionem ex parte habebant spm sanctum ut sibi paucisque suorum prodessent. postea eundem spm sanctum plenius perceperunt et ut ita dixerim. spu sco in igneis linguis apparente baptizati sunt ut sibi plurimum multisque aliis prodesse potuissent. Illo aut ab re redemptorem spm scm datum aplis insufflauit. Sed in eo utique qd eundem spm dando insufflauit. equalitatem suam cum patre demonstrauit et qd spus sanctus sicut procedit a patre. sic etiam procedit a filio. Siue ideo insufflauit. ut se ee declararet. qui in principio mundane plasmacionis formauit hominem de limo terre. et inspirauit in facie eius spiraculum vite. Unde in ecclesia religiosa consuetudo exoleuisse creditur. ut sacerdotes baptizandis paruulis in faciem insufflent. quibus immo eodemque flatu et malignus pellatur. et spus diuinus regnaturus homini infundatur. Sequitur. Quorum remiseritis peccata et reliqua usque retenta sunt. Ecce sancti apli veraces magistri sequuti de magne humilitatis infimis elati sunt ad culmen sublimissime potestatis. Cuius pro dno aut parua aut nulla reliquerunt. principes mundi et iudices seculorum ab eo constituuntur. ut pro uoto quibusdam peccata retineant. quibusdam relaxarent. Prius se decebat eos exaltari. qui pro deo tantum consenserant humiliari. Tunc quidem dedit dns aplis hanc potestatem. et per aplos successoribus eorum. epis videlicet et ecclie presbiteris. ut videlicet si hoc recto ordine seruauerint quibuscumque remiserint remittantur eis. et quibus retinuerint retenta sint. Sed sunt nonnulli qui hoc non iusta discrecione seruantes. secundum proprium libitum nonnullos ligare vel soluere non uerentur/ et dum hoc ordine peruerso agere non timent. ipsi dono accepto merito fruantur. Qua enim discretione ligandi vel solvendi sit peccatorum sacerdotum iudicium in lege veteri satis declarat. Precepit enim dominus per Moysen ut leprosus quilibet iudicio sacerdotum mundus vel inmundus iudicetur. Ipsi namque sacerdotes nemine sua potestate mundum vel inmundum reddere poterant. Sed si quem dominus sanare voluisset a lepra, iudicio sacerdotum qui pre ceteris scienciam legis habebat et lepre discretionem legem recitando intellegebat, mundus vel inmundus iudicabatur. Simili quoque modo in ecclesia fieri oportet, ut si quos viderint sacerdotes in ceno luxurie vel in ceteris viciis manere, huiusmodi ligare non timeant. Quos vero perspexerint elemosinis ac lacrimis peccata commissa redimere ac bonis operibus insistere, hunc solvendum adiudicent, quia talis per compunctionem cordis a domino procul dubio solutus esse declaratur. Istorum vero locum modo in ecclesia episcopi boni et sacerdotes optinent. Qui cum gradu regiminis percipiunt auctoritatem quoque ligandi atque solvendi pariter sortiuntur. Honor quidem eximius, sed grave est istius honoris pondus. Valde quippe incongruum est ut is qui sue vite regulam nescit tenere iudex fiat vite aliene. Hac de causa tamen multi inepti ad tantam dignitatem accedunt, ipsum honoris ministerium indigne tractando vilescere faciunt. Unde et hanc domini sentenciam non recte accipientes sepius contra ius divinum agunt, ligantes innoxios et eos qui culpabiles sunt eciam absolvere presumentes. Verbi gracia: Stimulati odio subiectum proximum dampnare non dubitant qualibet ob rem innocentem. Rursum permoti assentacione aliqua subiectorum quamtumlibet iniquos quamlibet sceleratos iustos pronunciare non metuunt. Sed dum in ligandis solvendisque proximis non merita causarum sed motus proprie voluntatis sequuntur, ipsi se collata privant potestate. Quamquam hii quos indebite dampnant ligati, neque quos incompetenter solvunt, ante divine maiestatis oculos liberi habentur. Hinc dominus per prophetam de talibus dicit: Mortificabant animas que non moriuntur et vivificabant animas que non vivunt. Non morientem quippe mortificat qui iustum nequiter dampnat. Morituro vero vivificare nititur qui reum supplicio absolvere conatur. In talibus ergo iudiciis agendis cause interius prius pensande sunt, et sic potestas solvendi ligandique exercenda. Considerandum que culpa committitur, que penitencia post culpam sequatur, ut quos deus per compunctionis graciam visitat, hos sentencia pastoris absolvat. Vera enim ad deum conversio mente potius est estimanda, quam tempore. Sed bene quatriduani mortui ~~resuscitando~~ resuscitatio significat, que videlicet demonstrat quia prius mortuum dominus vocavit et vivificavit dicens: Lazare, veni foras. Et postmodum is qui vivens egressus fuerat a discipulis est solutus, dicente domino: Solvite eum et sinite abire. Ecce illum discipuli iam viventem solvunt quem magister suscitaverat mortuum. Lazarus enim quatriduanus mortuus designat hominem longa peccatorum consuetudine tabescentem et eterne mortis funera sepultum. Ex qua consideratione intuendum est quod illos debent pastores per auctoritatem pontificalem absolvere, quos deum cognoscunt in pervivificante gratiam a peccatis et morte anime suscitasse. Inter hec vero subiecti sibimetipsis falso blandiri non debent, cum a prelatis teneri se iudicari conspiciunt, nec presumat aliquatenus sententiam ligantibus contemnere, quia et si illius culpe rei non sunt pro qua arguuntur, habent tamen alias quarum merito dampnari ligarique merentur. Alioquin si preceptoris sui imperium transgredi temptaverint, mox culpam pro temeritate incurrent, quam et ante dampnacionem vitare potuerunt. Thomas autem et cetera usque non credam. Thomas hebreum nomen latine abyssus interpretatum dicitur. Greco autem sermone Didimus, hoc est dubius, vocatur. Cuius diversitatis hec racio est, quod is qui de resurgente domino diutius ceteris dubitavit, veritatem omnino resurrectionis perfectius et profundius postea palpato domino cognoscere meruit. Sed quod vel Thomas vel ceteri apostoli resurrectionem domini tarde crediderunt, non tam illorum infirmitatis quam nostre fidei confirmacio fuit. Plus etenim nobis ad fidem contulit Thomas qui diu dubitavit quam Maria que citius credidit. Prius namque magister dum dubitanti discipulo vulnera corporis in argumentum exhibuit, vulnus dubietatis nostris de cordibus amputavit. Quomodo resurrectionem dominicam quo numerosioribus approbacionibus confirmatam legimus, eo stabiliore fidei firmitate eam indubitanter credimus et veneramur. Sed dum queritur quomodo Iohannes ewangelista apparente domino discipulis ipso die sue resurrectionis, sicut presens lectio narrat, Thomam defuisse dicat, cum Lucas hanc eandem manifestacionem describens narret quia duo illi quibus in Emmaus pergentibus dominus visus est, reversi Iherosolimam invenerunt congregatos undecim et eos qui cum ipsis erant. Si enim secundum Lucam undecim discipuli congregati in unum erant, duodecimo iam perdito, procul dubio et Thomas cum illis simul erat. Quomodo ergo iuxta Iohannem defuisse dicatur? Sed quod.

dicendum thomam apostolorum cetui et confabulacioni primo quidem interfuisse cum illi duo de emmaus reversi sunt. Sed postea illo foras egresso necessitate cuiuslibet negocii. Dominum in medio apparuisse. Et post dies octo iterum erant discipuli intus et thomas cum eis. Venit ihesus ianuis clausis. et stetit in medio et dixit. Pax vobis. Precedencia huius leccionis sicut iam diximus ad primum diem quo dominus resurrexit pertinent. Que autem sequuntur ad octavum. Unde et sequitur. Post dies octo dominice scilicet resurreccionis. Deinde dicit thome. Infer digitum tuum huc et cetera usque sed fidelis. Quanta pietas et misericordia dei maneat erga genus humanum. Cum enim ex absolute nostra bonitas eius nichil incrementi percipiat modis tamen omnibus saluti humane providit. Omnibus namque discipulis experimento sue ostensionis in fide roboratis. absente uno thomas relictus erat. qui in infidelitate permanens. illum a mortuis resurrexisse non credebat. Cuius infidelitati consulens dominus pie condolens vulnera clavorum ei ostendit. ut vel ex ipsis cicatricibus ipsum qui crucifixus fuerat esse non dubitaret. Et tamen discipulum increpat tamquam servum infidelem sed obsecrat ut fratrem et amicum. Dicit illi. Mitte manum tuam et cognosce loca clavorum et noli esse incredulus sed fidelis. Respondit thomas et dixit ei. Dominus meus et deus meus. Dicit ei ihesus. Quia vidisti me credidisti. Hoc loco intuendum quod thomas aliud vidit et aliud credidit. Vidit ipse oculis corporis veritatem humanitatis sed credidit latentem deum sub velamine mortalis condicionis. Videbat eum quem tangebat quia hominem. confitebatur et predicabat deum quem videre vel tangere non valebat. Cui dominus. quia vidisti me inquit credidisti. Cum paulus apostolus dicat. cum enim fides sit sperandarum substancia rerum. argumentum non apparencium. profecto liquet. quia fides illarum rerum argumentum est. que apparere non possunt. Que enim apparent iam fidem non habent sed agnicionem. Dum ergo vidit thomas dum palparet cur ei dicitur. quia vidisti me credidisti. Sed sciendum quia aliud vidit. et aliud credidit. A mortali quippe homine divinitas que est immortalis videri non potest. Hominem igitur vidit. et deum confessus est dicens. Dominus meus et deus meus. Quo in loco forte forte requiritur utrum discipulus ingressi corpus tangere ausus sit. Prorsus hoc non ut evangelista a domino imperatum sed non significat a discipulo factum. Sed scimus discipulum thomam ingressi corpus attrectasse movet scrupulum. quia non dicit dominus. tetigisti me sed vidisti. nisi forte in visu etiam tactum intelligamus. Cum enim quinque sint notissimi corporis sensus quorum generalis istorum quinque sensuum visus esse deprehenditur. Ita quoque quatuor alios sensus vocari solet, velut cum dicimus: audi et vide quam bene sonet; olfac et vide quam bene oleat; gusta et vide quam bene sapiat; tange et vide quam bene caleat. Ergo ubique sonuit vide, cum visus ad solos pertineat oculos. Unde et quod huic dominus dicit: Infer digitum tuum huc et vide manus meas, quid aliud est nisi tange et vide. Potest praeterea simpliciter asseri dominum quidem hoc imperasse, sed discipulum ad perficiendum ausum non fuisse. Iam vero perpendendum quod sequitur: Beati qui non viderunt et crediderunt. Sciendum quod verbo praeteriti ratione futuri temporis exponit, pro eo quod dici potest: beati qui non videbunt et et credituri sunt. Qua sententia nos specialiter signamur, qui ad fidem post apostolorum praedicationem venimus. Qui et si Christum incarnatum nunc videmus, non minore tamen fidei constantia verum deum et verum ~~et~~ hominem illum credimus et praedicamus. Nos inquam hac sententia signati sumus, ita tamen si fidem operibus exequamur. Ille etenim vere credit qui exercet operando quod credit. Quo contra Paulus de reprobis ait: Confitentur se nosse deum, factis autem negant. Multa quidem et cetera usque in libro hoc. Hoc capitulum velut finem istius libri indicat, quod tamen quasi prohemium videtur esse sequentis narrationis quae iam incipit: Manifestavit se Jhesus ad mare Tyberiadis et cetera. Primis autem verbis significat evangelista multa beneficia signorum et praedicationis Christum gessisse in mundo, quae ob sui magnitudinem scribi nulla ratione potuerunt. Unde ~~et~~ in sequentibus hic idem evangelista ~~at~~ testatur quia si scribantur per singula, nec ipse mundus capiat eos qui scribendi sunt libros. Quae vero causa fuerit ut ista scriberentur, subdendo manifestat dicens: Haec autem scripta sunt ut credatis usque filius dei. Quibus verbis abunde et pietati fidelium satis facit et hereticorum insaniae. Plerique enim imperitorum astruere praesumpserunt Christum Jhesum in humana natura filium dei proprie esse non proprium sed adoptivum. Sed dum evangelista dicit: Quia Jhesus est filius dei, perfecto patet quia hoc de illo homine asserit a verbo assumpto, qui in sua carne Jhesum constat esse nuncupatum. Nisi enim proprie etiam in humana natura verus esset deus, verus et dei filius, nunquam firma fides credentium. Beata Maria quae hominem cum divinitate genuit theotokon, id est dei genitricem appellaret. Et ut credentes vitam habeatis in nomine eius. Quicumque credit veraciter Jhesum filium dei esse credendo, Christum in se filium habet, quae habendo et vitam habet. Quia ipse dixit ego sum via veritas et vita. Cuius hanc vitam id est xpm in presenti possidere meruerit. insuper et vitam tu scilicet omnibus consequetur eternam. ubi erit certa securitas sempiterna felicitas inenarrabile gaudium. Ubi tota trinitas deus in sua potentia ab electis sine fine videbitur. sine fastidio amabitur sine fatigatione laudabitur per infinita secula seculorum Amen. E

Dnica ija // Misericordia // dni //

Ego sum pastor bonus Et reliqua

Presens huius leccionis ewangelice textum audiamus dominus ihesus commendat nobis boni pastoris officium. In qua commendatione dum boni pastoris opus ostendere voluit nullum rectius quam se loco exempli proponere potuit. Ego sum inquiens pastor bonus. Simul quoque notandum quod addendo bonus. significavit etiam pastores esse malos. quos in scripturis mercenarii appellant. Quid autem pastor bonus cognosci valeant subsequenter manifestat dicens. Pastor bonus animam suam dat pro ovibus suis. Quod dum excipiendum docuit. prius ipse in suo actu premonstravit. Animam namque suam hoc est vitam suam posuit id est deposuit pro ovibus suis. Prius videlicet qui in iudicio addictum est statuendi cumque pro eo quod nunc in presenti vivitur illuc de quo scriptum est. sicut oves ad occisionem. ducatur illuc in celestis regni pascua inducendum sine quiete signum quocumque venit. Pastor ergo bonus inde xpc esse probatur. quia animam suam pro ovibus suis posuit. Sed nunquid et alii pastores non sunt boni. Nunquid petrus non est pastor bonus. Siquidem et ipse pro omnibus animam posuit. Sic de paulo. sic de ceteris apostolis. sic et de sanctis martiribus. quique amore omnium dei carnem propriam [illegible] sunt scindendum. Unde ergo isti pastores boni sunt. non solum quia sanguinem fuderunt. sed etiam quia pro ovibus fuderunt. Et tamen redemptor noster cum tot pastores bonos prenosceret. se solum pastorem bonum commendavit dicens. Ego sum pastor bonus. Quid est ergo hoc quod singulariter unum pastorem commendat. nisi quia in uno pastore bono unitatem omnium pastorum bonorum significat. quia cum xpo capite corpore suo quod est ecclesia unum corpus creditur. rectissime etiam ipse qui bonus pastor est cum ceteris pastoribus membris suis unus pastor vocatur. Declarate singulariter se omissis ceteris bonum pastorem nuncupat. ut aliis ad pietatem ac bonitatem suam in se bonitatis habere ostendat. Ita et ipsi pastores quod aliquatenus boni sunt hoc ab uno bono pastore sortiuntur hoc est a deo qui essencialiter bonus est. Homines enim non a se ipsis boni esse possent sed a deo accipiunt ut boni sint. Quilibet vero pastoribus ecclesiasticis hoc est attendendum ut primus exteriora bona indigentibus omnibus misericorditer impendat. Postremum vero si necesse sit. etiam animam pro periclitantibus omnibus ponat. Ita qui pro omnibus in tranquillitate non dat substantiam suam. difficile in persecutione daturus est animam suam. Unde Iohannes ait. Qui viderit fratrem suum necesse habere et clauserit usque in eo. Quod autem pastores boni ad edificandam plebem fidelium pro omnibus animas ponere debeant. Ut Iohannes apostolus attestatur dicens. Sicut christus pro nobis animam suam posuit. Ita et nos debemus pro fratribus animas ponere. Hinc Salomon dicit Cum sederis ad mensam potentis sapienter intellige que apposita sunt tibi. et mitte manum tuam. sciens quia talia te oportet preparare et cetera. Ac si dicat. Cum ad mensam potentis dei hoc est ad altare accesseris intellige que apposita sunt tibi. id est corporis et sanguinis christi misterium digna veneratione appende. et mitte manum tuam. id est prepara operacionem tuam. sciens quia talia te oportet preparare ut scilicet ad utilitatem fidelium pro eo moriens omnibus mortem ultro appetas si necessitas ~~expectat~~ expetat. Mercenarius et qui non est pastor. Et reliqua. usque fugit. Qui in ecclesia

Homines quidam prepositi qui occasione temporalis lucri christum evangelizant qui ut dicit apostolus sua querunt non que sunt Iesu christi. Hii ergo tales non pastores sed mercenarii vocantur. quia non pro amore divino oves dominicas sed pro temporali mercede pascunt. Quantum ergo ex hiis verbis domini intelligi conceditur sunt in ecclesia pastores sunt et mercenarii. Pastor veritatem christum annunciat. mercenarius occasione ut dictum est christum predicat. Diligendi autem sunt pastores et imitandi. tolerandi sunt mercenarii et cavendi. Qui et ipsi utique non omnimodis inutiles sunt. sed ex parte necessarii. Ita et per eos verbum christi annunciatur licet ab eis non impleatur. unde quod dominus de scribis et phariseis loquitur dicens. Que dicunt facite. que autem faciunt facere nolite. Et reliqua. Cum ergo tales in verbo veritatis annunciant. non tamen salutem eius querunt cui annunciant. sed lucrum suum pecuniarum seu laudis humane. Auditores autem illorum si boni quidem dictis illorum crediderint operibus tamen imitati non fuerint. ille qui annunciat habebit detrimentum. quibus autem annunciatur habebunt lucrum. Ut enim aliquid sub exemplo dicamus. auditor bonus quilibet bene vivendo. cum attenderit prelatum suum bene docentem. licet non bene viventem. hec secum volvit. Dominus dixit de talibus. Que dicunt facite ut supra. Audiam ergo istius sermones, non imitabor mores. Sequar dominum, sequatur ille cupiditate sua. quia si voluero apud dominum sic me defendere ut dicam. Domine vidi illum prelatum in cuius malicia vivere, et ideo male vixi. Dicturus est michi. Serve nequam, nunquid non a me audieras, que dicunt facite. que autem faciunt facere nolite. Alter contra perversus subiectus quando cepit argui a verbo dei dicat sibi. Quid michi loqueris. Ipsi episcopi ipsi clerici non illud faciunt. et cogis ut faciam. Hec dicendo nullam excusacionem de eo percipere poterit quem in malo imitari voluit. Mercenarius videt inquit lupum venientem et fugit. Lupus super oves venit cum quilibet raptor et iniustus fideles quosque et humiles per potenciam opprimit. Sed is qui locum pastoris tenebat. et tamen mercenarius erat. tam diu utilis fuit quamdiu lupum non videt. Viso autem lupo fugit. quia dum periculum temporale metuit. persecutorum se iniuriis ex auctoritate obsistere non presumit. Quibus iure per Ezechielem prophetam dicitur. Non ascendistis ex adverso neque opposuistis murum pro domo Israel ut staretis in prelio in die domini. Ex adverso quippe ascendere est pravitatibus hominum seculi proximi aliquid iniqua gerentibus, libera voce contra resistere. in die domini pro domo Israel stare ac murum opponere est. fideles innocentes contra perversorum iniusticiam. ex iusticie auctoritate vindicare. Quod mercenarius non facit. qui cum venientem lupum viderit fugit. Est preterea alius lupus isto nequior. malignus videlicet hostis. qui sine cessacione caulas fidelium circuit ut decepcionis sue morsu suffocare possit. Qui iste lupus gregem dissipat. dum fidelium simul temptacionibus opprimendo necat. Sed pastor iste rapaci lupo nulla racione contradicit. quia superfluis potencioribus inhiat. interiorum gregis dampna neglegenda putat. Fugit autem non corpore sed animo. Fugit manendo loco. quia subtrahendo solacium. Quia dum videt homines committere peccata et diabolum sequi ad supplicium non illis dicit peccata. non illum obiurgare ne sua comoda perdat. Interim hic ad lupum rapit. et dispergit oves. cum alium ad luxuriam pertrahit. alium ad avariciam accendit. et sine obstaculo singulos per quecumque scelera pervertit. Que autem causa sit ut mercenarius fugiat subdendo manifestat. Mercenarius fugit. quia mercenarius est. et non pertinet ad eum de ovibus. Ac si aliis verbis dicat. Stare in periculo pro ovibus non potest. qui in eo quod ovibus preest non oves diligit. sed terrenam mercedem querit. Sequitur. Ego sum pastor bonus.

Postquam culpas falsi ac ficti pastoris innotuit consequenti sermone formam boni pastoris imitabilem ante oculos revocavit dicens. Ego sum pastor bonus et cognosco meas et cognoscunt me mee. Cognosco dicit meas id est diligo. Et cognoscunt me mee id est diligentes obsequuntur. Ita et nos cognoscere dicimur quos amamus. Et contra non cognoscimus quos odimus. Unde scriptum est. Novit Dominus qui sunt eius. Et e contra de reprobis dicitur nescio vos. Sicut novit me pater et ego agnosco patrem. Novit pater filium tamquam unigenitum suum. Novit filius patrem tamquam sibi consubstancialem et coeternum. Et animam meam pono pro ovibus meis. Ac si aperte dicat In hoc patet quia et cognosco patrem et cognoscor a patre. quia animam meam pono pro ovibus meis id est ea caritate qua pro ovibus morior quantum patrem diligam ostendo. Et alias oves habeo que non sunt ex hoc ovili. Quia redemptionem nostram qui de gentili populo ad fidem venimus Dominus aspexerat. ideo dicebat alias oves habeo que non sunt ex hoc ovili. De gentibus loquens. que non sunt ex illo ovili. id est de genere carnis Israel. Et illas oportet me adducere. Ipse utique eas adduxit qui per apostolos suos predicacionis verbum illius animas ad fidem suam perduxit. Et vocem meam audient. Nemo dicat populum gencium non audisse vocem Christi. sed constantiam quos misit. id est apostolorum. Ita et in hiis quos misit ipse erat ut dicat Paulus apostolus. An experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus. Ergo ipse et per se loquitur et per eos quos mittit vox eius auditur. Et fiet unum ovile et unus pastor. Quia bonum pastorem de duobus gregibus unum ovile efficit. sicut per lapidem angularem de duobus parietibus unum comparatur. Ad hoc enim valet lapis angularis. ut ex duobus parietibus faciat unum. Ad hoc valet pastor bonus ut ex duobus gregibus unum efficiat. Hoc autem cottidie fieri Deo largiente conspicimus. dum ex utroque populo in unam fidem confluentes unum Deum credere. in una vita eterna expectare eadem pascua regni celestis videmus prestante largitore Deo qui vivit et regnat in secula seculorum Amen.

Dominica Jubilate

Modicum et iam non videbitis me Et Reliqua usque patrem. Jo. xvi.

Dominus ac redemptor noster discipulis propinquia humanitatis imminente iam passione relicturus ea nocte qua tradebatur expleto misterio salutifere cene, multa cum eisdem discipulis sermocinando. et tristiciam sue passionis. et gaudium manifestacionis sue resurrectionis denunciare voluit/ ut tanto forcius imminentis periculum tolerarent/ quanto frequencius illud a Domino prenunciatum recolerent/ Sunt reliqua agit sue pietatis documenta et iam hac quidem in presenti lectione recitatur intulit dicens. modicum et iam non videbitis me. Quod triformi intellectu a doctoribus constat expositum. Quia enim hec verba nocte qua tradebatur ut premissum est protulit. modicum fuit ab illa hora noctis qua hec loquebatur ad residuum eiusdem noctis et sequentis diei tempus usque in horam passionis et sepulture. Circa nonam namque sexte ferie facta est qua hora ceperunt eum non videre eo quod esset intra septa sepulchri ab humanis seclusus obtutibus. Et rursum modicum fuit interpositum spacium usque dum illum viderent. illud videlicet tempus quo clausus iacuit in sepulchro. Tertia enim die resurrexit a mortuis. et apparuit per dies quadraginta in multis argumentis. Aliter modicum fuit tempus quo dominus iacuit in sepulchro usque quo resurrexit a mortuis quo tempore modico discipuli eum videre nequiverunt. Rursum modicum fuit tempus illud videlicet quadraginta dierum quibus cum discipulis post resurrectionem suam conversatus est. eisque multimoda ostensione apparuit. usque dum illis videntibus ascendit ad celum. Et hoc est quod sequitur. Quia vado ad patrem. ac si aliis verbis dicat. Ideo per modicum intra septa sepulchri vestris abscondor aspectibus. et iterum post modicum destructo mortis imperio intuendus vobis appareo. quia tempus est ut expleta suscepte carnis dispensatione cum resurrectionis gloria iam revertar ad patrem. non enim semper in terra mortalibus sed per humanitatem quam assumpsi iam ascensurus in celum. Sunt que notanda quia tota quidem series huius lectionis illis convenit qui eam presente domino audierunt. Verbis autem illius etiam nobis qui post dominicam ascensionem fidem suscepimus rectissime congruit. Hec igitur verba que cum sua expositione premissa sunt illis specialiter conveniunt qui resurrectionem domini videre meruerunt. Quod dicit iam non videbitis me ita accipiendum est. quod scilicet mortalem eum ulterius non viderent qualem cum ista loqueretur videbant. Quamvis hec domini verba generaliter ecclesie toti recte valeant coaptari. Modicum namque est totum spacium quo presens seculum decurrit. usque ad diem iudicii in comparacione eternitatis quod et Iohannes novissima horam nuncupat dicens Filioli novissima hora est. Hoc videlicet tempore modico Christum in humanitate videre non possumus quo dum sumus in corpore peregrinamur a domino. Transacto igitur hoc modico spacio videbimus eum in fine seculi venientem ut reddat unicuique secundum opera sua. Hec quidem verba domini tunc temporis apostoli non intellexerunt. Unde et dicebant ad invicem. Quid est hoc quod dicit nobis modicum et cetera usque patrem. Sed hanc illorum ignoranciam prudenter intelligens. quasi expositurus illa.

quod dixerat et dubitacionem illorum satisfacturus subsequenter adiunxit. Amen amen dico vobis quia plorabitis et reliqua usque gaudium. Que verba tam apostolis quam cunctis electis congruunt. Ploratibus quippe et fletibus apostolos et ceteros amatores christi opprimebat cum illum velut latronem comprehendi ligari ligatumque ad consilium presidis duci ac flagellari tandemque spinarum aculeis coronatum crucifigi mori ac sepeliri conspicerent. Gaudebat econtra mundus id est dilectores mundi qui propterea quod mundanis temporalibus rebus inhiant mundus vocantur cum desiderium suum in christi morte conplerent cum nomen illius se de terra abrasisse putarent cum morte turpissima condempnarent eum qui gravis illis erat non solum ad audiendum sed etiam ad videndum. Contristabantur ipsi apostoli de imminencia salvatoris posito in morte domino sed eorum tristicia in gaudium est conversa quando sicut scriptum est post resurrectionem gavisi sunt discipuli viso domino qui post visa ascensionis potencia pociori iam gaudio repleti laudabant et benedicebant deum ut lucas evangelista testatur. Hec in apostolis certissime impleta fatemur sed et in cunctis fidelibus impleri cottidie non dubitamus. Qui quadam in presentis seculi erumpnis versantur per lacrimas pressurasque temporales gaudia vite eterne instant merentur sicientes spiritu. Si compatimur et conregnabimus. Et qui seminant in lacrimis in gaudio metent. Sic enim opere deus electos suos predestinavit et remuneraturus, ut nemo nisi per lacrimas pressurasque presentes ad coronam perveniat sempiternam. At vero mundus eiusque gaudet quod iniqui ad eterna gaudia per tristicia et angustias desperant presentem que proprium putant, si aliquid putant de temporali delectatione minus exercuerint nolentes ut flos temporis gratissima eorum pretereat iuventute. Quibus convenit quod scriptum est: Ve vobis qui ridetis quia plorabitis. Quemadmodum enim tristicia electorum vertetur in gaudium salutis perpetue, ita et gaudium reproborum mutabitur in fletum et tristicia atrocitatis sempiterne gehenne ubi vermis eorum non moritur et ignis eorum non extinguitur. // Mulier cum parturit tristiciam habet quia venit hora eius. Cum autem pepererit puerum iam non meminit pressure propter gaudium quia natus est homo in mundum. Quid significet illud quod paulo ante premisit dicens. Amen amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos mundus autem gaudebit vos autem contristabimini sed tristicia vestra vertetur in gaudium. Demonstrat dominus hac comparatione. Sicut enim mulier cum parturit, hoc est cum cruciatur pro dolore ante partum, tristiciam habet quia venit hora eius, id est hora pariendi. Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressure propter gaudium quia natus est homo in mundum. Ita et apostoli contristati sunt tempore dominice passionis, sed tristicia eorum versa est in gaudium agnita domini resurrectione. In qua comparatione hoc notandum est iuxta litteram quod parturicio tristiciam, partus autem gaudium generat, quod tunc magis esse consuevit quando non puella, sed puer masculus nascitur. Unde hic melius videtur legendum parturit quam parit. Iuxta sensum enim beati Augustini parere est partu effundi, parturire autem cum partu dolere. Que similitudo altiori intellectu inspecta tam precedentibus quam subsequentibus verbis respondere probatur. In sacro eloquio mulieris nomine frequenter ecclesia figuratur, vel quia semper fecunditate bonorum operum pollet, vel certe propterea quia spiritales filios deo gignere per aquam et spiritum sanctum atque ubique predicacione numquam desistit. Hinc idem Iohannes mulierem amictam sole se vidisse in libro apocalipsis commemorat, haud dubium quin ecclesiam significans virtute divine potencie decoratam. De cuius partu spiritali pene similia sermonibus dominicis verba proferens dicit quod in utero habens clamat parturiens et cruciatur ut pariat. Hinc est quod regnum celorum mulieri comparatur, que accepto fermento abscondit in farine satis tribus, donec fermentaretur totum. Qua similitudine sancta multiplicium figuratur ecclesia, que percipiens a Christo graciam fidei ac doctrine disseminare eam studuit in tribus mundi partibus, Asia, Africa et Europa, donec toto mundo sciencia divina repleto in omnes fines exiret sonus predicatorum. Unde sanctus mulieris membra se premi significat Paulus cum auditoribus suis dicit: Filioli, quos iterum parturio et cetera. Et iterum: Per evangelium vos genui. Hoc agit mulier, id est sancta ecclesia, in inicio fidei tempore videlicet apostolorum et martirum, cum parturiebat tristiciam habebat, quia cum tempore persecucionis cernebat electos tribulacionibus affligi, quosdam videbat puniri ut beatum Laurencium, a bestiis lacerari ut Ignacium, lapidibus obrui ut sanctum Stephanum, et variis generibus tormentorum impeti, tristabatur et dolebat. Cum autem electum quemlibet per passionis tormentum ad palmam celestem promissam iam non recordabatur pressure preterite tribulacionis, quia intelligebat.

mulier id est ecclesia

se ad patriam celestem per huiusmodi tormenta transisse. Sed et nunc in presenti tempore, ablata ira infidelium persecutorum, nequaquam cessante impugnacione persecutoris diaboli, hec mulier, sancta videlicet ecclesia, parturiendo contristatur, quia dum in virtutibus spiritualibus proficit, dum filios suos, animas scilicet sanctas, per aquam baptismatis et verbum predicacionis Christo generat, ad vitam eternam per angustias et labores certaminum dirigit, tamquam filios parturiens tristatur, et mundi temptacionibus incessanter urguetur. Sed cum deo se in omnibus protegente ad victorie palmam pertingere meruerit, iam non meminit pressurarum quas pro deo pertulit, quia cernit se feliciter remunerari magnitudine premiorum que concupivit. Et sicut mulier nato in hoc mundo homine letatur, ita sancta ecclesia pro creato ad vitam eternam credencium populo digna animi exultacione perfunditur. Non autem incongruum videri debet si nasci dicatur is qui ex hac vita migraverit. Sicut enim irreprehensibiliter nasci dicitur aliquis qui de tenebris uteri materni prorumpens in hanc mortalium lucem egreditur, quomodo non rectissime natus valet nuncupari qui impedimentis corporis solutus ad lucem indeficientem et perpetuam sublimatur. Propter hac siquidem racione ex tradicione maiorum ecclesie creditur usus obtinuisse ut dies beatorum martirum vel confessorum quibus de seculo migraverunt non funebres sed natales vel natalicii vocitentur. Et vos igitur nunc quidem tristiciam habetis. Iterum autem videbo vos. Hoc de apostolis luce clarius valet intelligi qui maiori tristicia affecti sunt passo ac sepulto domino. Sed facta resurreccione eius gloria non minore exultacione et gaudio sunt repleti, adeo ut gaudium eorum nulla adversitas, nulla persecucio tollere et violare potuerit. Neque putandi sunt inter pressuras persecucionum hoc gaudium amisisse, immo omne gaudium existimabant cum in temptacionibus variis inciderent, gaudentes quod digni habiti erant pro nomine domini contumeliam pati. Sed et de electis omnibus nichil obstat intelligi qui nunc quidem adhuc in presenti seculo tristiciam habent, sed certissime noverunt quod non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam que revelabitur in sanctis. Quod vero dicit: Iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum, quamvis hunc intellectum non ad illud tempus est referendum quo apostolis postquam resurrexit in multis argumentis semet ipsum per quadraginta dies ostendit, sed ad illud potius. Hoc est ad diem

De quo ipse Iohannes ait. Scimus quia cum apparuerit similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. Videbo vos inquit. Hoc est in die iudicii iudicibus vobis apparebo. Consueto more scripturarum. ut est illud. nunc cognovi quod timeas deum. id est cognoscere alios feci. De parte videbo vos dicit. id est miserebor vestri cum vos ad me ipsum adsumpsero atque paciencia laboris vestri expectatos premiis remunerabo. Tunc namque perfecte cor electorum gaudebit. illo utique gaudio quod in perpetuum ab eis auferri non poterit. quippe quibus nulla adversitas dominabitur. nullus hostis persequetur. sed sempiterna felicitas et perpetuum gaudium. ipso videlicet domino Ihesu Christo ab electis omnibus intuebitur. possidebitur. atque tenebitur gaudium sicut scriptum. Absterget deus omnem lacrimam ab oculis sanctorum eorum et mors ultra non erit. neque luctus neque clamor. quia priora abierunt. Quare cum contigerit anime a deo electe. et ad vitam eternam predestinate. ingenti quadam fiducia perget in deum. hoc est in ipsam veritatis contemplacionem. Iam vero ipsa contemplacione quanta sint gaudia. quanta perfruicio summi boni dixerunt quantum dicendum esse iudicaverunt summe quedam et incomparabiles ait. Nobis vero rudibus. et adhuc incipientibus hoc tantum sufficiat. quia si illa tunc sunt que nobis agendum precepit fideliter expleverimus sic quandoque perveniemus ad illam summam causam. summum principium. auctorem omnium. vel si quo alio nomine tanta res congruencius appellari potest. unus videlicet deus verus atque perfectus. qui numquam non fuit. numquam non erit. numquam non aliud fuit numquam non aliud erit quo nichil presencius nichil secrecius. qui difficile invenitur ubi sit multo tamen difficilius ubi non sit cum quo omnes esse possimus. sine quo esse nemo potest. quo vero intellectu atque percepto demum sciemus qua sit unitatis trinitatem omnia que sunt sub celo contemplacione etiam illius qua solum supra nos deum videbimus. videbunt nobis omnia que infra nos videbimus. Domino nostro Ihesu Christo largiente qui vivit et regnat

De eo quod dicit non turbetur cor vestrum creditis in deum et in me credite. usque ad quod ait. quo ego vado scitis. et viam scitis. Erigenda nobis est fratres ad deum maior intencio ut verba sancti ewangelii. que modo in nostris auribus sonuerunt. etiam mente capere. ut eaque possimus. Ait enim dominus Ihesus Christus. Non turbetur cor vestrum creditis in deum et in me credite. Ne mortem tamquam homines timuerint et ideo turbarentur. consolatur eos etiam secundum ex contestantibus. Creditis inquit in deum et in me credite. Consequens est enim ut si in deum creditis et in me credite. et in eum credite cui natura est non rapina esse equalis deo. Semetipsum exinanivit non tamen forma dei amittens sed forma servi accipiens. Mortem metuitis huic forme servi non turbetur cor vestrum. Suscitabit illa forma dei. Sed quid est quod sequitur in domo patris mei mansiones multe sunt nisi quia et sibi metuebant. unde audire debuerunt non turbetur cor vestrum. Quis enim eorum non metueret cum petro dictum esset fidentiori atque promptiori non cantabit gallus donec ter me neges. Tamquam ergo essent ab illo perituri merito turbabantur. Sed cum audiunt in domo patris mei mansiones multe sunt si quo minus dixissem vobis quia vado parare vobis locum a perturbatione recreantur certi atque fidentes etiam post pericula temptationum se apud deum cum christo esse mansuros. quia et si alius est alio fortior alius alio sapientior alius alio iustior alius alio sanctior in domo patris mei multe mansiones sunt. nullus eorum alienabitur ab illa domo ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem ille equalis est omnibus quem paterfamilias eis qui operati sunt in vinea iubet dari omnibus. Non in eo discernens qui minus et qui plus laboraverunt. Quo utique denario vita significatur eterna. Ubi amplius alio nemo vivit quo vivendi non est distantia non in eternitate mensura. Sed multe mansiones diversas meritorum in vita eterna significant dignitates. Alia enim gloria solis alia gloria lune. alia gloria stellarum. Stella enim ab stella differt in gloria sic et resurrectio mortuorum. tamquam stelle sancti diversas mansiones diverse claritatis tamquam in celo sortiuntur in regno. Sed propter unum denarium nullus separatur a regno. Atque ita deus erit omnia in omnibus ut quoniam deus caritas est per caritatem fiat ut quod habent singuli commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet cum amat in altero quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis. quoniam regnabit in omnibus unitas caritatis. Proinde respuendi sunt a corde christiano qui putant ideo dictum multas esse mansiones quia extra regnum celorum erit aliquid ubi beati maneant innocentes. qui sine baptismo ex hac vita emigraverunt. quia sine illo regnum celorum intrare non potuerunt. Hec fides non est fides quoniam non est vera et catholica fides. Itane tandem stulti homines et carnalibus cogitationibus excecati cum reprehendendi essetis si mansionem non dico petri pauli vel cuiuslibet apostolorum sed cuiuslibet parvuli baptizati a regno celorum separetis non vos putatis esse reprehendendos qui domum dei patris inde separatis. Non enim ait dominus in universo mundo aut in universa terra creatura aut in vita et beatitudine sempiterna mansiones multe. sed in domo inquit patris mei mansiones multe sunt. Nonne ista est domus ubi edificationem habemus ex deo domum non manu factam sed eterna in celis. Nonne ista est domus de qua canitur deo. Beati qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te. Ergo nec nos non domum eius quia baptizati fratres sed domum spiritus dei patris cum omnibus fratribus dicimur. Pater in quibus cum aliis a regno separandi alieni. aut cum sic diximus audiebatis, ut aliqui mansiones eius sint in regno celorum, alique autem extra regnum celorum. Absit absit ut qui volunt in regno celorum habitare in hac stulticia velint habitare vobiscum. Absit inquam. ut cum omnis domus regnantium filiorum non sit alibi nisi in regno, quomodo regie domus pars aliqua non sit in regno. Et si abiero inquit et preparavero vobis locum, iterum venio. et accipiam vos ad me ipsum. ut ubi sum ego et vos sitis et quo ego vado scitis et viam scitis. O domine Ihesu quomodo vadis parare locum. si iam multe mansiones sunt in domo patris tui. ubi tecum habitabunt tui. Aut ut accipias eos ad te ipsum. quomodo iterum venis. qui non recedis. Ista karissimi si breviter explicare conemur quantum videtur hodierno satis esse sermoni. coartata utique non clarebunt. Et erit ipsa brevitas altera obscuritas. Proinde hoc debitum differimus quod opportunius vobis pre familiaribus nostris largiente reddamus.

De eadem lectione. Debitum nobis fratres karissimi recognoscimus et reddendum. quod distuleramus agnoscimus quomodo intelligi possint non esse inter se duo ista contraria quod cum dixisset dominus. in domo patris mei mansiones multe sunt. si quo minus dixissem vobis. quia vado parare vobis locum. Ubi satis ostendit ideo se hoc illis dixisse. quia iam sunt mansiones multe et non est opus aliquam preparare. Rursus dicat. Et si abiero et preparavero vobis locum, iterum venio. et accipiam vos ad meipsum ut ubi sum ego et vos sitis. Quomodo vadit et parat locum. si iam multe mansiones sunt. Si quo minus dixisset. vado parare. Aut si adhuc parandus est. cur non eciam dixisset vado parare. An iste mansiones et sunt et parande sunt. Et tamen quia iste sunt ut parande sint non vadit parare sicut sunt. sed si abierit et paraverit sicut future sunt iterum veniens accipiet suos ad seipsum ut ubi est ipse. sint et ipsi. Quomodo ergo mansiones in domo patris non alie sed ipse. et sine dubio iam sunt. sicut parande non sunt. et non dum sunt sicut parande sunt. Quomodo putamus nisi quomodo etiam propheta predicat deum qui fecit que futura sunt. Non enim ait qui facturus est que futura sunt sed qui fecit que futura sunt. Ergo et fecit ea. et facturus est ea. Nam neque facta sunt si ipse non fecit neque futura sunt si ipse non fecerit. Fecit ergo ea predestinando facturus est operando. Sicut discipulos quando elegerit satis indicat evangelium. tunc utique quando eos vocavit. et tamen ait apostolus. Elegit nos ante mundi constitutionem predestinando utique non vocando. Quos

autem predestinavit illos et vocavit.
Elegit predestinando ante mundi con-
stitucionem, elegit vocando ante mundi
consummacionem. Sic et mansiones preparavit
et preparat, nec alias, sed quas pre-
paravit has preparat qui fecit que futura.
Quas preparavit predestinando, preparat
operando. Iam ergo sunt in predesti-
nacione. Si quominus dixisset ibo
et preparabo, id est predestinabo. Sed quia
nondum sunt in operacione: et si abiero
inquit et preparavero vobis locum, iterum
venio et accipiam vos ad meipsum.
Parat autem mansiones mansionibus
parando mansores. Quippe cum dixerit
In domo patris mei mansiones multe
~~mansiones multe sunt~~ quid puta-
bimus esse domum dei nisi templum dei?
Quid autem sit interroget apostolus et
respondeat. Templum dei sanctum est
quod estis vos. Hoc est etiam regnum dei,
quod filius traditurus est patri. Unde
dicit idem apostolus. Inicium Christus. Deinde
finis cum tradiderit regnum deo et patri,
id est quos redemit sanguine suo, tra-
diderit contemplandos etiam patri suo.
Hoc est regnum celorum. De quo dicitur
Simile est regnum celorum homini semi-
nanti bonum semen in agro suo. Bonum
autem semen. Hii sunt filii regni.
Qui et si nunc habent permixta zi-
zania, mittet in fine angelos suos
et colligent de regno eius omnia
scandala. Tunc iusti fulgebunt sicut
sol in regno patris sui. Regnum ful-
gebit in regno cum regno venerit
regnum. Quod nunc oramus et dicimus

Veniat regnum tuum. Non ergo
non iam regnum vocatur, sed adhuc con-
vocatur. Si enim regnum non vocare-
tur, colligent de regno eius omnia
scandala non diceretur. Sed nondum
regnat hoc regnum. Proinde sic
est etiam regnum, ut cum de illo collecta
fuerint omnia scandala, tunc perve-
niat ad regnum, ut non solum regni
nomen, sed etiam regnandi habeat
potestatem. Huic quippe regno
ad dexteram stanti in fine dicetur
Venite benedicti patris mei perci-
pite regnum. Id est qui regnum eratis
et non regnabatis, venite regnate,
ut quod in spe fueratis, etiam in re
esse possitis. Hec ergo domus
dei, hoc templum dei, hoc regnum
dei, regnum quoque celorum adhuc
edificatur, adhuc paratur, adhuc
congregatur. In illo erunt mansiones
sicut eas adhuc parat dominus. In
illo iam sunt, sicut predestinavit
iam dominus. Sed quid est quod ut pre-
pararet abiit, cum profecto nos ipsos
preparaverit, quod non faciet si reliqui-
erit. Agnosco domine ut possum.
Nimirum illud significabis, quia ut
parentur iste mansiones, vivere debet
iustus ex fide. Qui enim a domino pe-
regrinatur, opus est ex fide vivere, quia
per hanc ad speciem contemplandam
paratur. Beati enim mundi cordibus quoniam
ipsi deum videbunt. Et fide mundans
corda eorum. Illud in evangelio, hoc
in apostolorum actibus legitur. Fides

ait. quia eorum qui diu mansuri sunt quia diu peregrinantur corda mundantur. Quod non videt credit. Nam si videtur non est fides. Credenti colligitur meritum videnti redditur premium. Eat ergo dominus et paret locum. eat ne videatur. lateat ut credatur. Tunc enim locus paratur si ex fide vivatur. Creditus desideretur ut desideratus habeatur. Desiderium dilectionis preparacio est mansionis. Ita domine para quod paras. Nos enim tibi paras et te nobis paras quo locum paras et tibi in nobis et in te nobis. Tu enim dixisti manete in me et ego in vobis. Quantumque quisque fuerit particeps tui alius minus alius amplius. Hec erit diversitas premiorum pro diversitate meritorum. Hec erit multitudo mansionum pro disparilitate mansorum. Sed tamen omnium in eternitate viventium et sine fine beatorum. Sed quid est quo vadis. quid est quo venis. Si bene intelligo nec unde vadis nec unde venis recedis. Vadis latendo. venis apparendo. Sed nisi maneas regendo ut proficiamus bene vivendo. quomodo parabitur locus ubi possimus permanere fruendo. Hec de verbis que recitata sunt ewangelicis satis dicta sint quousque ait dominus. iterum venio et accipiam vos ad me ipsum. Quid autem sit quod sequitur. ut ubi ego sum et vos sitis. et quo vado scitis et viam scitis post interrogacionem que sequitur a discipulis factam tamquam propius et nos interrogemus melius audiemus oportunius pertractabimus

Ad id quod sequitur dicit ei thomas domine nescimus quo vadis usque ad id quod ait. nemo venit ad patrem nisi per me. Nunc ergo dilectissimi ut quantum valemus intelligamus de verbis domini posterioribus priora et de consequentibus precedencia. meministis quod audistis explanatum me interroganti eo responsum. Dixerat enim dominus eis de mansionibus loquens quas et eo dixit in domo patris sui. et ire se ut pararet eas. ubi intelleximus et eas iam mansiones esse in predestinacione. et parari eas cordium eorum qui ibi mansuri sunt per fidem corda mundante. quoniam ipsa dei domus ipsi sunt. Et quid est aliud manere in domo dei. quam esse in populo dei. cum populus est in deo et deus in eo. Hoc ut pararet dominus abiit. ut credendo in eum qui non videtur. ea que in specie semper futura est nunc per fidem mansio paretur. Propter hoc ergo dixerat. Et si abiero. et preparavero vobis locum. iterum venio. et accipiam vos ad me ipsum ut ubi sum ego et vos sitis. Et quo ego vado scitis et viam scitis. Ad hec dicit ei thomas. Domine nescimus quo vadis. et quomodo possumus viam scire. Utrumque illos dixit dominus scire. utrumque dixit iste nescire. et locum quo itur. et viam qua itur. Sed nescit ille mentiri. Ergo isti sciebant et se scire nesciebant. Convincat eos iam scire. quod se putant adhuc nescire. Dicit ei ihesus. Ego sum uia et ueritas et uita. Quid est fratres. Ecce audiuimus discipulum interrogantem audiuimus et magistrum docentem et nondum capimus etiam post uocem sonante sentencia latitante. Sed quid non possumus capere. Numquid non poterant ei dicere apostoli eius cum quibus loquebatur nescimus te. Proinde si eum sciebant et uia ipse est. uia sciebant. Ecce scire conuicti sunt quod se scire nesciebant. Quid igitur et nos in isto sermone non capimus. quid putatis fratres mei. nisi quod dixit. et quo uado scitis. et uiam scitis. Ecce cognouimus quod sciebat uiam. quia sciebant ipsum qui est uia. Sed uia est qua itur. Numquid uia est et quo itur. Utrumque autem illos dixerat scire. et quo uadit et uiam. Opus ergo erat ut diceret. ego sum uia. ut ostenderet eos. quia sciret eum uiam scire. quam putauerant se nescire. Quid autem opus erat ut diceret. ego sum uia. et ueritas et uita. cum uia cognita quo iret. restaret nosse quo iret. nisi quia ibat a ueritate ibat ad uitam. Ibat ergo ad seipsum per seipsum. Et nos quo imus. nisi ad ipsum. et qua imus. nisi per ipsum. Ipse igitur ad seipsum. per seipsum. nos ad ipsum. per ipsum immo uero ad patrem. et ipse et nos. Ita et de ipso alibi dicit. ad patrem uado. et hoc loco propter nos. Nemo inquit uenit ad patrem nisi per me. Ac per hoc. et ipse per seipsum et ad seipsum et ad patrem et nos per ipsum. et ad ipsum. et ad patrem. Quis hec capit. nisi spiritualiter sapit. Et quantum est quod hic capit etiam qui spiritualiter capit. Fratres mei. quid a me ista uultis uobis exponi. Cogitate quam excelsa sunt. Videtis quid sim. uideo quid sitis. Omnibus nobis. corpus quod corrumpitur aggrauat animam. et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitante. Putamusne possimus dicere. Ad te leuaui animam meam qui habitas in celo. Sed sub tanto pondere ubi ingemiscimus grauati. quomodo leuabo animam meam. nisi mecum leuet qui posuit pro me suam. Dicam ergo quod possum. capiat eum qui potest. Quo donante dico. eo donante capit qui capit. et eo donante credit qui nondum capit. Nisi enim inquit credideritis propheta non intelligetis. Dic michi domine ipse quid dicam seruus tuus conseruis meis. Thomas apostolus ut te interrogaret habuit te ante se. nec tamen intelligeret te. nisi haberet in se. Ego interrogo te. quia te scio esse supra me. Interrogo autem inquantum possum supra me effundens animam meam. ubi non sonante et tamen docente audiam te. Dic michi obsecro quomodo uadis ad te. Numquid ut uenires ad nos reliqueras te. maxime quia non a teipso uenisti. sed pater te misit. Scio quidem quod te exinanisti. sed quia formam serui accepisti. Non qua forma dei. vel ad qua redires dimisisti. vel qua recuperes amisisti. et tamen venisti. et non solum usque ad carnales oculos. verum etiam usque ad manus hominum pervenisti. Quomodo nisi in carne per hominem venisti. manens ubi eras. per hanc redisti non relinquens quo veneras. Si ergo per hominem venisti et redisti per hominem procul dubio non solum nobis via es qua veniremus ad te. verum etiam tibi qua venires et redires via fuisti. Cum vero ad vitam quae es ipse isti. eandem profecto carnem tuam ad vitam de morte duxisti. Aliud quippe verbum dei est. aliud homo. Sed verbum caro factum est id est homo. Non utique alia verbi. alia est hominis persona. quoniam utrumque est christus una est persona. Ac per hoc quemadmodum cum caro mortua est. christus est mortuus. et cum caro sepulta est. christus sepultus est. Sic enim corde credimus ad iusticiam. sic ore confessionem facimus ad salutem. Ita cum caro a morte venit ad vitam. Et quia verbum dei christus est. christus est vita. Ita miro quodam et ineffabili modo qui numquam dimisit vel amisit se ipsum venit ad se ipsum. Venerat autem ut dictum est per carnem deus ad homines. veritas ad mendaces. Deus enim verax. omnis homo mendax. Cum itaque ab hominibus abstulit. atque illuc ubi nemo mentitur carnem suam levavit. idem ipse quia verbum caro factum est per se ipsum. id est per carnem ad veritatem quod est ipse remeavit. Quam quidem veritatem. quamvis inter mendaces etiam in morte servavit. Aliquando cum pro tempore fuit mortuus. sed numquam falsus. Accipite quamdam dissimilem et longe imparem exemplum. tamen ut cumque ad intelligendum deum. ex his quae proximius subiecta sunt deo. Ecce ego ipse. quantum attinet ad animum meum. cum hoc sim quod estis et vos. si taceo apud me ipsum sum. Si autem loquor vobis quod intelligatis. quodammodo ad vos procedo. nec me relinquo. Sed ad vos accedo. et non recedo unde procedo. Cum autem taceo. quodammodo ad me redeo. et quodammodo vobiscum maneo. si tenueritis quod audistis in sermone quem dico. Si hoc potest imago quam fecit deus. quid potest ab eo non factus. sed ex deo nata imago dei deus. Cuius illud quo a nobis egressus est. et in quo a nobis regressus est corpus. non sicut iste elapsus est sonus. sed manet ubi iam non moritur. et mors ei ultra non dominabitur. Multa de his evangelicis verbis adhuc dici fortasse poterant et debebant. sed non sunt corda vestra spiritualibus cibis qualibet sua vilibus onerando maxime quia spiritus promptus est caro autem infirma

c eo quod dicit. Si cognovissetis me. et patrem meum utique cognovissetis. usque ad id quod ait. non creditis quia ego in patre et pater in me est. Verba sancti evangelii fieri ita recte intelliguntur si cum superioribus reperiuntur habere concordiam. Convenire enim debent precedencia consequentibus quando veritas loquitur. Superius dixerat dominus Et si abiero et preparavero vobis locum iterum venio et accipiam vos ad meipsum ut ubi ego sum et vos sitis. Deinde addiderat et quo ego vado scitis et viam scitis nichil quod aliud ostendit ex quo dixit nisi quia ipsum sciebant. Quid ergo erit ire ad ~~semet~~ ipsum per se ipsum quod eius discipulis prestat ut eant ad ipsum per se ipsum. ut potuimus pristino sermone iam diximus. Quod itaque ait ut ubi ego sum et vos sitis. ubi erant futuri nisi in ipso. Ac per hoc est etiam ipse in se ipso. Et ideo ibi illi ubi et ipse hoc est in ipso. Ipsa est igitur eterna vita in qua futuri sumus cum acceperit nos ad se. Et ipsa est vita eterna quod ipse est in ipso est ut ubi est ipse et nos simus hoc est in ipso. Sicut enim pater habet vitam in semetipso et utique non aliud est vita quam habet nisi quod est ipse qui hanc habet. sic dedit filio habere vitam in semetipso cum ipse sit eadem vita quam habet in semetipso. Numquid autem nos ita quod est ipse hoc erimus cum in illa vita hoc est in ipso esse ceperimus. Non utique. quia ipse existendo vita habet vitam et ipse est quod habet. Et quod in ipso est vita ipse est in se ipso. Nos autem non ipsa vita sed ipsius vite participes sumus. Atque ita ibi erimus ut in nobis ipsis non quod ipse est esse possimus. sed nos ipsi non vita ipsum habeamus vitam. qui ipsum se habet vitam eo quod ipse est vita. Denique ipse et in se ipso est immutabiliter et inseparabiliter. Nos vero cum in nobis ipsis esse voluissemus ad nos ipsos turbati sumus. Unde illa vox est. Ad me ipsum turbata est anima mea. Atque in deterius commutati neque ad quod fuimus manere potuimus. Cum autem per ipsum venimus ad patrem sicut ait nemo venit ad patrem nisi per me manentes in illo nec a patre nos quisquam poterit separare nec ab illo. Connectens itaque consequencia precedentibus si cognovissetis me inquit et patrem meum utique cognovissetis. Hoc est quod ait Nemo venit ad patrem nisi per me. Deinde subiungit Et amodo cognoscetis eum et vidistis eum. Sed philippus unus ex apostolis quod audierat non intelligens Domine inquit ostende nobis patrem et sufficit nobis. Cui dominus Tanto inquit tempore vobiscum sum et non cognovistis me. Philippe qui videt me videt et patrem. Ecce increpat quod tanto tempore cum ipsis erat et non cognoscebat. Nonne ipse dixerat et quo ego vado scitis et viam scitis. et se nescire dicentibus eos hoc sene convicerat addendo atque dicendo ego sum via et veritas et vita. Quomodo nunc dicit tanto tempore nobiscum sum. et non cognovistis me. cum profecto et quo iret et viam scirent non ob aliud nisi quod ipsum utique scirent. Sed facile ista solvitur questio. si dicamus quod cum aliqui eorum sciebant aliqui nesciebant. Atque in hiis qui nesciebant et philippus erat. Et quod ait. et quo ego vado scitis. illis dixisse intelligatur qui sciebant. non philippo cui dictum est. tanto tempore vobiscum sum. et non cognovistis me philippe. Hiis ergo qui filium noverant iam. etiam illud de patre iam dictum est. et amodo cognoscetis eum. et vidistis eum.

Dictum est enim propter omnimodam similitudinem que illi cum patre est. ut ideo amodo dicerentur nosse patrem. quia sciebant similem filium. Ergo iam noverant filium. et si non omnes. certe quidam eorum quibus dicitur et quo vado scitis. et viam scitis. Ipse est enim via. Sed patrem nesciebant. ideo audiunt. Si cognovissetis me. et patrem meum utique cognovissetis. per me utique et illum. Alius enim ego sum. alius ille. Sed ne putaret. dissimilem. et amodo inquit cognoscetis eum. Viderunt enim eius simillimum filium. Sed admonendi fuerant. talem esse etiam patrem quem nondum videbant. qualis est filius quem videbant. Et ad hoc valet quod postea philippo dicit. qui videt me. videt et patrem. Non quod ipse sit et pater et filius. quod in sabellianis qui vocantur etiam patripassiani catholica fides dampnat. sed quod tam similes sunt pater et filius. ut qui unum noverit ambos noverit. Solemus enim de simillimis duobus ita loqui eis qui unum illorum viderunt. et qualis sit alius volunt nosse. ut dicamus vidisti illum istum vidistis. Sic ergo dictum est. qui videt me videt et patrem. quia ipse est pater qui filius. sed quod a patris similitudine in nullo prorsus discrepet filius. Nam nisi duo essent pater et filius. non dictum esset. si cognovissetis me. et patrem meum cognovissetis.

Utique enim. quia nemo venit ad patrem nisi per me. Si cognovissetis me et patrem meum cognovissetis. Et amodo cognoscetis eum. quoniam ego per quem venitur ad patrem. perducam vos ad eum. ut ipsum etiam cognoscatis. Sed quia illi sum omnino simillimus. amodo cognoscetis eum cum cognoscitis me. Et vidistis eum. si oculis cordis vidistis me. Quid ergo est quod dicis philippe. ostende nobis patrem. et sufficit nobis. Tanto inquit tempore vobiscum sum. et non cognovistis me. Philippe qui videt me videt et patrem. Quod si ad multum est hoc videre. saltem quod non vides crede. Quomodo enim dicis inquit ostende nobis patrem. Si me vidisti qui omnimodo similis sum. vidisti illum cui similis sum. Quod si videre non potes. saltem credis quia ego in patre et pater in me est. quare ut hic dicat philippus. Video quidem te. et credo te esse simillimum patri

Sed nunquid ~~argua~~ arguendus et obiurgendus est qui eum similem uidet cum illum cuius similis est uult uidere. Similem quidem nouit, sed adhuc alterum sine altero nouit. Non ei sufficit nisi et illum cui est iste similis nouerit. Ostende itaque nobis patrem et sufficit nobis. Sed ideo magister discipulum arguebat quo cor postulantis uidebat. Tanquam enim melior pater esset quam filius, ita philippus patrem nosse cupiebat et ideo nec filium sciebat quo melius aliquid esse credebat. Ad hunc sensum corrigendum dictum est: qui uidet me uidet et patrem ~~meum~~. Quomodo tu dicis ostende nobis patrem? Video quomodo tu dicis. Non alterum quaeris uidere similem sed illum putas esse meliorem. Non credis quia ego in patre et pater in me est? Cur in similibus distantiam cupis cernere? Cur inseparabiles separatim desideras nosse? Deinde non ad solum philippum sed ad eos pluraliter loquitur quae non sunt in angustias coartanda ut adiuuante ipso diligentius exponantur.

In eo quod dicit: uerba quae ego loquor uobis a meipso non loquor, usque ad id: si quid petieritis patrem in nomine meo hoc faciam. Audite auribus, accipite mentibus. Dominum loquentem quidem nobis, sed ipsum docentem qui non recedit a nobis. Quod dicit quod modo cum legeretur audistis: Verba quae ego loquor uobis a meipso non loquor, pater autem in me manens facit opera ipse. Ergo et uerba opera sunt? Plane ita est. Ita profecto qui proximum loquendo edificat bonum opus operatur. Sed quid est a meipso non loquor nisi a meipso non sum qui loquor? Ei quippe tribuit quod facit de quo est ipse qui facit. Pater enim deus non est de aliquo, filius autem deus est quidem patri coequalis sed de patre deo. Ideo ille deus sed non de deo et lumen sed non de lumine, iste uero deus de deo lumen de lumine. Nam in his duabus sententiis, una qua dictum est: non a meipso loquor, alia qua dictum est: pater autem in me manens facit opera ipse, singulas tenentes diuersi nobis aduersantur heretici, qui non communia parte sed in contraria conantes a uia ueritatis exorbitant. Arriani quippe dicunt: Ecce inequalis est patri filius, non a seipso loquitur. Dicunt sabelliani contrarii uel patripassiani: Ecce qui pater est ipse et filius. Quid est enim pater in me manens ipse facit opera nisi in me maneo ego qui facio? Contraria dicitis, sed non eo modo est falsum contrarium uero, sed sicut inter se duo falsa contraria. Errando in diuersa discessistis, in medio est uia quam reliquistis

Inter vos ipsos longiore intervallo separati estis quamvis ipsa via cuius desertores estis. Vos hinc, vos autem illinc. Huc venite, alteri ad alteros transire nolite. Sed hinc atque illinc ad nos veniendo invicem vos invenite. Sabelliani agnoscite quae praetermittitis. Arriani aequate quae subditis et in via vera nobiscum ambulabitis. Est enim quod invicem vobis alteri ab alteris amoveri utrique debeatis. Audi Sabelliane. Ipse a deo non ipse pater sed alter est filius ut cum arrianus inaequalem asserat patri. Audi arriane. Ipse a deo filius aequalis est patri ut sabellianus eundem esse dicat et patrem. Tu adde quod tollis, tu adimple quod minuis, et nobiscum ambo consistitis. Quia nec tu tollis nec tu minuis eum. Quia et alter est a patre ut convincat sabellianum et aequalis est patri ut convincat arrianum. Utrisque enim clamat. Ego et pater unum sumus. Quod ait unum audiant arriani. Quod ait sumus audiant sabelliani et nec illi aequalem nec illi alterum negando sint vani. Si ergo quod dixit verba quae ego loquor vobis a meipso non loquor. Propterea putant isti a deo imparis potestatis ut non quod ipse vult faciat audiant quod dixit. Sicut pater suscitat mortuos et vivificat sic et filius quos vult vivificat. Item si quod dixit pater in me manens facit opera ipse. Propterea non putant alium esse patrem alium ipsum audiant quod dixit quaecumque pater facit haec et filius similiter facit. et intelligant nobis unum sed duo unum. Verum quia sic aequalis est alter alteri ut tamen alter sit ab altero ideo non loquitur a seipso quia non est a seipso et ideo pater in illo manens facit opera ipse quia et ipse et cum quo facit non est nisi ab ipso. Deinde adiungit et dicit. Non creditis quia ego in patre et pater in me est. Alioquin propter opera ipsa credite. Antea solus philippus arguebatur. Nunc autem non illum solum fuisse qui esset arguendus ostendit. Propter opera ipsa inquit credite quia ego in patre et pater in me est. Neque enim si separati essemus inseparabiliter operari ulla ratione possemus. Sed quid est quod sequitur. Amen amen dico vobis qui credit in me opera quae ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet. Quia ego ad patrem vado et quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam. Ergo et illa maiora opera se ipsum facturum esse promisit. Non se extollat servus super dominum nec discipulus super magistrum. Maiora quam ipse fecit dixit eos esse facturos sed in eis vel per eos se facientem non ipsos tamquam ex semetipsis. Ei quippe cantatur. Diligam te domine virtus mea. Sed quae sunt tandem ista maiora. An forte quod aegros ipsis transeuntibus etiam eorum umbra sanabat. Maius est enim ut sanet umbra quam fimbria. Illud per se hoc per illos sed utrumque ipse. Verumtamen quando ista dicebat verborum suorum opera commendabat. Sic enim dixerat: Verba que ego loquor vobis a me ipso non loquor. Pater autem in me manens facit opera ipse. Que opera tunc dicebat nisi verba que tunc loquebatur? Audiebant et credebant illi. Et eorundem verborum fructus erat fides illorum. Verumtamen evangelizantibus discipulis non tam pauci quam illi erant sed gentes etiam crediderunt. Hec sine dubitatione maiora. Nec tamen ait maiora horum facietis, ut solos apostolos ea putaret esse facturos. Sed qui credit in me, inquit, opera que ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet. Itane quicumque credit in Christum facit que Christus vel maiora quam Christus? Non pretereunter ista tractanda sunt. Nec debent festinatione precipitari, sed ea cogit concludendus iam sermo iste differri.

uid sibi velit et quomodo accipiendum sit quod dominus ait, qui credit in me opera que ego facio et ipse faciet, non est facile comprehendere. Et cum hoc ad intelligendum difficillimum sit, adiecit aliud difficilius: et maiora horum faciet. Quid est hoc? Qui faceret opera que Christus fecit non inveniebamus. Qui etiam maiora faciet inventuri sumus? Sed dixeramus sermone proximo quam maius fuit umbre sue transitu quod discipuli fecerunt quam fimbrie sue tactu quod ipse dominus fecit, sanare languentes, et quam plures apostolis predicantibus quam ipso per os proprium predicante domino crediderunt, ut hec viderentur opera intelligenda esse maiora, non quo maior esset magistro discipulus vel domino servus vel adoptatus unigenito vel homo deo, sed quod per illos ipse dignaretur eadem maiora facere, qui dicit eis alio loco: Sine me nichil potestis facere. Ipse quippe ut alia omittam que sunt innumerabilia, sine ipsis fecit ipsos, sine ipsis fecit hunc mundum. Et quia homo etiam ipse fieri dignatus est, sine ipsis fecit et se ipsum. Quid autem ipsi sine ipso nisi peccatum? Denique et hic quod de hac re poterat nos movere mox abstulit. Cum enim dixisset qui credit in me opera que ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet, continuo secutus adiunxit: quia ego ad patrem vado, et quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam. Qui superius dixerat faciet, postea dixit faciam, tamquam diceret: non vobis hoc impossibile videatur. Non enim poterit esse maior me qui credit in me quam preter eum per me. Ego tamen ipse preter eum, ego ipse per eum. Sed quando preter eum non facit ipse, quando autem per eum quamvis non per semetipsum facit ipse. Porro autem maiora per eum facere quam preter eum non est defectio sed dignatio. Quid enim retribuant servi domino pro omnibus que retribuit eis, quandoquidem inter cetera bona etiam hoc eis donare dignatus est ut maiora faceret per illos quam preter illos. Nempe abeunte ipso divite ille tristis abscessit, quando vite eterne consilium quesivit. Audivit, abiecit. Et tamen postea quod ab illo auditum non fecit unus, fecerunt multi, cum loqueretur per discipulos magister bonus. Contemptibilis ei qui diviti presens ammonuit, amabilis eis quos de divitibus pauperes per pauperes fecit. Ecce maiora fecit predicatus a credentibus quam locutus audientibus. Verum hoc adhuc movet quod hec maiora per apostolos fecit. Non autem ipsos tantum significans ait: Opera que ego facio et vos facietis, et maiora horum facietis. Sed omnes ad suam familiam pertinentes intelligi volens: Qui credit in me, inquit, opera que ego facio et ipse faciet, et maiora horum faciet. Si ergo qui credit faciet, non credit utique qui non faciet. Sicuti est: Qui diligit me, mandata mea custodit. Unde profecto qui non custodit non diligit. Item alio loco: Qui audit verba mea hec et facit ea, similabo eum viro prudenti qui edificavit domum suam super petram. Qui ergo non est similis viro huic prudenti, procul dubio aut hec audit et non facit, aut omnino non audit. Qui credit in me, inquit, licet moriatur, vivet. Qui ergo non credit, non utique vivet. Tale est hoc etiam: qui credit in me faciet. Non itaque credit qui non faciet. Quid est hoc, fratres, si quidem inter credentes [illegible] non est computandus qui non fecit opera maiora quam Christus. Durum est, absurdum est, ferri non potest. Non tolerandum nisi intellegatur. Apostolum igitur audiamus: Credenti, inquit, in eum qui iustificat impium deputatur fides eius ad iustitiam. In hoc opere faciamus opera Christi, quia et ipsum credere in ipsum opus est Christi. Hoc operatur in nobis, non utique sine nobis. Audi iam ergo et intellige: Qui credit in me, opera que ego facio et ipse faciet. Prius ego facio, deinde et ipse faciet, quia facio ut faciat. Que opera nisi ut ex impio iustus fiat? Et maiora horum faciet. Quorum, obsecro, maiora? Num operum Christi maiora faciet qui cum timore et tremore suam ipsius salutem operatur? Quod utique in illo, sed non sine illo Christus operatur. Prorsus maius hoc esse dixerim quam est celum et terra et quecumque cernuntur in celo et in terra. Et celum enim et terra transibunt, predestinatorum autem salus et iustificatio permanebit. In illis tantum opera Dei, in his autem est etiam imago Dei. Sed in celis sedes, dominationes, principatus, potestates, archangeli, angeli opera sunt Christi. Numquid etiam his operibus maiora facit qui cooperante Christo cooperatur eternam salutem ac iustificationem suam? Non hic audeo precipitare sententiam. Intelligat qui potest, iudicet qui potest, utrum maius sit iustos creare quam impios iustificare. Certe enim si equalis utrumque potentie, hoc maioris est misericordie. Hoc est enim pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, predicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Et omnia opera christi intellige ubi aut maiora horum faciat nulla nos necessitas cogit. Horum enim forsitan dixit que ille faciebat. Tunc autem verba fidei faciebat: Verba que ego loquor vobis a me ipso non loquor. Pater autem in me manens facit opera ipse. Tunc igitur verba eius erant opera eius. Et utique minus est verba iusticie predicare quod fecit preter nos quam impios iustificare quod ita facit in nobis ut faciamus et nos. Restat inquirere quomodo accipiendum est: quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam. Pt multa enim que petunt fideles eius non accipiunt. Non parva hinc exoritur questio. Sed quoniam sermo iam iste claudendus est, ei considerande atque tractande tribuatur saltem parva dilatio.

e eo quod dicit: Quia ego vado ad patrem et quodcumque petieritis patrem in nomine meo hoc faciam. Magnam spem dominus subiunxit orantibus dicens: Quia ego ad patrem vado et quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam. Sic ergo perrexit ad patrem ut non relinqueret indigentes, sed exaudiret petentibus. Sed quid est quodcumque petieritis, cum videamus plerumque fideles eius petere et non accipere? An forte propterea quia male petunt? Ista quippe hoc probavit apostolus iacobus dicens: Petitis et non accipitis eo quod male petatis ut in concupiscenciis vestris insumatis. Male ergo usurus eo quod vult accipere deo potius miserante non accipit. Proinde si hoc ab illo petit unde homo leditur exauditus, magis metuendum est ne quod posset non dare propicius det iratus. Annon videmus israhelitas malo suo impetrasse quod culpabili concupiscencia petiverunt. Concupierant enim carnibus vesci quibus pluebatur manna de celo. Fastidiebant quippe quod habebant, et quod non habebant impudenter petebant, quasi non melius peterent non ut cibus qui deerat aliter indigenti indecenti desiderio prestaretur, sed ut ille qui aderat sanato fastidio sumeretur. Quando enim nos delectant mala et non delectant bona, rogare potius debemus deum ut delectent bona quam ut concedantur mala. Non quia malum est carne vesci, cum de hac re loquens apostolus dicit: Omnis creatura dei est bona et nichil abiciendum quod cum graciarum actione percipitur; sed quia sicut ipse item ait: Malum est homini qui per offendiculum manducat. Et si per hominis offensionem, quanto magis dei? Cuius in israhelitis non parva erat offensio repudiare quod dabat sapiencia et petere in quod inhiabat concupiscencia

Quamvis illi nec peteret, sed quia dare erat, murmuraret. Sed sermonis non Dei creaturam esse culpabilem, sed inobedientia contumaci et inordinata cupiditate. Non propter porcum, sed propter pomum mortem homo primus invenit. Et Esau primatus suos non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. Quomodo ergo intelligendum est: quodcumque petieritis hoc faciam, si Deus aliqua petentibus fidelibus etiam consulendo non facit? An forte solis apostolis hoc dictum debemus accipere? Absit. Unde enim ad hoc venit ut diceret, superius dixerat: Qui credit in me, opera que ego facio et ipse faciet, et maiora horum faciet. De qua re iam proximo sermone tractavimus. Et ne quisquam hoc sibi retribueret, ut etiam illa opera maiora per se ipsum facere ostenderet, adiecit atque ait: Quia ego ad patrem vado, et quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam. Numquid in eum soli apostoli crediderunt? Ad eos utique loquebatur dicendo: Qui credit in me; in quibus eo donante etiam nos sumus, qui utique non quodcumque petierimus accipimus. Ipsos quoque beatissimos si cogitemus apostolos, invenimus eum qui plus omnibus laboravit, non autem ipse sed gratia Dei cum ipso, ter Dominum rogasse ut ab eo discederet angelus satane, nec tamen quod rogaverat accepisse. Quid dicemus, karissimi? Putabimusne hoc promissum ubi ait: quodcumque petieritis hoc faciam, nec apostolis ab illo fuisse completum? Et cui tandem quod promittit implebit, si apostolos suos in sua promissione frustravit? Evigilet homo fidelis et vigilanter audiat quod illic positum est: in nomine meo. Ipsum enim quodcumque non ait petieritis utcumque, sed in nomine meo. Qui promisit ergo tam magnum beneficium, quid vocatur? Utique Christus Ihesus. Christus regem significat, Ihesus salvatorem significat. Non itaque salvos nos faciet quicumque rex, sed rex salvator. Ac per hoc quodcumque petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine salvatoris. Et tamen ipse salvator est, non solum quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit. Quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potius se exhibet salvatorem. Novit enim medicus quid pro sua vel quid contra suam salutem poscat egrotus. Et ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem. Quapropter cum volumus ut faciat quodcumque petimus, non utcumque sed in nomine eius petamus, hoc est in nomine salvatoris petamus. Non ergo contra salutem nostram petamus. Quod si fecerit, non ut salvator facit, quod nomen eius fidelibus eius. Est quippe impiis et dampnator, qui dignatur fidelibus esse salvator. Qui ergo credit in eum, quodcumque petierit in nomine quod illis qui credunt in eum hoc facit quo sicut salvator facit. Si autem qui male credit aliquid per ignorantiam contra salutem suam petit, iam non in nomine salvatoris petit, quia salvator ei non erit si quod eius salutem impedit fecerit. Unde tunc expedit potius ut non faciendo praestet quod invocatur. faciat quod vocatur. propterea non solum salvator sed etiam magister bonus ut faciat quodcumque petierimus in ipsa oratione quam nobis dedit docuit quod petamus, ut etiam sic intelligamus non petere nos in nomine magistri quod petimus praeter regulam ipsius magisterii. Sunt quaedam quamvis in nomine eius petimus. Vide secundum salvatorem et secundum magistrum petimus. non tunc quando petimus facit, sed tamen facit. Neque enim quia et illud petimus ut veniat regnum dei, propterea non facit quod petimus, quia non statim cum illo in aeternitate regnamus. Differtur enim quod petimus, non negatur. Verumtamen orantes tamquam seminantes non deficiamus, tempore enim proprio metemus. Et simul petamus quod bene petimus, ut non faciat quod bene non petimus. Quia et ad hoc pertinet quod in eadem oratione dominica dicimus: et ne nos inferas in temptationem. Neque enim parva est temptatio si contra te sit tua postulatio. Non autem negligenter audiendum est quod dominus, ne quisquam eum putaret quod se promisit facere petentibus sine patre esse facturum, cum dixisset: quodcumque petieritis in nomine hoc faciam, continuo subiecit: ut glorificetur pater in filio. Si quid petieritis in nomine meo hoc faciam. Nullomodo igitur sine patre filius facit. Quandoquidem ut in illo pater glorificetur, Itera facit. Facit ergo in filio ut filius glorificetur in patre. Et facit filius in patre ut pater glorificetur in filio, quo unum sunt pater et filius.

Vado ad eum qui misit me. Et reliqua usque quo vadis.

Redemptor noster imminente suae passionis articulo discipulis suis gloriam ascensionis qua ipse erat glorificandus et adventum sancti spiritus quo illi erant illuminandi patefecit, quatenus instante hora suae passionis minus de eius morte dolerent, quem post mortem ad caelos sublimandum dubitarent, minus etiam de sua desolatione trepidarent, quos domino ascendente ad caelos spiritus sancti gratia consolandos esse scirent. Ad hoc enim praedicere curavit passionem et resurrectionem atque suam ascensionem, ut cum viderent eum morientem, sicut eis praedixerat, non dubitarent etiam resurrectum et ad caelos ascensurum, sicut illis promiserat. In his ergo verbis illius quibus dicit: vado ad eum qui misit me, sensus talis ce videtur. Regrediar ascendendo ad patrem qui me incarnari constituit. Et tanta tamquam apparuerit mee ascensionis claritas ut nemini vestrum opus sit interrogare quo pergam, cernentibus cunctis quod patrem petam. Videntibus enim illis elevatus est et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Euntem quem non verbis interrogaverunt, sed oculis prosecuti sunt. Sed quia hec locutus sum vobis tristicia implebit cor vestrum. Cernebat dominus quod hec sua verba quibus se ad patrem rediturum esse dicebat, in cordibus discipulorum tristiciam generarent. Et ideo dicebat: quia hec locutus sum vobis, tristicia implebit cor vestrum. Quia videbat maiorem tristiciam haberent de eius abscessione qua eos deserebat quam leticiam de eius ascensione ad patrem. Desiderabant enim eius presencia corporaliter perfrui, cuius amore vehementer flagrabant, quia adhuc carnaliter sapientes corporaliter eum exterius et non spiritaliter interius diligebant. Nam quia spiritale consolacionem necdum habebant interius, quam postea per adventum spiritus sancti perceperunt, id quod in christo exterius videbant, id est presenciam corporalem, carnaliter amittere metuebant. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam. Tamquam diceret: Expedit ut hec forma servi vestris tollatur aspectibus, quatenus amor divinitatis expressius vestris figatur in mentibus. Nolo enim adhuc me carnaliter diligatis et semper lacte isto contenti infantes esse cupiatis. Ac si tenera alimenta quibus vos hactenus alui non subtraxero, solidum spiritalem cibum esurire nequibitis. Si enim non abiero et cetera usque mittam eum ad vos. Cum constet quia paraclitus spiritus ex patre semper procedat et filio, cur se filius recessurum dicat ut ille veniat qui a filio numquam recedit? Sed non ideo hec loquebatur quod iam presens corpore spiritum sanctum cordibus eorum non posset infundere. Nam eundem spiritum discipulis resurgens insufflando presencie dedisse alibi legitur. Dum illo in terra posito et cum discipulis carnaliter conversante, quia hunc corporeis semper oculis videre sciebant, mentis desiderium ad sitienda celestia munera erigere non volebant. Ascendente autem illo per corpus in celum, illi pariter per donum sancti spiritus celestes effecti omne desiderium suum post illum direxerunt. Et licet terram corpore alii tamen mente et animo ceperunt incolere. Recte ergo eis dicitur: Nisi ego abiero paraclitus non veniet. Ac si aperte diceret: Si corpus a vobis non subtraho, quis sit amor spiritus sancti non ostendo. Et nisi me desieritis corporaliter cernere, numquam me discetis spiritaliter amare. Qua autem causa spiritus sanctus paraclitus, id est consolator cognominetur, luce clarius patet. Quod scilicet corda apostolorum que abscessus domini mesta reddiderant, suo adventu recrearet et consolatione interna perfundere dignatus est. Sed et fidelibus cunctis consolator efficitur, dum cotidie afflictiones eorum labores ex virtute perseverancie largiendo, expectacione futurorum premiorum consolatur. Sciendum preterea et tunc apostolos et multo ante prophetas in lege spiritum sanctum habuisse, sed minus quam eis tam aperte antea eum datum constat qua die pentecostes quando in linguis igneis super cxx homines spiritus sanctus venit. Intuendum sane quod dicatur: mittam eum ad vos. Et venire cum spiritus sanctus et a filio mitti dicatur, ut indivisibilis sancte trinitatis operacio demonstretur. Quorum enim una est substancia, eorum indifferens est et inseparabilis potencia. Et cum venerit ille arguet mundum de peccato et de iusticia et de iudicio. De hiis omnibus ipsa veritas in carne posita mundum id est dilectores mundi redarguit, ut exemplis astruere facillimum est. De peccato quidem incredulitatis mundum redarguit cum loquens de iudeis dixit: Si non venissem et locutus eis non fuissem, et cetera usque de peccato suo. De iusticia vero cum excusacione iusticie gencium eosdem iudeos condempnabat dicens: Regina austri surget in iudicio cum generacione ista et condempnabit eam, quia venit a finibus terre audire sapienciam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon hic. Et rursus: Viri niniuite surgent in iudicio cum generacione ista et condempnabunt eam, quia penitenciam egerunt ad predicacionem Ione. Eundem quoque per seipsum dominus de iusticia arguebat, quod videlicet iusticiam fidelium nollet imitari, Abrahe videlicet, Ysaac et Iacob et ceterorum sanctorum. De iudicio vero mundum, hoc est amatores mundi, dominus redarguit, videlicet quare sequerentur diabolum, qui iam iudicatum id est condempnatum sciebant, ipso domino dicente: Videbam sathanam quasi fulgur de celo cadentem. Et alibi ad iudeos: Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri facere vultis, et cetera que sequuntur. Si ergo per seipsum de hiis omnibus mundum redarguit, quid necesse fuit ut hoc eum spiritum sanctum facturum esse prediceret? Nimirum ea de causa quia Christus una tantum gente immo unum mundi angulum, hoc est nacionem iudeorum, arguit. Spiritus vero sanctus per apostolos per totum orbem diffusos non unum iam populum sed cunctum redarguit mundum. Ipse autem spiritus hoc facere dicitur quod per apostolos fecisse cognoscitur. Plane ipse mundum redarguit, quia ardorem caritatis in cordibus apostolorum diffudit, qua succensi ulterius iam mundum id est amatores mundi arguere non trepidarent, immo ante armatos reges et presides imperterriti Christum constantissime faterentur. Quam sentenciam ipse salvator exponens annectit: De peccato quidem quia non crediderunt in me. Notandum quod peccatum infidelitatis quasi solum peccatum posuit, quia nimirum sicut fides est origo virtutum, ita et infidelitas fundamentum est omnium viciorum. Hoc enim peccato manente cetera detinentur, et hoc discedente cetera remittuntur. Unde dominus dicit: Qui non credit iam iudicatus est, id est condempnatus. Hoc peccatum est quod quicumque habuerit, nullum ei bonum prodesse poterit; quo quisquis caruerit omnium quorum malorum [illegible] ee poterit. Ita dumtaxat si malis operibus finem ponens ad virtutum studia enitatur. Sicut enim sine fide impossibile est placere deo, ita fides si non habeat opera mortua est in semetipsa. De iustitia vero quia ad patrem vado et iam non videbitis me. Queritur si de peccato mundus arguitur, cur de iustitia dicitur argui. Quibus enim de iustitia recte argui potest, si mundus id est dilectores mundi de peccato quidem suo, de iustitia vero aliena arguitur. Hoc est de iustitia electorum qui dominum non viderunt. Quod ipsa expositio domini sequentibus indicat. Qui cum dixisset mundum de iustitia arguendum, continuo ad apostolos ait: quia ad patrem vado et iam non videbitis me. Subaudis qualem modo videtis, id est mortalem, sed in maiestate ad iudicium venientem. Iustitia ergo discipulorum Christi erat, quia dominum quem verum cernebant hominem, verum quoque dei filium crediderunt. Iustitia vero ceterorum fidelium eorum scilicet qui dominum in carne videre non potuerunt illa fuit, ut Christum quem corporali presentia non viderunt, verum esse deum et hominem faterentur. De hac ergo iustitia fidelium qui dominum in carne positum non viderunt, arguuntur infideles a spiritu sancto per apostolos, cur scilicet ipsi qui similiter verbum dei audierunt noluerint credere. Negligentia enim reproborum non solum ex sua pravitate, sed etiam ex iustorum comparatione iudicatur. Unde ad peccatricem Ierusalem sermo divinus per prophetam loquitur: Iustificata est Sodoma soror tua ex te, hoc est ex comparatione scelerum tuorum. Et dominus alibi ad blasphemantes iudeos de apostolis filiis utique illorum gentis loquitur: Ideo ipsi iudices vestri erunt. Quod scilicet illis credulibus minime credere noluistis. Aliter. Arguit ergo spiritus sanctus mundum per apostolos de peccato suo, hoc est de peccato infidelitatis, quia non crediderunt in Christum. Arguit de iustitia credentium mundum, id est infideles, eo quod exemplum eorum scilicet qui noluerunt quamlibet oculis corporeis dominum in carne nequaquam viderint, eum tamen ad patrem ascendisse credebant. Et sciebant illum nequaquam in terris conversaturum, nulla tamen ratione ab eius dilectione poterant separari. Et hoc est quod ait: quia ad patrem vado et iam non videbitis me. Non videbitis scilicet me postquam ascendero, qualem nunc videtis, mortalem et corruptibilem, sed in maiestate ad iudicium venientem. De iudicio autem quia princeps huius mundi iudicatus est. Princeps mundi diabolus intelligitur, qui quondam principatus arcem in cordibus infidelium obtinuit, qui hic mundi appellatione censentur. Qui iudicatus id est condemnatus a domino, cum et ipse demonia eiceret et discipulis eandem eiciendi facultatem permitteret. Iudicatus est quo iudicio ignis eterni irrevocabiliter est destinatus. De hoc itaque iudicio quo princeps mundi iudicatus est, a spiritu sancto mundus arguitur, quando homines huic divinae voluntati superbiendo resistere praesumunt, exemplo damnati terrentur archangeli. Petrus enim immo spiritus sanctus per Petrum de hoc iudicio mundum redarguit, cum ad corrigendam pravorum hominum nequitiam commemorat poenam superbientium dicens: Si enim deus peccantibus angelis non pepercit, sed igni eos perpetuo tradidit et in hunc aeris caliginem carcerem relegavit, quanto magis nec nobis parcet cum peccaverimus. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Quia discipuli adhuc carnales erant et nec virtute spiritus sancti perfecte roborati, non poterant intelligere omnia quae a domino dicebantur. Veniente autem super eos spiritu sancto die pentecostes multo maiore scientia postea conspicui sunt. Quomodo ergo superius dicit: Omnia quae audivi a patre meo nota feci vobis, cum hic rursus dicat: Adhuc multa habeo vobis dicere? Sed sciendum est quia superius ubi dicit: Omnia quae audivi a patre meo nota feci vobis, verbum praeteriti temporis feci posuit pro futuro, pro eo quod erat dicendum nota faciam vobis. Quod enim adhuc facturus erat, iam fecisse se dicit. Sic etenim per prophetas dominus futura praedicat tamquam praeterita, quia apud deum omnia quae futura sunt iam sine mutatione aliqua certa habentur, tamquam apud homines ea quae iam praeterita habentur. Unde et hoc loco omnia se dicit nota fecisse discipulis quae se noverat nota esse facturum in illa plenitudine scientiae de qua Paulus ait: Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Quis enim in praesenti vita comprehendere valeat quomodo deus trinus sit in personis et unus in substantia deitatis? Quomodo pater sit in filio et filius in patre? Quomodo pater a nullo sit, filius a patre sit genitus, spiritus sanctus ab utroque procedat, nullus. Quamdiu enim in hac vita mansuri sumus, nequaquam omnem veritatem intelligere possumus. Quemadmodum enim immortalitatem carnis et salutem animarum futuram expectamus, quarum iam pignore fidei accepto, hoc est gratia spiritus sancti, salvi facti esse dicimur, ita omnem veritatem quaecumque audivit unigenitus a patre in futurum percipere debemus, quamvis iam se hoc notum fecisse dixerat discipulis. Duo autem sunt propter quae doctor verba praedicationis reticere debet: vel cum auditores suos ex his quae dicuntur deteriorari conspicit, vel cum eos verba quae praedicat ob imbecillem intellectum ferre non posse perspexerit. Quapropter nunc dicit dominus: Nolite sanctum dare canibus. Et reliqua. Quod aliud vero loquitur: adhuc multa habeo vobis loqui. Et reliqua. Cum autem venerit ille spiritus veritatis et reliqua usque veritatem. Nequaquam existimandum est hec verba domini in hac vita in cuiusquam electi mente posse compleri, ut scilicet omnem veritatem dum in carne vivit comprehendere valeat, cum dicat apostolus: ex parte scimus et ex parte prophetamus. Sed in hiis verbis domini quibus dicitur: spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem, talis sensus est, quasi diceret: Ipse spiritus sanctus diffundet in cordibus vestris caritatem, que vos faciat omnem veritatem amare. Cuius edocti magisterio et virtutum processibus aucti, iuxta psalmiste vocem pergamus de virtute ad virtutem, donec ad celestia regna veniamus, ubi non a doctoribus illa discamus que modo capere non possumus, sed ea ipsa que nunc minime cognoscimus in contemplacione dei omnipotentis perfecte conspicere ~~valeamus~~ ac percipere valeamus. Non enim loquitur a semetipso. Quod spiritus sanctus non loqui a semetipso dicitur, inseparabilis totius trinitatis operacio declaratur. Spiritus enim sanctus a patre procedit et filio. Quod enim et de filio procedat, ipse filius manifestat in ewangelio dicens: Ego novi virtutem de me exisse. Virtutis perfecto nomine spiritum sanctum intelligi. Et apostolus: Misit deus spiritum filii sui in corda vestra.

Non ergo loquitur spiritus sanctus a semetipso, subaudiendum sine patris et filii consorcio et communione, quia a semetipso non est. Solus enim pater in trinitate a nullo est. Filius a patre solo est. Spiritus sanctus a patre et filio procedit. Sed quecunque audiet loquetur. Non est putandum quod spiritus sanctus minor sit patre et filio, ut quod licet pater et filius loquatur, spiritus sanctus quasi subiecta creatura ~~obediebat~~ obediat. Sed ita potius intelligendum quod dicit: quecunque audiet loquetur, id est quecunque sciet per unitatem nature loquetur per equalitatem substancie. Verum quippe valde et scrutandi difficillimum quomodo sit audire dicatur. Non enim illa simplicissima dei omnipotentis natura localis composita diversis sensibus, ut in hominibus fas est credere, ut aliud sit visus, aliud auditus, sed singula in eo totum incomprehensibiliter quemadmodo accipienda sunt. Idem enim est illi videre quod audire, videre quod audire. Nec aliud in eo novi sensum quia virtus omnipotentissima demonstrat. Et nostra quidem mens per vicissitudinem temporum variatur. Potest aliquando scire quod aliquando nesciebat, potest etiam veri similitudine falsi et verum apparere quod falsum est. In deo vero non aliud esse et aliud scire, sed tantundem illi est et essencialiter scire et scientem esse. Nam et deum patrem dicimus scire sapiencia cui tamen ipse sciasit sapiencia. Spiritus ergo sanctus quecumque audierit loqui dicitur, quia non a se sed a patre esse catholice creditur. Ab illo ergo audit a quo est, id est a quo procedit. Quia a quo illi est esse, ab illo et audire, quod nihil est aliud quam scire. Omnis est enim natura deitatis, nec aliud est deitati audire quam scire et cetera. Et que ventura sunt annunciabit vobis. Hec verba non solum apostolis locutus est dominus qui presentes aderant, sed et omnibus electis qui post apostolos in sancta ecclesia futuri erant. Sed et multi electorum qui spiritum sanctum habere noscuntur intra sanctam ecclesiam continentur, et tamen ea que sibi vel aliis ventura sunt prescire non possunt, quomodo verum esse constat quod dominus de omnibus electis loquitur: que ventura sunt annunciabit vobis. Quia ergo omnibus electis spiritum sanctum habentibus hec sciencia iuxta litteram minime quamquam convenire potest, cogitemus hec verba domini altius considerare ut cunctis fidelibus congruere possint. Spiritus namque sanctus adveniens unicuique fideli ventura annunciat, cum per donum sue inspirationis vel gaudia eterna vel tormenta perpetua ei ad memoriam revocat, ut ad celestia premia desiderando recte vivat, et gehenne supplicia pavendo noxia opera utiliter declinet. Ille me clarificabit quia de meo accipiet et annunciabit vobis. Clarificatio et glorificatio a summo gradu descendit, quod est doxa. Quod ergo dicit Ille me clarificabit, tale est ac si diceret Ille me glorificabit. Clarificavit ergo spiritus sanctus Christum quando mentes illustravit apostolorum, ut quem ceteri sicut hominem noverant atque sicut hominem diligebant, deo patri consempiternum consubstancialemque esse docuit. Clarificavit etiam Christum quando accensa in eorum cordibus caritate, omnique pristino servili timore fugato, ad predicandum per orbem patratam eius resurrectionis gloriam constantissimos reddidit. Clarificat etiam cottidie spiritus sanctus in electorum cordibus Christum, dum eis omne mundane cupiditatis pruritu excoquit et ad desideranda celestia divini ignis calore succendit. Et certe quod dixit Ille me clarificabit, sic accipiendum est tamquam diceret Ille vobis auferet timorem et infundet veritatis amorem, quo succensi gloriam meam per totum mundum intrepidi predicare possitis. Quia de meo accipiet et annunciabit vobis. De meo accipiet, subauditur patre. Neque enim spiritus sanctus de humanitate filii que patri subiecta et inferior est erat accepturus, sed de patre de quo procedit spiritus sanctus, de quo etiam natus est filius. Hic sane reprehendum quod quidam heretici furore dogmatizare conati sunt filium a patre accepisse spiritum sanctum vero a filio. quia si hoc concessum fuerit consequitur ut quidam gradus sint in sancta trinitate et spiritus sanctus minor sit patre et filio. Unde ergo spiritus sanctus accipit. inde et filius. qua inde procedit. inde nascitur filius. In sancta autem trinitate pater de nullo est. filius de patre genitus est. spiritus sanctus a patre procedit simul et filio. Et hii tres unus deus est. ubique presens. sed invisibilis. ubique totus. sed incomprehensibilis. De quo quicquid mens humana cogitat. quantumvis pulchrum lingua confingat. longe minus. longe quam inferius eo est quod ipse est. Hunc igitur spiritum auxilium in cunctis actibus nostris postulemus. eius desiderio flagremus. dicentes cum propheta. Cor mundum crea in me deus. et spiritum rectum innova in visceribus meis. Prius quippe cor mundum in se creari precabatur sanctus propheta ac deinde spiritum rectum in suis visceribus innovandum. Sciebat enim deo inspirante spiritum sanctum in corde polluto sedem habere non posse. Et ideo petebat cor mundum in se creari. ubi spiritus sanctus requiescere dignaretur. Cor namque hominis spiritus sanctus cum non possidet. totum a spiritu maligno occupatur. Fratres. Misericordes ergo hunc spiritum arguentem mundum de peccato. id est amatores mundi caveamus solliciti ne terrenis delectando ad mundum pertineamus. id est ne in numero illorum inveniamur. qui magis amplius quam celestia diligunt. Timeamus ne ex comparatione bonorum quos cottidie videntes imitari nolumus in die iudicii acrius condempnemur. Que sursum sunt queramus. que celestia sunt investigemus. ubi christus est in dextera dei sedens. Attendamus omni vigilantia quibus actionum gressibus dux noster degens incesserit. et intelligamus quia si ipse qui peccatum non fecit per labores passionum pervenit ad gloriam corone multomagis et nos per multas tribulationes oportet intrare in regnum dei. Qui enim dicimus nos in christo manere. debemus sicut ipse ambulavit. et ipsi ambulare. ut in hac vita christi passionibus communicantes. in revelatione glorie eius. hoc est cum in eterna beatitudine electis se manifestaverit. cum illo exaltari valeamus. qui vivit et regnat cum patre in unitate eiusdem spiritus sancti per omnia secula seculorum amen.

men amen dico vobis si quid petieritis patrem ~~men~~ in nomine meo. dabit vobis. Et reliqua.

nus Ihesus ascensurus in celum et apostolos verbi sui ministros corporaliter relicturus in terra. ne velut inconsolati aut destituti dimitterentur. dignatus est eos quodam sue promissionis pignore confirmare. ut huius seculi adversitatibus fatigati. quibuslibet laborum molibus pressi. huius spe in cor stabiles firmarentur. et ad cuncta insuperabiles redderentur. Nec solis hec tunc audierunt apostolis verum generaliter omnibus electis. Hec domini promissio facta fuisse credenda est. Absit enim ut tam influa divini muneris gratia ullo fine claudatur ullo termino angustetur. Si quid inquit petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Quibus verbis et sentenciis in proxima subditis transit et ex obliquo non negligenda questio incipit. Queritur namque quomodo dominus dicat. si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. cum non quilibet e membris humilibus christi verum ipsum paulum apostolum qui tante gratie tanteque virtutis fuit. ut usque ad tercium celi secreta raperetur. quique plus omnibus apostolis se laborasse testatur. hunc talem ac tantum inveniamus petisse aliquid. et non impetrasse. Dicit enim quod ter dominum rogaverit ut ab eo angelus sathane auferretur. et non impetravit. Sed hec questio facile solvitur. si verborum quibus id dicit circumstancia subtiliter perpendatur. Non enim absolute dicit. si quid petieritis patrem dabit vobis. sed interposuit in nomine meo. ubi non omnes qui petunt sed eos qui in suo nomine petunt significavit impetrare posse quod petunt. Nomen domini ihesus est. Et quod nullum latet fidelium. ihesus latino eloquio salutaris vel salvator interpretatur. Egit ergo paulus apostolus. quando rogabat ut ab eo stimulus carnis angelus sathane auferretur. qui ei ob virtutum custodiam adhibitus erat contra suam utique salutem petebat. Ideo non est exauditus ut voluerat. Exauditus est tamen ad id quod illi multo salubrius erat. Dictum quippe illi est. Sufficit tibi gratia mea. et cetera. Nam si hoc vulnere caruisset. profecto in tumorem vel fastus concesse gratie indignus conscenderet. Qui ergo non est exauditus ad voluntatem. exauditus utique est ad salutem. Denique econtrario invenimus non quemlibet reproborum. sed ipsum diabolum malorum omnium causam. petisse aliquid et impetrasse. Petiit enim beatum iob ad temptandum. et accepit. Exauditus quidem est adversarius. Dum virum sanctum divino ore laudatum ad probandum accepit. Sed hoc ad dampnacionis sue cumulum fuit. quia et illum temptacionis lima splendidiorem reddidit. et diabolus ei nocere non potuit. rubigo mundicie consumpsit. Non ergo fluctuat. nec vacillat divina promissio. Quocienscunque ergo oramus. consideremus si nobis salutiferum sit quod petimus. et si ad eternam salutem nostram competere videmus. procul dubio nos exaudiri speramus. Petimus etenim nos plerumque. sed quia peticio nostra a salute deviat. quod petimus accipere non meremur. Nonnunquam et petimus et bene petimus. sed obsistente proprie actionis nequicia non exaudimur. incidentes in illud salomonis. qui avertit aurem suam ne audiat legem. oracio eius erit execrabilis. Petimus quoque aliquando et non exaudimur, preteritis malis obstantibus et iterum nunc presentibus avertentibus, dicente apostolo Iacobo: Petitis et non accipitis, eo quod male petatis. Sciendum preterea est quod nonnumquam quod vere salutare est appetimus et digni sumus quo exaudiamur, sed tamen non continuo quod petimus impetramus. Nam cum cottidie in oratione premissa suppliciter exoramus dicentes: Adveniat regnum tuum, id est eterne regnum, non mox finita oratione percipimus, sed in futuro percipiendum prestolamur. Quod cum contingit, non negantur nobis dei dona, sed potius commendantur ut cariora existant. Dum diucius differuntur, diu enim desiderata dulcius obtinentur, cito data vilescunt. Rursus nonnumquam pro aliis petimus, sed ipsorum nequicia impedit ne exaudiamur. Hinc est quod dominus prophetam pro populo peccante prohibet orare dicens: Tu ergo noli orare pro populo, quia non exaudiam te. Quociens agitur pro talibus orantes non exaudimur, nequaquam nos despici a deo putemus. Nam cum dixisset dominus: Si quid petieritis, non utcumque absolute addidit dabit, sed cum addimento: dabit inquit vobis. Nam et si hiis pro quibus petimus oratio nostra non prodest, nos tamen remuneracione pie voluntatis donabimur. Petunt vero nonnulli aliquociens pro incolumitate sui status, pro adipiscendis diviciis, pro pulcherrimis uxoribus, pro longevitate vite, pro captandis terrenis beneficiis, quos Iacobus in epistola sua redarguit dicens: Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscenciis vestris insumatis. Neque enim prohibentur electi in terra peregrinantes, cum necessitas exposcat, pro pace temporum, pro salute corporum, pro ubertate frugum, pro serenitate aeris, pro ceteris huius vite necessariis deum petere, si tamen hec non nimie petant. Et si ob id plurimum petant, ut per subsidium temporalis vite liberius ad futura premia tendant. Verum quia sunt multi qui temporalem quietem et prosperitatem non ideo querunt ut securius creatori suo deserviant, sed ut voluptatibus et desideriis carnalibus licencius perfruantur, merito tales male petere dicuntur. Male namque petunt qui gaudiis vite eterne postpositis hiis solummodo inhiant que carnem delectare possunt. Male petunt qui in pravitate sua pertinaces a deo exaudiri volunt. Quo contra de electis per psalmistam dicitur: Prope est dominus invocantibus se in veritate. In veritate quippe deum invocant qui prius quam petant ea que precipit adimplent, seque percipiendis muneribus voluntati divine obsequendo ydoneos reddunt. Unde apte subditur: Voluntatem timencium se faciet et deprecationem eorum exaudiet. Quod vero sequitur: Usque modo non petistis quidquam in nomine meo, duplici intellectu accipi potest

In nomine enim salvatoris eatenus quidquam non petierant quia solo affectu carnis illecti nomen illius sicut cognoscendum est non dum cognoverant. Vel certe nec dum aliquid in nomine salvatoris petierant. quia ad comparationem earum rerum quas petere debuerant. pene nichil hec fuerant. quas petierant. Quod vero sedentes et absque ulla impetrandi dubietate poscendum sit. non solis tunc apostolis traditum verum pusillis omnibus post futuris fidelibus est intimatum. Quid sit autem quod in nomine salvatoris incunctanter peti debeat. subdens manifestat. Petite et accipietis. ut gaudium vestrum sit plenum. Ordo est. petite. ut gaudium vestrum sit plenum. et accipietis. plenum gaudium profecto perpetue beatitudinis appellat. Habent namque et reprobi gaudium in presenti seculo in multitudine divitiarum. in pulchritudine uxorum. in turba filiorum. in numerositate obsequentium. et in variis pompis delectationum secularium. Quod gaudium plenum non est. quia fletu manente miscetur. Quod et si forte fiat ut letis annorum successibus gaudeat mortis tamen emula. quotiens mentem sui memoria stimulaverit. hebetat et confundit. Non ergo hanc transitoria infidaque letitia. sed illa que nullo merore fuscetur. nullo fine claudatur. petere iubemur. Petitio vero ista non solo verborum suffragio indiget. nisi etiam bonorum operum adminiculo fulciatur. quia nichil iuvat gaudia superne patrie ore tantum querere. et moribus terrena sectari. Plenum vero erit gaudium electorum ubi omnis fletus aberit. et letitia inenarrabilis eorum corda sine fine letificabit. Huiusmodi autem gaudium tunc recte petimus. cum pro introitu patrie celestis non verbis tantum. sed et studio pie operationis laboramus. Hec in proverbiis locutus sum vobis. Proverbium est obscura parabola. Hoc enim loco proverbia pro parabolis posita sunt. Locutus namque fuerat dominus superius discipulis dicens. Ego et pater unum sumus. et ego in patre et pater in me est. et multa alia mysteria. Que quia discipuli adhuc rudes erant et simplices. ut ea que Christus de sua et patris divinitate loquebatur intelligere non valeret. ideo in proverbiis se illis locutum fuisse dicebant. Proverbium enim dicitur quod per multorum ora versetur. et apertum intellectum rem de qua dicitur per similitudinem exprimere videtur. Parabola vero grece latine vocatur similitudo. quando videlicet per comparationem illarum rerum quas novimus ad intellectum eorum perducimur que ignoramus. Sed cum tali differentia utraque nomina discernat. plerumque tamen proverbia tante obscuritatis sunt. ut pro sua obscuritate merito possint eadem omnia vocari parabole. Domino attestante qui ait: Hec in proverbiis locutus sum vobis, hoc est in parabolis. Hec et huiusmodi apostolis non intelligentibus proverbia erant, quia terreni adhuc sensibus mollibus pressi subtilissimam divineque nature substantiam penetrare non poterant. Hoc enim tunc agebatur in apostolis, quod nunc quoque agitur in mente cuiuslibet hominis animalis, qui dum de deo aliquid audit, consuetudo visendorum corporum non eum permittit nisi corpus aliquod magnum licet et splendidum cunctisque corporibus pulchrius cogitare. Et ideo fortassis dicit apostolus: Animalis homo non percipit ea que sunt dei. Tales ergo tunc erant apostoli, sed dominus promisit se eos spiritales facturum, ut nulla iam occurrente corporis habitudine sola divine nature puritas elucesceret. Hanc eis horam pollicetur subdens: Venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de patre annunciabo vobis. Venit hora dicit pro eo quod est veniet hora. Illa profecto hora significatur in qua eis spiritus sancti gratiam erat daturus post suam resurrectionem. Palam de patre apostolis annunciat, quia in ipso et per ipsum deus pater agnoscitur, iuxta quod ipse dicit: Nemo venit ad patrem nisi per me. Tunc etenim accuratius eis palam de patre annunciavit cum spiritu sancto eos replevit die pentecostes, et omnia que de agnitione divinitatis mortalibus erant intelligenda revelavit. Potest et illa hora qua dominus discipulis promittit in futura beatitudine intelligi, in qua palam de patre annunciabit electis, quando sicut ait apostolus: non per speciem et in enigmate videbunt deum electi, sed facie ad faciem sicuti est. Tunc videbunt quando manifeste intelligent quomodo sit deus trinus in personis et unus in substantia deitatis, et quomodo pater sit in filio et filius in patre, et quomodo pater sine initio a nullo sit, quomodo filius a patre ineffabiliter sit genitus, quomodo deus ab utroque procedat, quod in hac vita nullus ex toto intelligere sufficit. Illo die in nomine meo petetis. Quia nomine illud proprie et sicut expedit intelligentibus, nec ibi aliud syllabis audientes, aliud corde versantes. Hanc etiam horam ad illam beatorum et cum deo iam regnancium possumus referre spirituum, in qua eis palam de patre proprius annunciat. Hoc est aperte et non iam per subiectarum imagines rerum patrem ostendit, sed sicut sibi apostolus de hac ipsa hora loquens dicit: Videbimus eum sicuti est. Tunc ergo sancti in nomine salvatoris petunt, quia in illa iam beate felici et feliciter beata regione constituti nobis apud erumnosis adhuc peregrinantibus intercedunt, quatenus ad

eorum consorcium pertingere mereamur. Et
pulchre satis in diem petere dicuntur
sancti. quia eorum postulacio non sicut
nostra in tenebris ignorancie et errorum
caliginie. sed in diuine contemplacio-
nis luce peragitur. Petunt namque sancti
et iam et post spiritus tempus uniuersalis
iudicii aduenire desiderantes, ut qui
in corpore et anima pariter propter christi amorem
laborauerunt. in utraque substancia
corporis videlicet et anime eterna re-
muneracione fruantur. Quod iohannes
in apocalipsi aperte declarat dicens
Vidi sub altare dei animas interfec-
torum propter verbum dei et testimonium
quod habebant. et clara uoce clama-
bant. Usquequo domine non vindicas
et iudicas sanguinem nostrum. de hiis
qui habitant in terra. Et date sunt illis
singule stole albe. et dictum est illis
ut requiescerent adhuc modicum
tempus. donec impleatur numerus conseruorum
et fratrum eorum. Singulas namque stolas
modo electi percipiunt a domino. in eterna
beatitudine collocati. id est felicitatem
tantum animarum. Binas autem accepturi
sunt in die iudicii. quando a domino
et incorrupcione corporum et immu-
tabilitatis dona capient. Et non dico
uobis. quia ego rogabo patrem de uobis
Patet filium unius cum patre substancie
unius voluntatis unius potencie. Non
ergo rogat pro apostolis patrem. sed potius
rogata largitur cum patre. Et adhoc
fortassis contemplandum premittebat
se dum discipulos facturum ydoneos
dicens superius. palam de patre
annunciabo uobis. Quia enim redemp-
tor noster deus est et homo. rogat
patrem pro parte hominis. concedat pos-
tulata cum patre pro potencia deitatis
Quod autem non dixerit rogo. sed de fu-
turo tempore posuit rogabo. ita non
incongrue potest accipi. quod scilicet in e-
terna beatitudine receptis non sit
necesse iam aliquid rogare pro illis
qui tantam beatitudinem iam adepti
sunt qua amplior eos non potest
posse. Ipse enim pater amat uos. quia
uos me amastis et credidistis. Hec
uerba ita auribus exterioribus
incipiunt. quasi amor discipulorum
precesserit amorem diuinum. Sed alia
est sinceritas interioris auditus.
quo intelligitur apostolos prior dilex-
isse deus. Iohanne dicente. Diligamus
deum. quoniam ipse prior dilexit nos.
Prior ergo deus discipulos amauit.
et ipsi deum. redamando. et quasi
amori illius. competenti amoris
vicissitudine respondendo. ampliori
eius dilectione digni esse meru-
erunt. Ut enim apostoli deum diligerent
in eorum cordibus deus spiritum suum
misit. quo caritate diffundente
deum patrem filium quoque diligerent
in qua caritate ipse spiritus cum patre
diligeretur et filio. Exiui a patre
Exiuit a patre. quia de patris substancia

ineffabiliter genitus est. Venit in mundum quia per incarnationem visibilem se praebuit mundo. Reliquit mundum et rediit ad patrem quia susceptae fragilitatis formam aspectui hominum subduxit et cum triumpho ascensionis caelos penetravit, ita tamen ut nec in mundum veniens patrem desereret per indissimilem maiestatem nec ad patrem rediens mundum relinqueret per potentissimam gubernationem. Iterum relinquo mundum et vado ad patrem. Reliquit mundum corporali discessione, processit ad patrem humana ascensione. Sequitur. Dixerunt ei discipuli: Ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis. Cum superius dominus illa hora adhuc promitteret esse venturam in qua sine proverbiis locuturus esset, cur isti dicunt: ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis? Sed dicendum est quia discipuli quibus haec dominus loquebatur adeo adhuc carnales et indocti erant ut non modo dominum loquentem non intelligerent sed ipsam quoque suam insipientiam ignorarent. Unde et quae dominus in proverbiis dixisse asserit apostoli quasi aptissime dilucideque se intellexisse credebant. Unde et dicunt: Ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis. Quod autem addunt: Nunc scimus quia scis omnia et non opus est tibi ut quis te interroget, manifeste insinuant quia quaecumque ab eis dominus loquebatur dubiis maxime quae eos noverat velle audire faciebat sermonem et saepe per quaestiones eorum interrogationem ea quae interrogare volebant exponebat. Sciunt quoque se eum a deo exisse et omnia scire veraciter fatentur credere. Unde et bene subiungunt: In hoc credimus quia a deo existi. Singulare namque divinitatis indicium est cogitationum nosse secreta. Unde scriptum est: Tu autem domine sabaoth qui iudicas iuste et probas renes et cor. Et Salomon ait: Tu solus nosti corda filiorum hominum. Satis omnino eminet eum deum esse qui secreta mentium cogitata in praesentia probatur habere. Cum ergo deum omnia nosse cuncta etiam invisibilia in praesenti habere certum sit, cavendum solerter atque invigilandum nobis est ne quando cogitatio divinis indignos reddat aspectibus, ne dum minus circumspecti sumus et lascivos sensuum appetitus liberius per exteriora effluere sinimus, hostis intret et animae sinceritatem sui admixtione inficiat. Sciendum autem quia triplex est modus malarum cogitationum. Unus modus est earum cogitationum quae cum deliberatione et proposito peccandi mentem hominis contaminat. Alius earum quae per delectationem peccati mentem quidem perturbant nec tamen hanc ad consensum peccandi pertrahunt. Ceterum earum cogitationum que naturali motu menti procurrentes non tamen ad patranda vicia hanc illiciunt. quam ab omnibus que cogitare debuit impediunt. sicut est, cum fantasmata rerum que aliquando supervacue gesta vel dicta novimus. ad memoriam reducimus. quarum crebra retractatio quasi importuna muscarum improbitas. oculos cordis circumvolitare. ac spiritalem eius aciem inquietare consuevit. A cunctis autem huius cogitationum generibus salomon castigari nos monet dicens. Omni custodia serva cor tuum. quoniam ex ipso vita procedit. Cuius monita sequentes simus solliciti. ut si quando per consensum et propositum peccandi in aliquo delinquimus iustissima et pura confessione primus. ac deinde penitentie lacrimis abstergamus. Si autem delectatione peccandi nos temptari senserimus. ipsam noxiam delectationem assiduis precibus ac lacrimis. et crebra recordatione perpetue amaritudinis a nobis repellamus. et si viderimus non posse nos sufficere ad hanc repellendam. queramus auxilia fratrum. ut quod viribus non valemus. illorum consilio et intercessione percipiamus. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Et quia supervacuis cogitationibus ad integrum carere nequaquam possumus. Has in quantum possumus immissione bonarum cogitationum a nobis repellamus. et maxime frequenti scripturarum meditatione ut possimus decantare veraciter illud psalmiste. Quomodo dilexi legem tuam domine. tota die meditatio mea est. Petamus supernam clementiam. quod est vere in nomine salvatoris petere. ut et cordis nobis mundiciam. et boni operis prestet efficaciam. quatenus precepta salvatoris. et corde meditantes. et opere exequentes. ad claritatem visionis illius quandoque pervenire valeamus. qui vivit et regnat cum patre et spiritu sancto in secula seculorum Amen

q uis vestrum habebit amicum et ibit ad illum media nocte et dicet illi. Amice. commoda michi tres panes. Et reliqua

Narrat superius sanctus evangelista. quod erat ihesus in quodam loco orans. Et ut cessavit. dixit unus ex discipulis suis ad eum. Domine doce nos orare. sicut iohannes docuit discipulos suos. Et dixit eis. Cum oratis nolite multum loqui. sed dicite pater noster qui es in celis. sanctificetur nomen tuum. Et paulo post dixit hoc quod modo audivimus. Quis vestrum habebit amicum et cetera. Rogatus enim a discipulis salvator noster. et verba orandi tradidit. et perseverantiam orandi preparationem monstravit omnibus in se credentibus. Per amicum ad quem media nocte itur Christus deus intelligitur qui dicit discipulis iam non dicam vos servos sed amicos meos. Per mediam noctem tribulacio vel ignorancia exprimitur. Per tres panes fides sancte trinitatis designatur. Per amicum vero qui ad nos venit de via. noster ipse animus intelligitur qui tociens recedit a nobis quociens ista terrena et caduca vagando foris inquirit et per delectaciones huius seculi currit. Cum tunc ad nos revertitur. id est ad conscienciam nostram. et de spirituali cibo saciari desiderat. quando in se reversus. plurimodo que spiritualia et celestia sunt cogitare desiderat.

Quando ergo amicus id est animus noster ad nos de via venit. id est de mundi actibus revertitur. si non habemus quod ante illum ponamus. id est pabulum spirituale. eamus ad alium amicum. id est ad deum. orando. et rogemus illum. ut nobis tribuat tres panes. id est cognicionem sancte trinitatis. De qua noster amicus saciatur. Nichil enim animus a deo conpunctus postquam mundi tenebras despicit et transitoria contempnit. nisi que celestia sunt. et que ad deum pertinent cogitare desiderat. Solum quod cognoscere et credere cepit contemplari satagit. id est sancte et individue trinitatis gaudium. Si enim statim non accipimus quod petimus non ideo ab oracione cessare debemus. Audiamus quid sequitur. Et ille deintus respondens dicat. noli michi molestus esse. iam enim ostium clausum est. et pueri mei mecum sunt in cubili. non possum surgere et dare tibi. Per ostium animi intelligitur intelligencia verbi dei. Quando ostium tuum est clausum. quando predicacio divina subtrahitur. Et tunc est apertum cum conceditur. Hoc ostium paulus apostolus aperiri sibi ad loquendum Christi evangelium orabat. Per pueros vero qui sunt in cubili cum domino designantur apostoli et sancti predicatores qui evangelicam sapienciam tamquam panem erogantes per orbem terre predicaverunt. Isti pueri sunt iam in cubili id est in celi secretis collocati. Non est modo petrus presens qui nos doceat non paulus non iohannes. non iheronimus. non augustinus non gregorius. quia iam in cubili omnes isti pueri requiescunt. Forsitan hec que nos querimus ipsi in suis libris scripserunt. Sed clausum est. et non intelligimus ipsum quod scriptum est. Quid faciemus. Numquid sic remanebimus sine intellectu sine pabulo verbi. Nonne orando possumus accipere intellectum a Christo deo ut intelligamus eloquia divina eciam si homo desit per quem sapiencia predicetur. Audiamus quid dicat in sequentibus. Et ille si perseveraverit pulsans. Dico vobis Et si non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget et dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis. Petite et dabitur vobis. querite et invenietis. pulsate et aperietur vobis. Comparatio est a minore ad maius. Hanc enim comparacionem parabole ostendit dominus. quia si amicus homo surgit de lecto. et dat amico suo quod illi ab eo petit. non pro amicicia sed pro tedio. multomagis deus qui sine tedio donat semper nobis quod petimus dabit si in nostra peticione perseverantes fuerimus. Ne igitur amicus in fame intereat. id est ne animus diu ieiunus maneat a diviciis spiritualibus. Petimus. queramus. pulsemus. ut nobis detur intelligencia verbi dei. De qua intelligencia nostras animas pascere et nutrire possimus. Omnis enim qui petit accipit. Et qui querit invenit. et pulsanti aperietur. Secundum exemplum huius parabole necessaria est valde perseverancia in oracione ut accipiamus quod petimus et inveniamus quod querimus et aperiatur quod pulsamus. Nam si petenti datur. et querens invenit. et pulsanti aperietur. certum est quod ille qui non accipit. et qui non invenit. et cui non aperitur non bene petierit. quesierit. et pulsaverit. Verax namque est qui nos hortatur ad querendum. Non nos ammonuisset dominus petere. nisi ipse voluisset dare. Erubescat nostra pigricia. contremiscat nostra ignavia qui secreta divinorum eloquiorum investigare negligimus audientibus. quia regnum celorum non ociosis et vacantibus. sed petentibus. querentibus. pulsantibus. inveniendum dandum et aperiendum esse testatur. Regnum celorum enim vim patitur. et violenti rapiunt illud. Petenda est ergo ianua regni orando. querenda recte vivendo. pulsanda perseverando. Non enim sufficit verbis tantummodo deum rogare si non etiam quesierimus diligenter qualiter nobis sit vivendum. ut digni simus impetrare quod possimus ipso attestante qui ait. Non omnis qui dicit michi domine domine. intrabit in regnum celorum. sed qui facit voluntatem patris mei. qui in celis est. ipse intrabit in regnum celorum. Emundemus nos ergo ut ait apostolus. ab omni inquinamento carnis et spiritus. quia non nisi mundo corde et casto corpore ad celos sublevari poterimus. Plus vult ille dare quam nos accipere. plus vult misereri. quam nos a miseria volumus liberari. Et certum omnimodis constat. quia nisi ipse nos a miseria liberaverit. miseri in miseria remanebimus. Quis autem ex vobis patrem petit panem. numquid lapidem dabit illi. Per panem intelligitur caritas. quia sicut panis est supra omnes diuicias. sic caritas maior est ceteris uirtutibus. Caritas enim fundamentum est omnium uirtutum et sine illa nulla operatio hominem saluare potest. Huic contraria est duricia cordis. que designatur per lapidem. Qui enim duriciam cordis habet. caritatem habere non potest. Nos uero si caritatem a domino pecierimus nequaquam ipse nobis duriciam cordis dabit. Aut piscem. Numquid pro pisce serpentem dabit illi. Per piscem intelligitur fides. siue propter aquam baptismi. siue quia pisces in undis sic fides in persecucionibus crescit. Huic contrarius est serpens. per quem primus homo fuit deceptus. Aut si pecierit ovum. numquid porriget illi scorpionem. Per ovum intelligitur spes. Tenet homo ovum in manu et sperat ex illo pullum quem non adhuc videt. Quapropter per ovum pulchre spes intelligitur. quia sicut ex ovo pullus qui adhuc non est sed fouendo speratur. sic a fidelibus vita beata speratur post mortem. Huic contrarius est scorpio. cuius aculeus retro timendus est. Contrarium vero est spei retro respicere. quia in illis rebus. que in antea sunt. est spes dicenda. Querentibus nobis panem. pater non dat lapidem. neque querentibus ovum. dat scorpionem. nec piscem desiderantibus dat serpentem. Panem nobis dat cum nos caritate confirmat. piscem dat nobis cum fidem credulitatis accomodat. Ovum tribuit cum spem uite eterne nobis habere concedit. Si ergo uos cum sitis mali nostis bona data dare filiis uestris. quanto magis pater uester de celo dabit spiritum bonum petentibus se. Querendum est quomodo mali dent bona. Malos in hoc loco. homines peccatores. et mundi huius amatores appellat. Bona uero que donant. secundum consensum bona sunt dicenda. quia hec pro bonis habent. Bona magis dona dicuntur. quia proprie bona hec non esse constat transitoria et infirma. Et quando mali ista bona donant. non de suo illa donant. quia domini est terra et plenitudo eius. Ipse enim fecit celum et terram. mare et omnia que in eis sunt. Ergo mali homines quando bona filiis suis donant. id est panem. ovum. piscem. vinum. carnem. lac. et cetera talia. non de suo illa donant. quia hec omnia bona mortalibus a deo donata sunt. Et si mali homines sciunt bona data dare filiis suis cum ipsi sint mali quanto magis debemus credere et firmiter tenere. quod deus qui solus est verax. nobis ad se clamantibus daturus sit bona. Potest etiam hoc quod dicit uos cum sitis mali et ad apostolos referri. Apostoli ergo ceteris hominibus comparati boni erant. duo ſiarati mali erant quam copia de divine bonitatis omnis creatura qualis esse probatur. dicente domino nemo bonus nisi solus deus; cum tamen per participacionem eiusdem divine bonitatis que accepta per graciam quo largiente omne bonum percipimus racionalis creatura bona fieri posse cognoscitur. Nichil est enim per se stabile nichil bonum nichil immutabile nisi sola divinitas. Solus deus bonus et verax dicitur. Nam omnis homo mendax dicitur. Omnis enim creatura ut stabilis et beata sit non hoc a se sed a deo habet. Rogacionum celebrandarum consuetudinem a vienna gallie civitate traditam nosse debemus quamvis easdem rogaciones more anniversario celebramus. Quodam etenim tempore prefate civitatis habitatores ob peccati enormitatem diversos divini flagelli terrores perderunt. Siquidem crebra incendia terre motus assidui nocturni sonitus inquietabant. Sed et silvestrium ferarum congeries relictis propriis domiciliis domestica urbis habitacula expetebant. ut apte intelligeretur prefato loco quasi celerem solitudinem terribilem compulsis habitatoribus imminere. Cumque pronunciata hec multitudine populorum sine cessacione nasceret. imminente nocte dominice resurrectionis universi in ecclesia annua sollempnitatis vigiliis et laudibus ex more celebrant. preteritorum malorum finem et civium securitatem tante festivitatis subsidio expectantes. Sed mox plaga gravior adversus miseros incanduit. Quedam namque domus publica que in potiore civitatis vertice collocata eminencior ceteris apparebat in ipsius diei crepusculo ac initio noctis repentino flammarum cepit flagrare incendio. Cuncti in pavorem versi simul de suis domibus ac facultatibus metuebant casum. Ea tempestate viennensem ecclesiam mamertus regebat episcopus. Qui inter ardorem furentis incendii altaribus invictus assistens potestatem ignium compescuit flumine lacrimarum. Et cum esset doctrina clarus et sanctitate perspicuus tota illa nocte oracioni incubuit atque hanc triduanam ieiunii medicinam exemplo ministerii spiritu sancto suggerente concepit. Evoluta demum sollempnitate paschali pandit cunctis quod inveniat et ordinem quo impleri debeant exponit. atque ut quod tunc necessitatis gracia agebatur cunctis in reliquum temporibus anniversaria consuetudine per gratiarum actionem frequentaretur obtinuit. Assenciunt cuncti. atque alacriter optant impleri quod dicebatur suggestum. Verum quia apud christianos nefas est celebritatem dominice resurrectionis ieiuniis interrumpi. communi cunctorum consensu eligitur triduum presens quod est inter resurrectionem domini et sacre ascensionis diem. Et congrue. Ut sicut christiana devotio paschale misterium quadragesimalibus ieiuniis purificata suscepit, pari etiam modo ascensionis gloriose festivitatem hoc triduano rogationibus ac ieiunio purgata digniter excipere valeat. Qua laudabili consuetudine procedente tempore pene tote gallicarum ecclesie sunt secute. Et quod illi necessitatis periculo invenire et facere studuerunt, hoc etiam nos alacribus animis frequentare debemus tam pro remissione precedentium delictorum, quam etiam pro pace universalis ecclesie, pro ubertate frugum, pro expulsione paganorum, pro quod universis corporis et anime calamitatibus evadendis. Si enim ex toto corde malum quod fecimus his diebus penituerimus, et ad confessionem et ad confessionem venerimus, et deinceps a malis cogitationibus nos custodierimus, sine dubio et de malis actibus nostris impetrabimus a deo veniam, et post huius vite discessum regni sui nos faciet esse consortes. quod ipse prestare dignetur.

ecumbentibus undecim discipulis apparuit illis Ihesus. Et reliqua.

In primis sciendum quod recumbere est iacendo comedere. Consuetudo namque veterum fuit ut in accubitu iacentes manducarent atque comederent. Qua consuetudine et iudeos tenuisse et hic et in multis aliis locis apparet. Recumbentibus ergo discipulis hoc est manducantibus apparuit illis Ihesus. Gloriam sue resurrectionis dominus ac redemptor noster multiformi argumentorum exhibitione astruxit. Per quadraginta dierum intervalla cum apostolis conversatus et modo singulis modo omnibus manifestat. quia nimirum tanta erat gloria patrate resurrectionis ut mentes apostolorum nequaquam ad eam repente capienda perfecte consurgere valerent. Ideoque paulatim ad eam quoque pertingerent sensim informandi erant. Verum si subtilius divine erga nos dispensationis affluentiam et pietatem perpendamus, nos potius eorum dubitatione consultum invenimus, et infirmitate illorum nostram firmitatem extitisse cognoscimus. Fides enim nostra eorum est diutina ambiguitate firmata ac solidata. quia dum nova veri christi resurrectionis experimenta reperiunt, omnem prorsus a nostris cordibus infidelitatis occasionem tulerunt. Decies autem dominus apostolis post resurrectionem in evangelio legitur apparuisse, cum tamen multotiens eis non dubitetur visus fuisse. Si quidem ipso die sue resurrectionis quinquies hominibus apparuit. Deinde sexto post octo dies quando omnes discipuli erant intus et thomas cum eis. Septimo ostendit se illis piscantibus ad mare tyberiadis. Octavo visus est undecim in galilea. Nono cum recumbentibus illis apparuit sicut presens lectio testatur quando exprobravit incredulitatem illorum et duriciam cordis redarguit. Decimo viderunt eum non iam in terris positum sed in sublimi ethere libratum quando testes eius resurrectionis angeli affuerunt dicentes Viri galilei quid statis aspicientes in celum. Hic ihesus qui assumptus est a vobis in celum sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in celum. Notandum vero est quod dominus recumbentibus discipulis ultimum sue presencie munus exhibuit videlicet ut veritas eius resurrectionis robustius in eis convalesceret. Ne circa dominice veritate resumpti corporis ulterius dubitarent. Et quia exemplo eos relicturus et in celum ascensurus erat increpavit incredulitatem eorum et duriciam cordis redarguit ut quod novissimum audiebant in eorum mentibus tenacius figeretur et sincerius placata increpacione dubitacioni terminus poneretur. Facit ergo deus erga spirituales filios in celum iturus quod facit pater carnalis erga filios ~~moriturus~~ moriturus. Facto presenti urgetur vicina iam morte pallescit et tamen filios evocat. res suas ordinat. et de singulis que animo insederint mandat. Ad ultimum vero quod carius habuerit in precepto novissimo filiis tradit. sic quod demum illi tanto magis verba patris morituri custodiunt quanto se novissima audisse recolunt. Ita ergo et dominus. si tamen fas est dominum celorum fastigia superantem homini sepulchri angustiis vel mandando commendando comparare apostolos novissimo affatu ascensurus in celum redarguit quia hiis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Legimus enim quia mulieribus a monumento domini redeuntibus et resurrectionem eius nunciantibus non crediderunt sed videbantur eis hec verba quasi deliramenta. Redarguuntur ergo quare mulieribus sive resurreccionis ministris non crediderunt cum utique gentibus quibus predicaturi erant. ea que minime viderunt credituri erant. Unde mox subinfert sanctus evangelista Et ait illis Euntes in mundum universum predicate evangelium omni creature. Preceptum apostolis ante passionem domini fuerunt ne in viam gencium irent neve in civitates samaritanorum intrarent. Sed post resurrectionem iudeis vito perfidie sue reprobatis iam nunc ad salutem omnium gencium quaqua versum per orbem sparsorum diriguntur omnique creature evangelium predicare precipitur. Querendum tinue est quid sit quod dicitur: predicate ewangelium omni creature, cum superfluum sit et valde irrationabile sanctum ewangelium rebus vita carentibus aut brutis predicari animalibus. Sed ad hanc questionem enodandam scire convenit quia omnis creatura trifarie dividitur, in oysiaden id est essencialem, zontiren id est vitalem et noypon id est intellectualem. Sed beatus gregorius separatius singula quadam distinguens ait: Sunt lapides sed non vivunt. Sunt arbusta et arbores, vivunt sed non sentiunt. Vivunt quidem non per animam sed per virorem. Unde et paulus dicit: Insipiens tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur. Sunt pecudes, vivunt, sentiunt, sed non discernunt. Nomine ergo omnis creature homo designatur quia cum omni creatura commune aliquid habet. Habet enim esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, discernere atque intelligere cum angelis. Cum ergo dicitur predicate ewangelium omni creature, soli homini ewangelium predicari precipitur qui quodam principio cum omni creatura copulatur. Omnis etiam creature vocabulo gentilitas specialiter appellari potest, que creatore relicto creature se mancipabat obsequio, ligna et lapides ac monstruosa quoque animalium portenta pro deo colenda. Et quia homo ab illo beato principio peccando defecerat, ad cuius imaginem et similitudinem conditus fuerat, recte inter infima queque connumeratur. Mittitur ergo apostolis ut ewangelium omni creature predicent. Hoc est universis nationibus que in ignorancie dei catenis fuerant fidei et salutis munia portent. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. Id est qui fidem sancte trinitatis quam in baptismo percepit operis execucione adornaverit et usque in finem in bonis operibus perseveraverit salvus erit. Hec est summa vere salutis causamque continet suscipiendi baptismatis. Pulchre autem cum dicitur qui crediderit, ac deinde subinfertur et baptizatus fuerit, quia sine fide baptismi tinctio aut nichil valet aut minimum. Sed queri potest quo pacto parvulos per baptismum dicamus salvari, qui utique nec dum etatis incapacitate credere possunt. Neque tamen ideo isti sine fide salvantur, quia [illegible] suscepturi fidei eius auxilio ut sicut per alios peccati ad eos traducta est macula, ita et aliorum confessione a peccatis originalibus expientur. Sed certe cum dicitur qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, potest alicui persuaderi ut se sola fide credat esse salvandum. Sic quod letali imbuto professus a bonorum operum fructibus torpeat et sibimet tacitus blandiatur dicens: Ego iam credidi, salvus ero. Verum utique ~~dicit~~ dicit, si fidem quam ore confitetur bonorum operum studiis comprobet. Credere enim veraciter est deum voce simul et moribus confiteri. Unde econtra de quibusdam dicitur: Confitentur se nosse deum, factis autem negant. Et Iacobus: Fides sine operibus mortua est. Hinc Iohannes dicit: Qui dicit se nosse deum et mandata eius non custodit, mendax est. Fidelis namque dicitur eo quod fiat. Tunc enim veraciter fideles sumus, si fidem quam verbis profitemur operibus adimpleamus. Nam ut aliquid sub exemplo dicamus, tempore baptismatis omnibus viciis actibusque pompis diabolicis nos abrenunciaturos esse spopondimus. Quam pollicitacionem si post baptismum nos servare meminerimus, certi de premio quia fideles sumus veraciter gaudeamus. Verum dominus de certo fidei et baptismi ad salutem sufficere posse promisit. Quo ab qui baptizandus est primo de fide instrui debet, ut credat deum omnipotentem trinum in personis et unum in substancia. Patrem ingenitum, filium genitum, spiritum sanctum ex patre et filio procedentem, et in tribus personis unam essenciam. Deinde credat Christum pro genere humani salute incarnatum, natum, passum, mortuum ac sepultum, resurrexisse a mortuis, ascendisse in celum, venturum esse ad iudicium. Deinde inbuendus est de immortalitate anime, que licet moriente corpore mortem non creditur esse ventura, sive ad penam sive ad gloriam. Postremo instrui debet per quibus operibus perveniatur ad regnum, per quibus descenditur ad supplicium. His ita completis, tunc demum sacro baptismate credens consecrandus est maioris dumtaxat etatis. Hoc autem in loco non est de parvulis omittendum, qui, ut supra competenter digestum est, etatis infirmitate gravati, sed tunc temporis cum ad baptismum veniunt, nec corde concipere nec oris valent professione declarare. Nam de maioribus nulla est questio, quod sine fide salvari non valeant. De parvulis ergo hoc sentiendum, quod sicut ab alienis originali peccato attaminantur, ita per aliorum fidem et prudenciam eciam in ecclesia cum nec dum loqui valent in numero fidelium computantur, ex aqua renati et spiritu, ita dumtaxat ut incremento etatis ingrescente sollercia parentum vel eciam patronorum, qui eos sacro de fonte susceperint, ad catholice fidei graciam instruantur. Et quia supradictum erat, quod firmi fideles permanerent, dicendum restabat. Ad illacionem infidelitatis consequenter: Qui vero inquit non crediderit condempnabitur. Qua sententia ex obliquo apostoli quoque conveniuntur, ne ipsi ulterius in fide resurrectionis dubitare auderent.

quia per orbem predicaturi erant. certum habeant. quia non crediderit condempnabitur. Hinc idem dominus alibi dicit. Qui non credit iam iudicatus est. id est dampnatus. quia sicut fideles per fidem salvantur. ita infideles propter infidelitatem dampnantur. Signa autem eos qui crediderint hec sequentur. In nomine meo demonia eicient et cetera usque bene habebunt. Hec signa in primordio nascentis ecclesie corporaliter ab apostolis eorumque sequacibus impleta sunt. Ita et demonia de obsessis corporibus imperiosa preceptione expulerunt. et linguis omnium locuti sunt. Serpentes incolumes a propriis sedibus exturbarunt. et venenum bibentibus nociti non sunt. Legimus enim de beato Johanne quod preparatum sibi veneni poculum hausit. nec tamen nocere potuerit. Egritudines insuper corporum non solum manuum impositione verum etiam umbre sue vel vestibus attactu fugasse noscuntur. Sed forte quorundam simplicium mentes permoveri possunt. quare hec signa omnibus generaliter credentibus repromissa. modo in ecclesia corporaliter minime fiant. Sed sciendum quia hec signa in exordio nascentis ecclesie necessaria fuerunt. ut hiis rudes adhuc et teneras mentes fidelium ad fidei robur solidarent. et ut per hec signa infideles ad fidem converterent. ut quibus predicatio ad fidem non sufficeret signorum illos magnitudo ad credendum excitaret. mentibusque eorum predicatione miraculis in cordibus ydolatrarum predicaret credulitatis trinitatis. Et postquam fidelis copiam dogmatibus pene totius mundi timor tenuit. postquam ecclesie decus predicantium constantia sanctorum patrum altius caput extulit. Hec signa corporaliter apparere desierunt. Signa enim ut ait apostolus infidelibus sunt non fidelibus. Nam et hii qui virgulta plantant. tam diu eis aquam infundunt donec radicata et firmioribus in terra videant. At postquam radices terre fixerint. ab irrigatione cessant. Pari modo dum infidelitas ingruit. non nisi per miracula tenera in gentibus fides fuerat nutrienda. Discussis vero infidelitatis nebulis. ceperunt haberi signa superflua. Hec in nostra tempora divina promissa sunt. ne ecclesia semper visibilia quereret et eorum consuetudine frigesceret genus humanum quorum novitate flagraverat. Verum et si hec signa in sancta ecclesia corporaliter non fiunt. aguntur certe quod maius est spiritualiter. Et certe maiora sunt que erga animas interius aguntur. quam ea que foris circa corporis curationem ostenduntur. Maius enim multo quanto prestantius est sanare animam in eternum victuram. quam corpus quandoque moriturum. Denique et hec miracula dominus signa vocavit. Signa enim dicuntur eo quod aliquid significent. Et merito hec signa vocantur. quia per ea que exterius agebant corporaliter quod interius agi oporteret presignabant spiritaliter. Videndum ergo qualiter hec signa in ecclesia spiritaliter impleantur. Sacerdotes enim stare plebem dum credentes divino chrismate sanctificant et in eorum cordibus diabolo locum vetant, utique demonia eiciunt. Linguis etiam novis loquuntur cum sublimia celestis patrie premia annunciant. Dumque fideles a secularibus verbis linguam continent, in laudibus autem conditoris ora resolvunt, predicationi et doctrine incumbunt, lingue profecto nove sunt quibus loquuntur. Serpentes tollunt cum subdolos quosque et per maliciam draconis cubile factos suis monitis exhortationibusque convertunt. Mortiferum quoque bibunt, sed non eos nocet, cum venenate persuasionis verba audiunt et tamen minime per hec ad mala deflectuntur. Sed et super egros manus imponunt et bene habent, cum fragiles quosque et ad boni operis robur invalidos exemplo sue actionis quasi tactu manus animant et ad boni operis studium viribus confirmant. Et illa quidem signa corporalia nonnumquam etiam boni agunt et mali, ista vero spiritalia numquam et nusquam possunt agere nisi soli boni. Quod enim mali signa faciant, dominus ostendit, qui de ultima tribulatione loquens dicit: Surgent pseudochristi et pseudoprophete et dabunt signa et prodigia magna ita ut inducantur in errorem si fieri possit etiam electi. Unde et tales in iudicio dicturi sunt: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo demonia eiecimus et virtutes multas fecimus? Et respondebit eis: Nescio vos unde sitis, discedite a me omnes operarii iniquitatis. Inter hec vero sciendum quod duo sunt que nostris temporibus in ecclesia exerceri non permittuntur: abstinencia videlicet que incomparabiliter in antiquis sanctis effloruit, et miracula ut dictum est, quibus precedencium sanctorum chorus multipliciter choruscavit. Que duo adeo ut premissum est modernis temporibus ablata creduntur, ut virtus humilitatis tanto sibi fidelibus custodiatur, quanto humana fragilitas impares se preteritorum sanctorum meritis iudicaverit. Et dominus quidem Jhesus postquam locutus est eis, assumptus est in celum et sedet a dextris dei. Hanc dominice ascensionis gloriam in veteri testamento rebus et sermonibus constat esse presignatam. Legimus namque Enoch in paradisum translatum et Helyam curru igneo in celo raptum. Quod quid aliud significabat nisi quod mediator dei et hominum homo Christus Jhesus in carne venturus erat, qui non angelico ~~pd~~ presidio sed propria potencia uideretur in celum. De hac etiam solempnitate per psalmistam dicitur: Ascendit deus in iubilatione et dominus in uoce tube. In iubilatione quippe dominus ascendit, hoc est in leticia apostolorum, de quibus Lucas dicit quod assumpto ab eis domino regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno. Quis etiam digne ualeat cogitare quanta spe et leticia sint refecti, qui quam dulces lacrimas emiserunt, cum dominum ac magistrum suum, quem posthabitis omnibus secuti fuerant, calcata morte ad paterne claritatis solium redire conspicerent. In uoce etiam tube dominus ascendit, quia angelis adductus illuc quo uiuos et mortuos iudicaturus est, prenunciantibus, sedem regni celestis adiit. Ut enim beatus Lucas in actibus apostolorum narrat, uidentibus illis eleuatus est et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in celum euntem illum, ecce duo uiri astiterunt iuxta illos in uestibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilei, quid statis aspicientes in celum? Hic Ihesus qui assumptus est a uobis in celum sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in celum. Ista ergo uox et allocutio angelorum tuba appellatur. Hinc rursus per Amos prophetam de eo prenunciatur: Qui edificat in celo ascensionem suam et promissionem suam super terram firmauit. Redemptor namque noster ascensionem suam in celo edificauit, quia assumptam quam pridem formauerat ante secula humanitatem in dextera paterne maiestatis collocauit. Promissionem quoque suam super terram confirmauit, quia ascendens in celum promissum spiritum sanctum decimo die super centum uiginti credentium cetum effudit. Quod ergo dominus in celum sumptus dicitur, non est putandum angelico eum eguisse auxilio, cum utique deus super omnia propria deferatur potencia. Sed ideo assumptus dicitur, eo quod angelico obsequio comitatus ascendit. Sedere quod ad dexteram patris perhibetur, quia ascendens in celum etiam secundum habitum suscepte humanitatis unius glorie eiusdemque atque inseparabilis potencie cum patre esse creditur. Notandum autem quod beatus Marcus ewangelista eum sedere ad dexteram patris refert, cum beatus Stephanus in hora sue lapidacionis stantem eum uidisse asserit dicens: Ecce uideo celos apertos et Ihesum stantem a dextris uirtutis dei. Sed in deo situs membrorum pro qualitate accipitur negociorum. Sedere enim regnantis est uel iudicantis, stare uero pugnantis uel adiuuantis. De primo omni secundum, quia hec uerba non ideo ita uariantur ut sibi contraria sint, sed ut modo eius potencia modo misericordia describatur. Beatus ergo Stephanus in passionis agone constitutus inuito dominum stantem uidit, quem adiutorem certatorem eque habuit. Ipse enim certamen inierit, sed deus pro eo pugnabat et ut athlete constancia in tribulationibus minime lassaretur, victoria ei de superbis parabatur. Quia vero ascendens in celum omnia cum patre regit et ad ultimum per eum deus pater omnia examinabit/ recte beatus marcus eum ad dexteram patris considere perhibuit. Eum vero ad dexteram patris filius ut sicut in psalmo sedere perhibetur, non est opinandum quod deus pater habuit latus dexterum vel sinistrum sicuti corpora humana. Nulla enim forma corporis deus concluditur vel diffinitur. Sed dextera patris est beatitudo perpetua que sanctis promittitur, sicut sinistra eius rectissime dicitur miseria perpetua que impiis datur. Pie ergo sancta ecclesia confitetur christum ad dexteram patris sedere, hoc est in magnitudine et equalitate paterne glorie conregnare. Illi autem profecti predicaverunt ubique et reliqua usque signis/. Cum apostoli ascensionem domini in totum mundum profecti predicaverunt ubique, quia nulla regio qualibet inaccessa quantumvis aspera. Nullus pene locus quamvis remotissimus esse potuit ad quem eorum predicatio non pervenerit, et ante defecit eis terra quam lingua. Quod longe ante intuens psalmista dixit. In omnem terram exivit sonus eorum et cetera/. In hiis verbis utile exemplum obediencie demonstratur. quia dominicum preceptum secutum est obediencia discipulorum, ipsam vero obedienciam signa miraculorum. Profecti ergo predicaverunt ubique non viribus corporis sed auxilio dei cooperantis/. Cooperabatur enim suis predicatoribus christus qui enim piscatores et peccatores omnemque mundi sublimitatem omne factum mundane potencie sibi subdebat. Sermonem [illegible] eorum confirmabat sequentibus signis/ quia ne illorum predicacio despiceretur, contempta persona loquencium, roborabatur subsequenti exhibicione signorum. Exultet igitur in credentibus universalis ecclesia et triumphalem domini sui ad celos reditum votis solempnibus amplectatur. Hodie namque corpus super omnes celos ascendens victricis titulos celo reposuit et membris suis quo eum sequi deberet ostendit, et sicut ipse morte per devicta et eius qui mortis habebat imperium scilicet subiugata victor ad patrem rediit, ita et nos demum ad eum posse pervenire credamus cum victores omnis corrupcionis victores extiterimus. Ad hanc superne civitatis felicitatem beatam beatamque felicem celebritatem quantum sufficimus suspiremus, et quamvis adhuc corporalem mentis devotione inter ea satagamus. Commisse etiam debemus quod libris lucas dominicam distulit ascensionem dixit. Elevatis manibus benedixit eis et ferebatur in celum. Felices certe et diuine prorsus benedictionis heredes qui a domino in celum ascendentis manibus benedici meruerunt, quia nimirum in plenitudine benedictionis reuertetur ad eos a quibus se aspectibus in benedictione subtraxit, angelis ad eosdem apostolos ita protestantibus: Sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in celum. Nos ergo qui dominicam ascensionem solempniter celebramus et paschalem predicationem in eum credimus cum patribus deprecemur ut cum ad iudicium omnibus manifestus aduenerit qui paucis uidentibus ascendit in sorte nos huius benedictionis admittat eorumque societati coniungat atque connumeret quibus in iudicio dicturus est: Venite benedicti patris mei percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi. Sciendum preterea quia sancti quatuor ewangeliste uno eodemque spiritu ad scribendum ewangelium afflati nec simili initio nec pari termino sua exorsi sunt uel finierunt uolumina. Siquidem ewangelista matheus hebreus ex hebreis a temporali christi natiuitate exordium sumpsit et ipsam narrationem usque ad dominicam resurrectionem perduxit. Rursus marcus a predicatione redemptoris inchoans quo tardius inchoauit eo prolixius serie narrationis extendit. Ponens illam usque quo christo in celum ascendente discipuli per omnem mundum longe lateque sunt ad predicandum dispersi. Lucas inde ab exortu precursoris inchoans ipsum dominum per etatis temporalem multipliciter descripsit infanciam, prolongans ewangelium usque quo christus ascendit in celum. Johannes uero ab eterno patris exorsus principio pauca de humanitate plura de diuinitate describens rerum gestarum ordine usque ad dominicam resurrectionem perduxit. In qua diuersitate non discordie signum sed eterne diuinitatis apparet indicium. Idem enim spiritus ~~sanctus~~ qui eos ad scribendum impulit modum quoque narrationis eorum temperauit et quo initio quo fine prefata uolumina claudenda essent ingenua potestate edocuit. Quocirca sancti ewangelii dicta humiliter suscipientes redemptoris nostri gesta que continet prout possumus imitemur quatenus possimus communicando passionibus illius participemur ut eum resurgentem resurgere et ascendentem ad celos subsequi mereamur. Quod ipse prestare dignetur.

qua

um ueniet paraclitus quem ego mittam uobis a patre. Et reli

ositus in cena dominus cum discipulis postquam misteria noui testa-

menti corporis sanguinisque sui conse-
cracione signavit. instante ea hora
sue tradicionis in qua etiam quibus eos
dignatus est erudire. monuit ne
impiorum contra se persecucioni sevi-
entes terrerentur. nec fessi cederent
sed in omnibus invictum constancie
robur tenerent. adventu etiam spiritus
sancti promisso. cuius gracia terreno timo-
re privarentur. et virtutis celestis
robore firmarentur. Denique si divine
scripture oracula consulamus. apte
cognoscemus. quod sancti apostoli ante percep-
cionem sancti spiritus. qui die decimo post
eius ascensionem in celos super eos
missus est minus idonei et capaces
fuerunt ad intelligenda mysteria di-
vine sublimitatis minus etiam fortes
ad toleranda adversa illate persecucionis.
Adveniente autem super eos spiritu sancto
cum augmento divine cognicionis. constan-
ciam perceperunt. ad perferenda tormenta
passionis. Quod ut exempli gracia
videamus pateat. primum apostolici culminis
verticem. beatum petrum in medium de-
ducamus. Qui antequam spiritu sancto ro-
boraretur adeo infirmus et pavidus
mentis fuit. ut ad vocem unius an-
cille. dominum se nec nosse negaret.
Verum postquam spiritus sancti ignibus
timore ante frigidum pectus accendit.
tanta subito fortitudine animo concepit.
ut presentibus apostolis ad gloriam resur-
rectionis christi publice predicandam
excitaret. et principum impavidus
terriculamenta transiret dicens. O-
bedire oportet deo magis quam
hominibus. Et iterum. Non possumus
que vidimus. et audivimus non loqui.
Admiremur ergo beatum petrum pre-
dicantem. que didicerat inscianter.
Tanto enim spiritus sancti fulgore il-
lustratus est tantaque veritatis
auctoritate solidatus. ut ipsos qui
paulo ante fuerant interfectores christi.
ita converteret. quo etiam mori vel-
lent pro amore christi. Unde loquitur
dominus discipulis. et promittens eis
adventum spiritus sancti. qui eos do-
ceat scienciam divine cognicionis.
et corroboret ad fiduciam predicacionis
atque constanciam passionis. dicit. Cum
venerit paraclitus. Et cetera. Ordo verbo-
rum talis est. Cum venerit paraclitus ille
testimonium perhibebit de me. Paracli-
tus namque hic est spiritus sanctus. testimonium
perhibuit domino ihesu christo. quia cordibus
apostolorum illapsus. plenissimam eis di-
vinitatis seu humanitatis christi scien-
ciam contulit. a deo. ut quantum mor-
talis fragilitas patitur. quidquid de eo
sciendum est nossent. qualiter unius
cum patre esset substancie. eiusdemque
maiestatis. quod is qui ante secula deus
erat apud deum homo inter homines
apparuit in fine seculorum. quod de virgi-
natus accepit. ut idem homo idem
esset et deus. quod sponte passus sua
virtute a mortuis resurrexit atque in celum

ascendens in patris dextera sederit. Postremo quod a patre in fine mundi equus omnium iudex venturus sit. Hec omnia sancti apostoli de Christo spiritus sancti magisterio didicerunt. Nec soli illi verum etiam omnes qui recte aliquid de Christo senciunt. Huius spiritus gratia hoc promeruisse credendi sunt. Perhibuit etiam testimonium quando apostolis constantiam ea que didicerunt predicandi inspiravit. Uno enim eodemque spiritu et sciencie spiritalis docti et virtutibus ad predicandum opere donati sunt. Quod autem ait: quem ego mittam vobis a patre, spiritum veritatis qui a patre procedit, per interposicionem dictum est, que figura grece dicitur parenthesis. Qua sententia ideo interposicione voluit ut aperte ostenderet in patre et filio unam esse voluntatem et unam operacionem cum distinctione personarum. Ita videlicet ut intelligamus aliam quidem personam patris, aliam filii, aliam spiritus sancti, sed in tribus personis unam atque eandem potestatem maiestatis. Intuendum vero quod dominus spiritum sanctum et a se mitti et a patre procedere dicit, non quo separabilis sit patris et filii operacio, sed ut distancia personarum patris et filii manifestetur. In qua tamen personarum distinctione una filii voluntas atque operacio cum patris voluntate et operacione concordat. Sicut ergo spiritus sanctus a filio mittitur sic mittitur et a patre, et sic procedit a filio quomodo et a patre. Ipse spiritus sanctus quia unius est voluntatis eiusdemque operacionis cum patre et filio dicitur ipse quoque sponte sua venire. Quod patenter dominus in eo loco ostendit ubi ait: spiritus ubi vult spirat. Et apostolus enumeratis diversorum charismatum distribucionibus subdidit: Hec omnia operatur unus atque idem spiritus. Ipsum quoque dominus in hoc loco ostendit dicens: Cum venerit paraclitus. Quia vero et a filio mittatur, subsequitur ipse filius et dicit: quem ego mittam vobis. Et ut ostendat a patre illum etiam procedere, subinfert: spiritum veritatis qui a patre procedit. Preterea questione indignum non est cur spiritus sanctus non natus neque genitus, non ingenitus, sed potius procedens dicatur. Cui questioni hac racione a patribus obviatur. Spiritus enim sanctus de patre procedit et filio. Si ideo non dicitur genitus, ne duo in trinitate filii suspicentur. Ideo non vocatur ingenitus, ne duo similiter in trinitate patres credantur esse. Procedens autem dicitur testimonio Christi dicentis: spiritum veritatis qui a patre procedit. Inter nascentem vero filium et procedentem spiritum sanctum ista distancia est, quod filius ex uno nascitur, spiritus vero sanctus ex utroque procedit. Adventum autem suo spiritus sanctus testimonium perhibuit de

Liber Capli Ecclie S. Marci In butzbach

x . ß h
vj . lb
j . lb . it vj ß x d
viij . lb
lb
ch . xxvij . lb . [illegible]
alch . xxviij . lb . [illegible]
ing Frauwisse . xxvj . lb
l Fenrel . xviij . lb . [illegible]
chin . xv . ß h
iring . xxx . ß h . [illegible] viij ß d
lenwolss dochter . ij . lb
l Wielle . iiij . lb
iiij lb . [illegible]
ter . ij . lb . it vj ß d
lb
x . ß h
iiij . lb . [illegible]
lb
iiij lb
ß h
j . lb
erstad . ij . lb . [illegible]
ay . x . ß h
vij . lb . [illegible] viij lb h
Summa sm
iij vij lb

d It Foltzel Kanelsch . x . ß h
d It Hamer . ij . lb . s h
d It Berthold Ryder . v . lb
d It Contzel hirte . j . lb
It Contzel Snider . v . ß
It Asseinsse . iij . lb . [illegible]
d It Katherin Crem . xxx . ß
d It peter von Nattsfar . iij . lb
It Clesel pisser . v . ß
d It Jeckel Cob . xv . ß
d It Contzel Clar dictus Dechtrina . x ß
d It Jeckel Messsinit . x . ß
d It Lupolt dechtrina de Wolt . j . lb
d It Stolsep . de Cleier . iiij . lb
d It Sin Soy . j . lb
d It Contzeln Gufeluh . j . lb
It hensel Gufeluh fil . v . ß
dd It Brunnis hergesh . xxx . ß
d It hans Monkem . x . ß
It Engel Gatzschmenen . iij . lb
d It Albencker Son . xxvj . ß h
d It Eberh de Eling . j . lb
d It Adonssrantse . x . ß
d It w Soy . x . ß
It Contzel Spirb . v . ß
d It Claus Grimergh . v . ß
d It Grefelnuls Dechtrina . x . ß
d It Kamelsch . ij . lb . v . ß [illegible]

HOMILIÆ à F
STO NATIVITA
TIS CHRISTI.
ad
F.tum pentec,
stes.

843.

Handschr.
843
fol.

E7.